








EXERCITIVM

PERFECTIONIS,

ET

VIRTVTVM

CHRISTIANARVM,

In tres Partes distinctum.

Auctore

R. P. ALFONSO RODERICIO

Vallisoletano, Soc. Iesu sacerdote.

Ex Hispanico Latinum faciebat Matthias Martinez.

Opus cum omnibus, tum potissimum Societatis IESV *Religiosis accommodatum.*

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Ioannis Kinckii & Ioan. Crithii vid.

Anno M.DCXXII.

DIVISIO OPERIS.

Pars I. complectitur varias Virtutis & Perfectionis consequendæ rationes.

Parte II. agitur De Exercitiis virtutum ad omnes pertinentium, qui Deo seruire intendunt.

Parte III. De virtutum ad statum religiosum spectantium exercitio, & rebus aliis ad perfectionem conducentibus.

[redacted]

[redacted]

[redacted]

P.P. Eremitarum Camaldulens. Insulæ Wygrens. empto a Conventu Cracoviens. P.P. Prædicatorum Ao 1637 ex Cathalogo inscriptus hujus Eremi 1688.



ELENCHVS CAPITVM QVÆ PRIMO TOMO EXERCIT. ALPH. RODRIQVEZ continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

Quanti ea, quæ ad profectum nostrum spiritualem faciunt, æstimanda sint, & quantum ipsi erga eadem debeamus affici, ac de rebus nonnullis, quæ ad hoc nobis vsui futuræ sint.

CAPVT I.

TRACT. II.

De operum ordinariorum perfectione.

CAP. I.

TRACT. III.

De rectitudine, & puritate intentionis, quam nostris in operibus habere debemus.

CAP. I.

TRACT. IV.
De vnione & charitate fraterna.

CAP. I.

TRACTATVS V.
De oratione.

CAP. I.

TRACT. VI.
De præsentia DEI.
CAP. I.

TRACT. VII.

De examine conſcientiæ.

CAP. I.

TRACT. VIII.

De conformitate voluntatis noſtræ cum diuina.

CAP. I.

FINIS INDICIS.

OMNI-



OMNIBVS SOCIETATIS IESV PATRIBVS ET FRATRIBVS, &c.

Salutem in Domino apprecatur

ALPHONSVS RODERICIVS.



BEATVS Pontifex Gregorius, rogatus vt quibusdam Monachorum Cœnobiis spiritualia quædam monita ac documenta conscriberet; idipsum facere detrectat, seque quo minus id faceret excusans, Religiosos, qui per gratiam compunctionis & orationis ipsum sapientiæ fontem domi & intus habent, suæ siccitatis guttis paruulis opus habere negat; & sicut, inquit, nulla in paradiso pluuia fuit, sed quidam de medio eius ascendebat fons, qui eum irrigabat, ac viridem, vernantem, & amœnum vndeundique reddebat: ita Religiosus qui in florido Religionis paradiso viuit, & hunc intra se orationis & compunctionis fontem habet, nostris qualibuscunque irrigationibus minime opus habet, quod ille ad virtutum vernantiam, virorem & puchritudinem floridam & integram semper in anima sua conseruandam satis ei sit futurus: Hæc ille: sed multo ego me potiori apud Reuerẽtias & Charitates vestras, quas Deus Opt. Max. in hoc Societatis Iesu paradiso plantare, & in ea orationis mentalis, quam quotidie ex regulæ nostræ præscripto & instituto vsurpamus, imbribus irrigare, ac velut rigore nouo recreare, iure queam excusare. hanc siquidem Ioannes Chrysostomus in tractatu quem de oratione scripsit, non sine ratione fonti, in horti medio cuiusdam constituto, eumque & amœnum & perpetua in vernantia conseruanti, comparat. Locum illæ quidem hoc loco haberent, si me quid noui, quod Reuerentiæ & Charitates vestræ vel nescirent, vel quotidie non exercerent, afferre huc posse crederem. Verum aliud mihi hoc in opere propositum non est, quam id in memoriam vobis reuocare & refricare, quod omnes & optime norunt, & assidue exercent, prout B. P. N. in constitutionibus nostris serio præ-

Gregor. Epist. 2. lib. 6 Registr.

Exhortationes Religiosis non videri necessariæ.

Gen. 2. 10.

3. p. Consti. c. 1. §. 28.

scribit, dum hanc ob causam iubet singulis vt septimanis, aut saltem quindenis diebus sit, qui huiusmodi aut alia id genus monita in spiritualib. collationib. & exhortationibus publicis nobis proponat: ne, quæ naturæ nostræ fragilitas est, ea à nobis obliuioni tradantur, itaque eorundem exercitium paulatim in desuetudinem eat. quod, quæ Dei nostri bonitas est in Societate non sine maximo omnium eius membrorum fructu, & exercetur, & vsurpatur. Et quoniam hoc ego in ea munere, superioribus ita iubentibus (etsi magna mea confusione) quadraginta & amplius annos tum apud Nouitios, tum apud Veteranos, sæpe sim perfunctus, multaque ad hoc spectantia priuatim mihi collegerim & coaceruarim, Superioribus meis, & aliis, quos plurimum & colere & obseruare debeo, visus sum rem & Deo gratam, & societati vniuersæ perutilem facturus, si longo tempore collecta limarem, & labores hosce meos ordine certo, digererem, vt illorum se fructus ad plures diffunderet, itaque diuturnior is foret, & etiam perpetuus: in quo Seraphicum Doctorem S. Bonauenturam sum imitatus, qui idipsum se in prologo eius libri, quem de profectu Religiosorum edidit, fecisse est testatus.

B. P. Ignatio vtiles visas Exhortationes ideoque præceptas.

Auctor 40 annis Exhortationes habuit.

S. Bonau.

Obseruaui item, in ea quam supra indicaui Constitutione, B. P. nostrum addere, vel illi hæc legere teneantur, quibus verbis esse vult aliquem, qui hæc similiaque documenta illis exponat, vel per se illos ea legere, quod me non parum ad hunc laborem assumendum animauit, cum videam perutile illud, & tam studiose à sanctis viris commendatum exercitium quotidie aliquid è libro quopiam spirituali ad propriæ animæ vtilitatem legendi, præceptum in Societate, etiam regula propria præscriptum esse. Quam ob causam, potissimum libri huius concinnandi laborem sumpsi, ea quam potui maxima breuitate & perspicuitate ob oculos vniuscuiusque ponendo, quæ & plus substantiæ ac praxeos continent, & communiora sunt, in quibus nos ex professionis & instituti nostri præscripto exercere debemus, vt hæc nimirum nobis instar politissimi sint speculi, in quo nos ipsi quotidie contemplemur malum & imperfectum, quod dissuadet & damnat fugiendo, & eo quod consulit boni & perfecti ornamento, animas nostras exornando & condecorando, vt hæ illo pacto diuinæ Maiestatis oculis quam sint gratissimæ. Tametsi vero primarius meus scopus fuerit, hocce labore Patribus & Fratribus meis in Christo carissimis prodesse; vtpote quibus multas ob causas plurimum & potissimum debeo; quia tamen caritatis est, se quam potest latissime extendere (quod instituto nostro maxime proprium est) tali hoc opus ratione disponere studui, vt non nobis solum, atque adeo reliquis in genere Religiosis vtilitatem adferret, verum etiam omnibus qui virtutis & perfectionis suæ sunt studiosi. Opus ergo ipsum titulo, qui omnes omnino homines concernit, scilicet, EXERCITIVM PERFECTIONIS, ET VIRTVTVM CHRISTIANARVM respondet. Dicitur autem exercitium, quia quidquid dicitur, admodum ad praxin accommode tractatur, vt eo melius executioni mandari queat, & opere ipso præstari.

Religiosi Societatis Iesu quotidie librum Spiritualē legere tenentis.

Diuiditur totum in tres Tomos aut partes, & singulæ octo continent Tractatus. Auctoritates & testimonia Latine ponuntur, vt ii, qui Latine norunt, hoc pacto iuuentur, quod ea quæ in suo naturali fonte leguntur, maioris esse soleant efficaciæ & energiæ, ac præsertim verba sacræ Scripturæ: quod Latinum idioma non callentibus nullo erit impedimento, quod

Hæc de Hispanica editione solū sunt intelligenda.

quod eadem mox Hiſpanico vulgari translata ſubnectantur. Ne quid vero hos inter legendum remoretur, & vt qui voluerit, Latina verba facilius inter legendum omittat, alio ea ſunt charactere ab Hiſpanicis diſtincta.

Spero autem in Domino fore, vt hic labor noſter non ſit inutilis ac vanus futurus; ſed vt bona illa verbi Dei ſementis, in tam fertilem iacta agrum, vti ſunt corda perfectionis ſuæ conſequendæ percupida fructum ſit non ſolum trigeſimum, ſed & ſexageſimum & centeſimum datura. Matt. 13. 8.





TRACTATVS PRIMVS.

QVANTI EA QVÆ AD PROFECTVM NOSTRVM SPIRITVALEM FAciunt, æstimanda sint, & quantum ipsi erga eadem debeamus affici: ac de rebus nonnullis, quæ ad hoc nobis vsui futuræ sint.

CAPVT I.

Quanti res spirituales faciendæ sint & æstimandæ.



Sap. 7.7. SEPTIMO Sapientiæ capite sic loquitur Sapiens: *Optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Vera sapientia, in quam nostros ipsi oculos debemus coniicere, ipsa est perfectio, quæ in eo sita est, vt Deo nos per amoris vinculum vniamus, iuxta illud Apostoli Pauli monitum, Coloss. 3.14. *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, nosque Deo vnit. Sicut porro Salomon sapientiam magni fecit, & in pretio habuit; ita nos perfectionem, & quidquid eidem comparandæ deseruit, magni facere oportet cuius comparatione & intuitu quidlibet nobis, vt arena exigua, & pauxillum luti, & stercoris videri debet, vt idem alio loco Apostolus Phil. 3.8. de se ait, *Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.*

Hæc vna de præcipuis est consequendæ perfectionis rationibus, quia quo hęc in corde nostro eius æstimatio magis creuerit, eo etiam magis & noster, & domus totius atque adeo Religionis vniuersæ profectus crescet. Ratio huius rei hæc est: quia pro eo ac rem aliquam existimamus, tale etiam solet nostrum ad eā consequēdam esse desiderium. Volūtas quippe cœca quædā potentia est, & ferri rapiq; solet in id quod ei intellectus dictat ac proponit: & quanti is illud facit & pōderat, tantum quoque voluntas & desiderium ad illud assequendum fertur. atque vt volūtas regina est, quæque reliquis animæ facultatibus & potentiis tam interioribus, quam exterioribus dominatur imperando; ita quo rem quamdam volumus ac desideramus modo, eo illam & procurare & media ac diligentias eius assequendæ adhibere solemus. Quamobrem permagni refert, vt ipsa rerum spiritualium, & omnis rei quæ ad profectum nostrum spectat, æstimatio & apprehensio magna sit, vt ita magna sit voluntas & erga ipsam desiderium, & magna quoque sit diligentia ad eam procurandam & assequendam. Hæc quippe omnia sibi inuicem coniuncta, & in eodem sunt gradu.

Qui gemmas & margaritas vendit, illarum necesse est valorem ante cognoscat & æstimet, ne forte illudatur: si enim eum non norit, æstimare suas merces nesciat, magni pretii gemmam cum re vilissima commutabit & vendet. Negotiatio

tiatio nostra Fratres, in gemmis & margaritis pretiosis consistit: nam *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.* Sumus mercatores regni cœlorum, itaque mercaturæ, quam tractamus, pretium & valorem nouerimus & æstimemꝰ necesse est; ne forte decipiamur, aurum cum luto, cœlum cum terrena aliqua gleba commutantes. Vnde scribit Propheta Ieremias, *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Siquidem omnium thesaurorũ maximus est, nosse, amare, & seruire Deo; & illa maxima omnium, quas habere possumus, negotiatio, quin imo aliud nobis non est tractandum negotium, quam hoc, quia propter ipsum sumus creati, propter ipsum Religionem ingressi: illud noster est finis, illud nostra esse debet habitatio, quies, & gloria nostra.

Matt. 13. 45.

Ierem. 9. 23.

Velim itaque, vt hæc perfectionis, rerumque spiritualium ad ipsam spectantium æstimatio omnium, ac maxime Religiosorum cordibus sincere inprimis vereque imprimeretur, atque inuicem ad hoc ipsi iuuaremus & exhortaremur, non modo verbis (sæpenumero scilicet in nostris colloquiis & conuersationibus ordinariis de eo loquendo) at multo magis viuaci operum nostrorum exemplo; vt in illis tam is qui primo incipit, & qui proficit, quam omnes omnino videant, nullam rem aliam in Religione magni fieri præterquam spirituales; quod scilicet quis valde sit humilis, valde obediens recollectioni, solitudini, & orationi multũ deditus; non vero quod apprime doctus, insignis concionator, aliisque *donis* tum *naturalibus*, tum *humanis* dotatus sit: quemadmodum B. P. N. Ignatius in Constitutionibus suis ait, Oportet vero vt omnes iam inde à principio hoc intelligant, vtque hoc lacte se velut sustentent, vt quisque nostrum iam inde ab illo tempore oculos & animum intendat, non quidem vt magnus doctor, aut eximius concionator; sed insigniter humilis, & bene morificatus euadat; cum vnum illud hac in Religione permagni fieri, summoque in pretio haberi videat, & vnum denique illud esse cui totos se applicant illi qui iam fraudibus perspectis sapiunt meliora, atque adeo solos illos qui id faciunt, ab omnibus coli & magni fieri. Quamquam non ideo id dicam, vt idcirco animum ad virtutem applicandum censeam, vt ob eam colamur & æstimemur; sed ideo tantum, vt cum omnes vnum videant id esse, quod in Religione præ aliis rebus æstimatur & pluris fit, etiam sapiant & sese recognoscant, ac reipsa videant, id sine dubio optimum esse, ac dicant; *Hoc est quod mihi conuenit, hac via certus ac tutus incedam, virtuti proinde me dare volo; atque serio profectũ & perfectionẽ meã procurare: nã reliqua omnia extra hoc vere nihil sunt, ac mera vanitas.*

30. p. Constit. §. 2. Reg. 16. Summarii.

Virtus sola in Religione æstimanda.

Hinc facile patebit, quantopere nocere queant illi, qui in colloquiis & familiari conuersatione vnum hoc agunt, vt de ingenio, habilitate, & dotibꝰ ac talentis naturalibus semper loquantur, hunc aut illum eo nomine laudent & extollant. Dum enim adolescentiores ita seniores loqui audiunt, existimant in hoc vno totum rei cardinem verti, vnum illud hoc loco magni fieri, & hac se parte emergere, celebrari ac famam quærere debere. Proinde in hoc vnum oculos conijciunt, ipseque erga omne id quod doctrinam, habilitatem naturæ, & ingenium spectat, affectus æstimatioque in iis indies crescit; amor vero erga id quod cum virtute, humilitate, & mortificatione coniunctum est, magis magisque decrescit: & eo res demum procedit, vt etiam hæc parui pendere, & præ illis despicere incipiant, ausi ante in his quam in illis peccare ac delinquere. Vnde contingit, multos sensim corrumpi & vitiari, imo etiam postea à religione penitus deficere. Multo sane foret satius seniores in suo cum iunioribus colloquio agere, quãti virtus & humilitas sit pretii, quamque cuilibet necessaria, quam parũ vero sine

Seniores coram Iunioribus Virtutem præ doctrina laudent.

fine iisdem & litteræ & ingenii dotes prosint, aut, vt melius dicamus, quantum obsint; non autem per id genus sermones, aliquod honoris, excellentiæ, aut famæ, quod ingenio valeant, aut eximia à natura talenta acceperint, desiderium in ipsis excitare, quod primum perditionis ipsorum esse solet initium.

Surius 1. Ian. tom. 7. Illustre hac in parte exemplum refertur in vita S. Fulgentii Abbatis. Hic enim erga eos monachos, qui seduli admodum & indefessi operarii erant, & toto die rebus domesticis procurandis asidue impigreque insudabant, sed in rebus spiritualibus non adeo diligentes erant, nec de oratione, lectione, recollectione spirituali tantum laborabant; parum afficiebatur, paruique eosdem faciebat, quin imo indignos censebat, qui propterea aliquo apud ipsum essent loco. At si quem videret, qui erga res spirituales mirifice afficeretur, deque suo profectu maxime sollicitum, etsi alioquin nullum domesticum officium obire nosset, & ad opera externa prorsus esset inutilis, quia erat aut debilis aut æger; erga hunc se aiebat incredibiliter affici, eumque magni facere. *S. Fulgentius virtutem prætulit industriæ.* Et merito, quid enim refert, aut prodest, præclaras alicui à natura dotes ac talenta inesse, si non sit obediens, & sese submittens, & superior de illo vti voluerit disponere nequeat? præsertim si hæc illi aut maioris libertatis prætendendæ, aut exemptionis alicuius assumendæ sint occasio. Vnde longe illi foret satius, huiusmodi eum dona & talenta naturæ nunquam habuisse. Si à superiore in rationum exactione Deus petiturus esset, habuissetne in domo sua homines egregie practicos, & eximiis donis instructos, bene quidem de huiusmodi rebus sollicitus esset: sed nihil minus quam tale quid ab illo tunc Deus petet; at vero quæret, num curarit ac sollicitus fuerit, vt subditi sui in spiritu proficerent, vt indies magis in virtute progrederentur, num pro facultatum & talentorum à Domino magnitudine ac modulo quisque illorum suo officio functus sit, & partibus suis satisfecerit, & illarum ergo nullum in profectu suo spirituali detrimentum passus sit. Quarum rerum etiam à subdito rationem Deus exposcet. *Adueniente die iudicii*, inquit vir ille venerabilis, *non quæretur à nobis quid legerimus, sed quid fecerimus; non quam bene dixerimus, sed quam religiose vixerimus.* *Thom. à Kempis Lib. 1. de contempt. mundi. c. 3.* Cum discipulos suos ad prædicandum Dominus Iesus emisisset, illi, vt refert Euangelium, cum gaudio & gloriantes ad eum reuertebantur, dicentes, *Domine, opera mirabilia & miracula fecimus, vt etiam dæmonia nobis in nomine tuo subiecta sint & obediant.* Sed illis Redemptor ait, *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* *Luc. 10. 20.* In sola quippe regni cœlestis conquisitione & comparatione gaudere & lætari debemus; cum sine hac vna omnia nobis miracula nihil sint profutura. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* *Mat. 16. 26.*

Si autem ita tam nos, quam ipsemet Christus Dominus de occupationibus & ministeriis spiritualibus, ad animas etiam & lucrandas & conuertendas institutis, censeat; illorum scilicet causa, non debere nos nostri ipsorum obliuisci, (quod nihil prorsus vtilitatis nobis hæc allaturæ sint, etiamsi orbem vniuersum ad Deum conuerteremus) quid erit de reliquis omnibus occupationibus dicendum? Nefas scilicet est Religiosum ita studiis litterariis absorberi, & occupationibus se immergere externis, vt proprii eum profectus capiat obliuio; orationis inquam, examinis conscientiæ, exercitii mortificationis ac pænitentiæ obliuiscatur; de rebus spiritualibus postrema sit & minima cura, tempus etiam inconuenientissimum illis assignetur, &, si quod sit exercitium omittendum, illarum solum prætermittatur quod qui faceret, næ is sine spiritu viueret, & non sicut Religiosus.

De discipulo suo Dositheo refert S. Dorotheus, eum, cum infirmorum cura illi *Dorotheus.*

illi esset concredita, sui officii partes sedulo impleuisse, insignem ægrorum curam habuisse, lectos scite decenterq; instrauisse, cubicula nitide cōposuisse, ita vt mirus in re omni nitor & mundities reluceret. Quodam tempore cum ipse Dorotheus valetudinarium adiret, ægros inuisurus, ait illi Dositheus, Venit mihi, Pater, quædam vanæ gloriæ cogitatio, quæ mihi suggerit, dicens, Quam bene omnia nitideq; adornasti! quam hoc superiori tuo futurum est gratum! Vnico autem Dorotheus responso omnem vanæ gloriæ titillationē ab eo statim amouit, dicens, Valde quidem sedulus & operosus, non tamen bonus & probus effectus es monachus: bonus quidem ac diligens infirmarius, non tamen bonus Religiosus. Det igitur quislibet operam, itaque viuat, ne hoc de se dici queat: Bonus quidem valetudinarii curator, aut bonus ianitor factus es, at parum bonus Religiosus: eximius quidem scholaris, magnus Doctor, ac bonus concionator euasisti, non tamen probus laudatusque Religiosus. Non enim idcirco huc venimus, sed tantum vt boni Religiosi simus: hoc vnum est, quod nobis æstimandum & procurandum, semperque præ oculis habendum est, reliqua vero omnia nonnisi vt accessoria & velut appendix, respectu profectus nostri spiritualis, habenda sunt: secundum illa Christi verba, *Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Thom. à Kempis Lib. 1. de contempt. mundi. c. 3.

Luc. 10. 20.

Mat. 16. 26.

Matth. 6. 33.

De priscis illis Eremitis & Anachoretis legimus, eos, quia non semper legere, meditari & orare poterant, reliquū tempus cistellis & sportulis, aliisque manualibus operibus conficiendis impendisse, ne prorsus otiarentur; nonnullos vero eorum ad anni finem, ea quæ toto anno operati erant, igni inijcere solitos, quod redacta ex iis pecuniola ad sui sustentationem minime opus haberent; nam solum ad otium euitandū, ac tempus bene impendendum laborabant. Sic nos in nostrum proprium profectum ante omnia & potissimū intendere oportet; reliqua vero negotia & occupationes, tametsi in proximi gratiam susceptæ, non aliter assumendæ sunt, quā suas sancti illi Eremicolæ sportulas texebant: non autem vt idcirco nostri ipsorum obliuiscamur, aut animæ propriæ negotia negligamus, aut earū causa, vel minimū à perfectione, quā spectamus, desciscamus. Quamobrem id semper veluti fundamentū, & ceu primū quoddam principium, tenendū; videlicet exercitia spiritualia, quæ ad nostri ipsorū profectum diriguntur, semper primo esse loco & præ aliis exercenda, nulla etiā de causa, eadem intermittenda. Hoc namq; est, quod integros nos conseruare debet, & in virtutum via progredi faciet, in quo si vel modicum defecerimus, statim nos à recto tramite deflectere ac deficere apparebit. Et sane nimis quam quotidiana experientia notissimum est, dum in via perfectionis deficim⁹, non aliā defectus huius causam esse, quam quod nonnihil in spiritualib. exercitiis refriximus atq; intepuimus. *Aruit cor meū, quia oblitus sum comedere panem meum.* Si enim animæ nobis alimentū & restauratio desit, proculdubio languidi, debiles & torpidi efficiemur. Quamobrem B. P. N. serio idipsum nobis inculcat, ac sæpius rei huius nos cōmonefacit. Quodam enim loco sic ait: *Eorū qui in probatione versantur, quin imo cæterorum omnium studium circa ea versari debet, quæ ad sui abnegationem spectant, atq; vt magis in virtute & perfectione proficiant.* Et alio loco sic: *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, & deuotioni quærendæ pro mensura gratiæ Dei ipsis cōmunicatæ insistant.* Demū alio sic loquitur: *Singuli præfinitum sibi tempus orationi, meditationi, lectionique impendant cum omni diligentia in Domino.* Notandum vero illud quod ait, *Cum omni diligentia.* Inde ad oculum patebit, nemini, cum bona superiorum venia, etsi plurimis alioqui, tum à superiore iniunctis, tum ratione officii quo fungitur, sibi necessario exequendis, negotiis distineatur, exercitia ordinaria spiritualia omittere fas esse, neque enim vllus superior est, qui

Cassian. lib. 10. c. 24. de Abbate Paulo.

Dorotheus.

Psal. 101. 5.

3. p. constit. c. 7. c. 27. & 109. 12. summarii.

Reg. 21. summarii.

Obedientia non vult, & superior nequit tempus Orationis tollere.

qui regulas, & quidem regulas tanti momenti, quanti ista sunt, à quoquam suorum violari infringiq; velit. Nemo proinde suæ imperfectioni ac negligentiæ in exercitiis spiritualibus exequendis obedientiæ velamen prætexat, dicendo, Non potui orationem, vel examen conscientiæ, vel lectionem spiritualem instituere, quia rebus aliis obedientia me occupauit. Neque enim obedientia his impedimento est, sed propria socordia & exiguus erga res spirituales affectus. Vnde S. Basilius monet, fideliter admodum Deo nos tempora impendere debere, quæ orationi & exercitiis spiritualibus exequendis præfinita habemus. Si contingat autem subinde, vt ob occupationem necessario ingruentem orationi vel conscientiæ examini insistere debito tempore non possimus; magnum quoddam desiderium defectum hunc supplendi, & quam possumus citissime reparandi, habere debemus. Vti verbi gratia, quando satis ac sufficienter naturæ non comedimus, vel dormiuimus, quod noctem totam apud ægrum egerimus, tum vt illius confessionem exciperemus, tum vt ad feliciter moriendum eum disponeremus; statim illum defectum supplere satagimus, & tempus commodum ad hoc nobis non deest. Atque hæc superiorum mens & intentio est, si quando aliquem eo qui spiritualia sua exercitia obire solet, tempore, aliis, quod aliquando ita rei necessitas postulet, occupant: neque enim propterea hæc volunt ab ipso omitti, sed duntaxat paulisper differri, ac posteà plene perfecteque suppleri, iuxta illud Sapientis monitum, *Non impediaris orare semper:* non ait, *Non impedias*, sed, *non impediaris*, id est nullum sit impedimentum, vel turbatio tam magna, quæ obstet, quo minus semper orationem tuam peragas. Bono autem Religioso nunquam huiusmodi impedimentum occurrit: semper quippe reperit tempus aliquod oportunum, quo defectum suppleat & reparet.

Serm. de renunt. sæculi istius, & spirit. perfectionis.

Si necessario differatur, quamprimum suppleri debet, omitti nunquam.

Eccl. 18. 22.

S. Dorotheus cum esset hospitum & peregre venientium fratrum curator, ac proinde serius cubitum cōcederet, nonnunquam etiam noctu de lecto surgeret, quo hospitibus necessaria subministraret; nihilominus scribitur, semper cum fratribus reliquis ad orationem surrexisse; quin etiam fratrum cuidam curam dedisse, vt se è somno excitaret, quod id excitator matutinus (quod eum sciret officiis suis in multam noctem occupatissimum fuisse) facere differret; quo accedebat, quod è febri quadā is nondum plene conualuisset. Hoc scilicet erat, ne qua in parte quis exercitiis suis spiritualibus desit, ac ne, quo minus ea obeat, aliquam occupationem in causa fuisse prætexat, & propter illam deinde reliquo die exarmatus ac turbatus incedat. Eodem etiam loco quidam senex Angelum refertur vidisse, thurificantem omnes, qui diligenter ad orationem se contulerant, necnon vacua illorum loca, qui à superiore impediti orationi interesse non poterant, non autem illorum, qui præ negligentia propria eam omittebant. Erit hoc & consolationi iis, qui ob occupationes à superiore iniunctas, præfinito ac debito tempore vna cum reliquis spiritualibus exercitiis intendere nequeunt, & vt sedulo aduigilemus, ne è propria negligentia & socordia eadem omittamus.

S. Doroth. Serm. seu doct. II. in Biblioth. SS. PP. Tom. 3.

CAPVT II.

De affectu & desiderio, quo erga virtutem ac perfectionem ferri debemus.

BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Etsi Iustitia particulare & proprium sit nomen vnius de quatuor virtutibus cardinalibus, quæ ab aliis tribus distincta sit, simul tamen vniuersale & commune omni virtuti & sanctitati nomen est. Bonam siquidem & sanctam vitam vocare solemus iustitiam, sanctum vero & virtutis sectatorem,

Matth. 5. 6.

Iustitia pro perfectione accipitur.

Prov. 11. 6. rem, iustum dicere. Vnde ait Sapiens, *Iustitia* (id est sanctimonia) *rectorum liberabit eos.* Atque hoc eam modo in multis sacræ Scripturæ locis accipi videmus. *Matth. 5. 20.* Dixit Redemptor noster Iesus, *Nisi abundauerit iustitia vestra,* id est, nisi virtus, religio ac sanctimonia vestra fuerit maior, *plusquam Scribarum & Pharisæorum.* Hoc item sensu capienda illa sunt eiusdem Christi ad Ioannem Baptistam, eum baptizare detrectantem, verba: *Matth. 3. 15.* *Sic decet nos implere omnem iustitiam,* id est, exemplum dare obedientiæ, humilitatis, omnisque perfectionis. Hac item significatione sumitur in verbis illis initio positis. Beatos ergo pronunciat Dominus eas, qui tam incredibili introrsum virtutis ac perfectionis desiderio ardent, vt eam & esurire & sitire videantur, quoniam illa saturabuntur, & eiusdem tandem compotes fient. Atque hæc vna est de octo illis beatitudinibus, quas nobis ipse in præclaro illo sermone, in monte habito, & docuit & prædicauit. In quæ verba sic scribit *S. Hieron.* S. Hieronymus, *Non nobis sufficit, velle iustitiam*, id est virtutem & perfectionem, nisi etiam quamdam iustitiæ virtutisque patiamur famem & sitim, vt dicere *Psal. 41. 2.* cum Propheta possimus, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Perfectio pendet ab eiusdem desiderio.

Tanti autem momenti res hæc est, vt, quemadmodum superiori capite dicere cœpimus, ab ea omnis noster in Spiritu profectus & incrementum dependeat, & ipsa totius perfectionis assequendæ principium sit atque vnicum medium: iuxta *Sap. 6. 18.* illud Sapientis, *Initium enim illius*, sapientiæ inquam (quæ est ipsa Dei cognitio & amor, in quo omnis nostra sita perfectio est) verissima, & cordialis, & intima *est disciplinæ concupiscentia* ac desiderium. Ratio autem rei huius hæc est, quia, vt docent Philosophi, in omnibus rebus, ac præsertim moralibus, amor & concupiscentia finis, prima est causa, à qua reliquæ omnes ad operandum commouentur: adeo quidem, vt quo maior est amor & desiderium finis, eo etiam maior eius assequendi cura adhibeatur & diligentia. Vnde permagni refert, vt ipsum virtutis ac perfectionis desiderium magnum sit, vt simul ipsa eius consequendæ & habendæ cura & diligentia, magna sit. Tam porro, vt profectum aliquem faciamus, necessarium est, hocce nobis desiderium inesse, quod ex intimo cordis nostri proueniat, nosque post se abripiat, vt ita necesse non sit nostrum in hac re impulsum sequi, vt, qui ipsum minime habuerit, parua de eo spes habenda sit. In exemplum afferamus Religiosum; & sibi deinde doctrinam hanc quisque iuxta statum suum applicare poterit. Bona quidem & pernecessaria in omni Religione res est, accurata superiorum super subditos suos vigilantia; necessaria ibidem quoque est reprehensio, & in delinquentes animaduersio, ei tamen Religioso, qui nonnisi hoc intuitu & respectu sua omnia agat, non multum fidendum est: quia is respectus ad summum causa erit, vt ad aliquod tempus, quando super eum oculus superioris aduigilat bene rem agat; at, si ex sincero corde, & è vero suiipsius profectus desiderio hoc non egerit, parua rei huius habenda est ratio, quia is non poterit durare, sed statim deficiet.

Quantus amor finis, tantæ reliquæ operationes.

Digerentia motus naturalis & violenti.

Hæc inter ea, quæ metu quodam violento, & ea quæ naturaliter mouentur, est differentia: quod quæ violenter mouentur (quia motus is è vi & impressione aliena tantum oritur) quo longius feruntur, eo feruntur debilius & languidius; sicut in lapide in altum & sublime vi quadam eiecto cernere est. In iis autem quæ motu naturali mouentur, sicut dum is lapis ad suum rursus centrum descendit, plane contra euenit; quia quo longius illa progrediuntur, eo mouentur celerius. Hoc porro discrimen etiam cernere est inter eos qui sua ideo tantum obeunt, quod aut

Matth. 5. 6.

Iustitia pro perfectione accipitur.

corripi castigarique facto vel verbis à superiore vereantur, aut quod ab ipso præsente coram videantur, aut ob alios quosdam respectus humanos, & inter eos, qui vel amore virtutis, vel puro Deo placendi desiderio ad eadem facienda impelluntur: quod primus ille impetus non duret diutius, quam ipsa duret reprehensio, & alterius desuper aduigilantis inspectio; quam primum vero deficiat ac pereat. S. Gregorii Pontificis annita Gordiana (vti ipsemet scribit) dum à sororibus suis Tarsilla & Æmiliana leuitatis morum, & quod decentem grauitatem minime seruaret, quam religiosus habitus, quem exterius gestabat, requireret, insimularetur; tam diu quamdam vultus grauitatem præferebat, quam diu à sororibus reprehendebatur, atque in bonam omnia partem accipere videbatur: sed statim ac reprehensio & correptio sororia transisset, fictam illam ementitamque grauitatem seponebat, tempusque omne in fabulas, & leuitates, & iocularia cum sæcularibus, quæ in Monasterio eodem commorabantur puellis colloquia impendebat. Erat scilicet ipsa adinstar arcus cuiusdam valido adactoque neruo intensi; nam cum hic remittitur, simul etiam ille remittitur, & in primum naturalemque situm reuertitur. Quia enim id ex animo sincero non procedebat, sed violentum quid erat & coactum, idcirco nec durabile, nec perseuerans.

Gregor. homil. 38. in Euangelia.

Nullum violentum perpetuum.

Porro ipsum perfectionis negotium violenter agendum non est, sed ex animo & corde vere procedat oportet. Atque id innuunt illa Redemptoris nostri Iesu ad adolescentē illum Euangelicum verba: *Si vis*, inquit, *perfectus esse*. Nam si ipse nolis, omnis aliunde diligentia & remedia quæ adhibere poterunt superiores ad te perfectum faciendum, frustra erunt. Atque hæc responsio & solutio eius est quæstionis, quam S. Bonauentura proponit, cur scilicet olim vnus superior mille regendis monachis, imo (vt S. Hieronymus & Augustinus scribunt) tribus, aut etiam quinque millibus sufficeret, qui scilicet omnes sub vno superiore & Archimandrita solebant esse; hodie vero nonnisi ad decem, vel etiam pauciores, regendos, rector ac superior vnus vix sufficiat? Rei huius causa est; quia antiqui illi Monachi viuum quoddam & ardens perfectionis desiderium suo in corde habebant, & qui interius ibi ardebat ignis, eos ad proprium profectum ex animo faciebat intendere, & magno quodam in via perfectionis feruore pergere. Nam *fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Qua Spiritus sanctus metaphora euidenter admodum velocitatem & agilitatem expressit, qua iusti per virtutis iter, vbi ignis hic in eorum cordibus semel exæstuare cæpit, currunt. Cernere est quanta in arundineto arido, si quando ignis in id incidit, flamma celeritate & leuitate discurrendo vagetur: neque vero minori iusti per virtutis semitam feruntur, quando ab igne illo diuino succensi & inflammati sunt. Quia autem ita hoc æstuabant prisci illi monachi, propterea nullo, ad hoc incendium inijciendum, habebant superiore opus; sed tantum vt ardorem hunc semel conceptum & aleret & foueret. At quando dium illud incendium nullum in corde hominis locum habet, non modo vnus superior decem regendis non sufficiet, verum nec decem quidem vni colendo & ad perfectionem promouendo, si is à parte sua nolit satis erunt. Res hæc manifestissime & ad oculum patet: quid enim profuerit obire & lustrare cubicula ad videndum num quis orationi incumbat? an non, postquam iam visitans clauso ostio recessit, qui visitatus est facere intus queat quod libuerit? an non, quamuis genua in speciem orantis flectat, de studiis, negotiis agendis, aliisque id genus rebus impertinentibus cogitare. An non, quando ei ratio conscientiæ reddenda est, ea tantum dicere potest quæ voluerit, & præterire silen-

Matt. 19. 21.

Opusc. de perfect. Relig. l. 1. c. 39.

Cur olim multis millibus vnus præesse potuerit superior, nunc vix paucis.

Sap. 3. 7.

Voluntas perfectioni necessaria.

tio, quæ magis scire interrogantem referat? An non, dicere, omnia sua bene se habere, cum tamen adeo bene non habeant, vt etiam male? Nam frustra de foris omnia adhibentur remedia, si ipse à parte sua nolit, & sincere & ex animo perfectionem non desideret. Locum hic habet id quod respondit olim S. Thomas Aquinas: Cum enim quodam tempore eum soror interrogaret, quonam posset modo saluari; respondit vir sanctus, *Volendo*. Si enim ipse velis, *saluaberis*; si velis, *proficies*; si demum velis, *perfectus eris*. In hoc itaque totius difficultatis cardo vertitur, vt modo velis, & ex animo serioque id desideres: Deus enim à parte sua paratissimus est ad nobis succurrendum. Id si non feceris, quidquid hac in parte superiores facere possunt, frustraneum & superfluum erit. Tu tuum ipse cordi habere profectum debes, id enim tibi soli faciendum incumbit, tua in eo res vertitur, non autem aliena, & ob hanc causam Religionem ingressus es. Persuadeat autem sibi quisque, quo die in hoc negotio elanguerit, suiipsius & eorum quæ ad profectum suum pertinent, oblitus fuerit, & vt exercitia sua spiritualia bene peragantur curare destiterit, & viuum illud ardensque proficiendi & in virtute progrediendi, mortificandique sui desiderium intermori cæperit, eo primum die negotium suum malo esse loco incipere. Hinc etiam B. P. N. in ipso Constitutionum ac Regularum nostrarum initio, illud nobis vt fundamentum proponit: *Interna*, inquit, *charitas, & amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet, potius quam vlla externa constitutiones, nos in sancto Dei seruitio conseruatura, gubernatura atque promotura est.* Itaque hic amoris diuini ignis, & maioris eiusdem gloriæ & honoris desiderium, semper nos succendere & excitare debet, vt in virtutem via semper promoueamus & vlterius tendamus.

1. p. lib. 3. c. 37. hist. prædicat.

In proœmio Constitut. §. 1.

Vbi autem hoc desiderium vere in corde ardet, ipsum totis nos viribus cogit ad illud quod desideramus consequendum incumbere. Naturaliter enim semper industrii ac solertes sumus ad quærendum & inueniendum id quod desideramus, & nunquam media nobis desunt illius obtinendi. Quocirca vere supra dixit sapiens, obtinendæ & habendæ sapientiæ principium esse, verum & cordiale eiusdem desiderium & cupiditatem. Præterea, ex hoc quod virtus ex intimo corde desideretur ac procedat, aliud non exiguum bonum sequitur, per quod nimirum medium hoc adeo efficax & potens redditur, nempe quod ea, quæ ex se etiam difficillima sunt, per hoc facilia reddantur & dulcia. Dic mihi, vnde tibi tam facile fuit & mundum relinquere, & religionem ingredi, an non inde, quia id ex animo & corde desiderium tibi enatum est? Dedit namque tibi Dominus efficacem ad hoc voluntatem & affectum, gratiam inquam vocationis, abstulit item omnem affectum erga res mundi, eumque in pium erga ea quæ Religionis sunt affectum commutauit, itaque tibi negotium hoc facile reddidit. Cur autem iis, qui adhuc in mundo manent, ea res tam ardua & difficilis videtur? Quia hanc, quam tibi dedit, illis Deus voluntatem & affectum negauit; & quia, vt ipsimet aiunt, eos Deus huc non vocauit, nec hanc vocationis illis gratiam contulit. Sicut ergo ingens illud desiderium ac voluntatem, quam ad Religionem assumendam conceperas, tibi adeo facilem reddidit, vt nec pater, nec mater, nec reliqui consanguinei, imo ne mundus quidem totus ab ea te diuellere potuerint; ita etiam, vt in Religione aliquem profectum facias, vtque eius exercitia tibi facilia reddantur, illam necesse est voluntatẽ in te integram durare, quã habuisti, dum primum ad statum Religiosum animum applicares, quæ dum durabit, omnia tibi facilia videbuntur; at, si hęc defecerit, vniuersa difficilia, grauia, &

Sap. 6. 18.

Voluntas reddit perfectionis viam suauem.

Nec res ipsa, nec superiores, sed tute tibi difficilis es. ardua tibi apparebunt. Hæc videlicet causa est, cur aliquando ita ponderosi & graues, aliquando è contra ita agiles & expediti in via Domini simus: neque enim aut rebus ipsis, aut superioribus, sed nobis ipsis, paruæque nostræ virtuti & mortificationi ea res asscribenda. Non *Epistol. p. 1. Epist. 2.* secus ac, vt bene ait R. P. Magister Auila, aliquis qui sanus & firmo vegetoque corpore est, sine vlla difficultate ingens aliquod pondus subleuat, æger autem, vel puer dicit, hui quam hoc graue & ponderosum est! Hæc scilicet difficultatis, quam experimur, causa est; qui res quidem ipsæ in se sunt eædem, quæ nobis aliquando visæ sunt etiam leues & faciles, iisque delectati sumus: culpa vero omnis in nobis est, quia cum deberemus esse viri, & multum in perfectionis via, & *in virum perfectum* (vt loqui- *Ephes. 4. 13.* tur Apostolus) excreuisse, in virtute vix dum pueri sumus, & in hocce profectus desiderio, cum quo Religionem ingressi sumus, velut ægri defectis viribus elanguimus.

CAPVT III.

Ingens hoc profectus nostri desiderium, præstantißimum quoddam ad gratiam diuinam recipiendam medium, & primaria dispositio est.

PErmagni quoque nostra refert, hocce in spiritu proficiendi desiderium esuriem & sitim nos habere; illud namque vnum de præcipuis mediis, & è melioribus est dispositionibus, quas quidem à parte nostra, vt quam desideramus, virtutem & perfectionem nanciscamur, ad- *Serm. 3. super Psal. 118.* ferre possumus. Ita quippe S. Ambrosius id asserit, quando, inquit, incredibili quis sui profectus tenetur desiderio, nec non in virtute & perfectione proficere semper & crescere gestit, tantopere id Deo placet, vt bonis, charismatibus & gratiis suis hunc assidue locupletet. Atque huc etiam illa beatissimæ Virginis, quæ in Cantico suo protulit, verba, *Esurientes impleuit bonis*, tra- *Luc. 1. 53.* hit. Idipsum antea & Propheta significarat, dum ait, *Quia satiauit animam inanem*, id est sitibundam, *& animam esu-* *Psal. 106. 9.* *rientem satiauit bonis.* Illos, inquam, qui tantum virtutis ac perfectionis desiderium habent, ipsam vt esurire & sitire videantur, Dominus multis replet & ditat donis spiritualibus; quia summopere illi ardens & bonum cordis nostri desiderium placet. Sic Danieli apparens Angelus Gabriel, ideo eius asseruit orationes à principio exauditas esse, *quia vir desideriorum erat.* Dauidi *Dan. 9. 23.* etiam Regi regnum ideo Deus pro posteris eius confirmauit, quod desiderium ac voluntatem haberet templum ac domum Domino ædificandi, ac licet ab *2. Reg. 7. 12. & 13. & 16.* ipso construi eam nollet, sed filio eius Salomoni illius constructionem reseruaret; hoc tamen desiderium ac voluntas summopere illi placuit, & ab eo non minus meruit compensari, quam si re & opere ipso præstitisset. Zachæus quo- *Luc. 19. 5.* que, vt in Euangelio refertur, desiderauit tantum videre Iesum, & ecce, prius ille à Domino videri meruit, qui & vltro illi se in conuiuam obtulit, eiusque domum ingredi dignatus est.

Magis hoc ipsum exaggerat Salomon, de sapientia, quæ ipsemet Deus est, loquens, dum ait, *Facile videtur ab* *Sap. 6. 13.* *his, qui diligunt eum, & inuenitur ab his, qui quærunt illam.* Nosse vultis quam facile? *Præoccupat*, inquit, *eos qui se ex animo & serio concupiscunt, vt illis se prior ostendat*, iam ipsa ante apud te erat, quam tu eam desiderare inciperes. *Qui de luce vigilauerit ad illam, non multum laborabit* vt eam reperiat, huc illucque discurrendo: nam statim ac domus suæ ianuam aperue-

aperuerit, *assidentem illam foribus suis inueniet*, expectantem vt illi aperiatur. Itaque diuina hæc sapientia, qui ipsemet Deus est, primum aperienti se offeret. O infinitam Dei nostri bonitatem & misericordiam! Satis illi nō est nos quæritare, & hinc inde inuestigare, & ad ianuam nostram semel aut bis pulsare, vt illi aperiamus. *Ecce*, in Apocalypsi, *sto ad ostium, & pulso*: Et in Canticis, *Aperi mihi soror mea*. Hoc inquam Deo satis non est, sed quasi clamando defatigatus, exspectabundus ad fores nostras assidet, indicās se iam dudum ingressurum fuisse, nisi ianuam occlusam inuenisset, nihilominus adhuc inde non abscedere, sed considere, vt statim ac aperueris, in ipsum incidas. *Assidentem enim illam foribus suis inueniet*. Quamuis autem Deo cordis tui ostium aperire, bonisque eius inspirationibus respondere distuleris, non idcirco tamen is inde abiit, quia mauult ingredi, quam re infecta recedere; & ad ostium residendo commoratur, exspectans vt illi aperias. *Expectat*. inquam, *Dominus, vt misereatur vestri*. Neque enim vllus meus tam amici sui familiaris ædes subire desiderat, quam animam vestram Deus; longeque ipse auidius se nobis cōmunicare cupit, inq; nos beneficia aliqua conferre, quam ipsi ad eadem recipienda parati & prompti esse possemus: exspectat tantum & præstolatur, vt illum ipsi ante desideremus, & hoc ipsum pacto esuriamus & sitiamus. Clamat enim, *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*: nam *ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*. Vult itaque Dominus, vt magno erga virtutem & perfectionem desiderio feramur, vt, cum aliquid horum ipse nobis dederit, illud nos velut pretiosum quid, magnificare & conseruare nouerimus: quod enim parum desideratur, id, postquam iam concessum & datum est, parui etiam fieri ac vilipendi solet. Atque idcirco, vna de præcipuis causis, ob quas in virtutum studio tam parum promouemur, & in via perfectionis semper in posterioribus hæremus, est, quod eam ardenter nec esuriamus, nec sitiamus. Tam frigide & languide quippe eam desideramus, vt quæ habemus desideria, magis mortua & frigida, quam viua & ardentia esse videantur.

Apoc.3.20.
Cant.5.6.
Isa.30.18.
Ioan.7.37.
Apoc.21.6.

Sunt quidam, vt ait Sanctus Bonauentura, qui bona quidem concipiunt proposita, & multa sancta desideria; sed nunquam seipsos vincunt, aut aliquam sibi vim inferunt, ad eadem opere ipso exequenda, iuxta illud Apostoli, *Velle adiacet mihi, perficere autē bonum non inuenio*. Hæc sæpenumero vera proposita aut desideria non sunt, sed nonnisi quædam velleitates, quæ quidem vellent, non tamen volunt. Vti *piger*, qui *vult*, *& non vult*: neque enim manum operi vult admouere, de quo alio loco ait Sapiens, *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat*, hinc, teste Sancto Hieronymo, *in desideriis est omnis otiosus*. Vnde Magister Ioannes Auila non incongrue huiusmodi homines comparat iis, qui inter somniandum magna quædam & multa se agere putant, at vbi expergefacti sunt, eorum nihil, sed plane aliter agunt. Secundum illud Prophetæ, *Sicut somniat esuriens, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius*: ita hi, quamdiu orationem peragunt, multa & magna pati, ab omnibus etiam contemni & vilipendi velle videntur: at, postquam inde digressis aliqua horum offertur occasio, longe secus agunt quam conceperant. Somniarant scilicet, nec eorum vera fuerant desideria. Alii vero pictis in tabella militibus eos similes esse dicunt, semper quidem stricto mucrone hostem ferire paratis, nunquam tamen ictum vllum vibrantibus. quibus illud Psalmographi applicare liceat, *Verumtamen in imagine pertransit homo*. Atque ita nonullis vita omnis præterit in ictu semper intentando, & nunquam dando. Isaias demum eos assimilat

Process.4. Relig.c.3.
Rom.7.18.
Prou.13.4.
Prou.21.22.
Epist.4.ad Rustic. Monach.
Isa.29.8.
Psalm.38.7.

mulieri parturienti, & præ dolore clamitanti, nunquam tamen fœtum vllum in lucem edere absoluenti: *Venerunt Filii vsque ad partum, & virtus non est pariendi.* Sic hi semper quidem bonum aliquod parere videntur, ac nunquam id pariunt, aut parere desinunt. Sanctus Hieronymus in illa Domini apud Matthæum verba, *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*, sic scribit, *Væ illis animabus, quæ non perduxerunt sua genimina*, id est bona desideria *in virum perfectum*; sed ea mox vt concepta sunt, in conceptu & vtero suffocarunt: nam nunquam in operis lucem ea proferre, aliud non est, quam velut in vtero offocare & enecare. Væ inquam iis, quorum tota vita in desideriis meris consumitur, & quos ingruens inexspectato mors omni prorsus opere destitutos reperit. Postea quippe non solum concepta olim & habita desideria illis non proderunt, verum etiam castigationem promerebuntur, quod bonas à Patre luminum datas inspirationes, executioni non mandarint, atque adeo tunc illæ, velut proprii filii in parentes, aduersus eos insurgent, à quibus vice versa propugnati fuissent, si eos in lucem enixi essent.

Isa.37.3. 4.Reg.19.

Cap.24.19.

Quemadmodum Absalomi fulua & super aurum rutilans cæsaries laquei vice postea fuit; ita multi tempore mortis è bonis & auratis suis desideriis suspensi interibunt. Vidisse se Sanctus Ioannes in Apocalypsi sua scribit mulierem parturientem, illique adstantem vastum quendam draconem, ad fœtum iam recentes editum in lucem, deuorandum: sic quoties anima bonum aliquod sanctumue propositum concipit, omnibus viribus suis dæmon ipsum tollere aut interturbare conatur: vnde nostrum est, ex aduerso omnibus neruis & qua possumus contendere, vt desideria nostra sint huiusmodi & tantæ efficaciæ, vt eadem opere ipso post exequamur. Hoc & Isaiam verbis illis tam prægnantibus quam breuibus, *Si quæritis, quærite*, velle Sanctus Bernardus ait, quasi dixerit Propheta: Nolite defatigari, quia desideria & proposita vestra debent esse efficacia, & ad extremum vsque perseuerando durare; & talia esse, quę vos maxime sollicitos & anxios reddant, ad Deo magis magisque indies placendum. Iuxta illa Micheæ verba, *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Feruida & ardentia scilicet hæc desideria à nobis Dominus exigit, vt ob eadem nos ipse beneficiis cumulet, & omnigenis bonis repleat. Beati ergo illi, qui virtutem & perfectionem tam ardenter esuriunt & sitiunt, quia ipsi haud dubie saturabuntur, & desideriis ipsorum Deus satisfaciet. Sic Sanctæ Gertrudi dixisse legitur Dominus, Ego vnicuique fidelium auream dedi fistulam, per quam è deificato corde meo quidquid desiderat exsugat & in se attrahat hancque ipse fistulam dixit esse bonam cuiusque voluntatem & desiderium.

2.Reg.18.9.

Apoc.11.2.

Serm.2.de altit. & bas. sit.cord.

Isa.21.12.

Mich.6.8.

Bona voluntas quiduis à Deo obtines.

CAPVT IV.

Quo quis magis & studiosius rebus spiritualibus se applicat, eo maiori erga easdem desiderio & voluntate fertur.

QVi edunt me, adhuc esurient; & qui bibūt me, adhuc sitiēt, ait Spiritus sanct⁹ de diuina sapientia loquens. Illud siquidem, teste Sancto Gregorio Magno, inter bona ac delectationes corporales & spirituales discrimen est, quod illæ dum nondum habentur, ingentem sui appetitum ac desiderium prouocent; at, postquam illis iam potimur, ipsum quod adepti sumus, parui aut nihili faciamus. Verbi gratia, qui in sæculo ad alicuius colle-

Eccl.24.29.

Hom.36.in Euangel.

collegii regentiam vel Cathedram doctoralem desiderat promoueri; mox vbi vtriuslibet redditus fuerit compos, illa parui æstimat, sed in aliud quid maius oculos coniicit, puta in opimum aliquem Canonicatum, vel præsidentiam in Parlamento prouinciali: quæ etiam postquam iam nactus fuerit, illico rem habitam fastidiens, adhuc ad sublimiora aspirat, scilicet ad locum in Concilio ac Parlamento Regio, & exinde ad Episcopatum: ac ne illo quidem donatus quiescit; sed statim in aliam adhuc sublimiorem dignitatem ampliorem que oculos coniicit: atque adeo omnia quæ hactenus adeptus est parui facit nec vllam in ipsis quietem inuenit.

At in rebus spiritualibus plane secus sese res habet: illæ enim dum non habentur, quandam nobis non habentibus sui nauseam pariunt, & tunc nimium quantum ipsi ab iis alieni sumus: at postquam eas iam gustare cæpimus, & reipsa possidemus tum pluris facimus, magisque erga easdem afficimur, & eo magis, quo plus eas degustamus & tractamus. Cuius discriminis rationem sanctus Pontifex hanc assignat: Quod, cum bona & delectationes temporales iam adipiscimur & possidemus, tum melius earum insufficientiam & imperfectionem cognoscamus; &, quoniam videmus illas nos minime satiare, nec satisfacere, nec illam quam sperabamus in ipsis, satisfactionem adferre, parui pendamus quidquid consecuti sumus, & aliud quid maius sitiamus & appetamus, rati in illo nos quam spectabamus, voluptatem & satisfactionem reperturos. Et sane nos ipsi decipimus: nam erit idem omnino, postquam & hoc, & illud, & alia plura assecuti fuerimus: nulla quippe res mũdi hui⁹ plene nos reficere ac satiare potest. Atq; hoc est quod Samaritanæ alias Redemptor Iesus ait: *Omnis qui bibet ex aqua hac, sitiet iterum.* Bibe quantum libuerit, ex aqua mundi huius, post paulo rursus eamdem sitire incipies, nec sitim restingues neque enim voluptatum ac delectationum, quas offert mundus, aqua sitim nostram restinguere & pellere potest, at bona & voluptates spirituales, vbi plene possidentur, tum primum amari, magisque desiderari incipiunt: tum quippe earum pretium & valor magis perspicitur, & quo perfectius eas possederimus, eo ipsas audentius sitiemus & esuriemus. Neque vero mirum est, vt ait ibidem S. Gregorius, eum qui spiritualia non est expertus, nec gustare cœpit, iisdem non inhiare aut appetere. *Quis enim amare & desiderare valeat, quod* non cognoscit, aut quale sit *ignorat*? Vnde scribit S. Petrus, *si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*: Et Psalmista, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.*

Ioan. 4. 13. / 1. Pet. 2. 3. / Psal. 33. 9.

Postquam enim Deum resque spirituales perfecte gustare inceperis, tantam in ipsis dulcedinem & suauitatem inuenies, vt illis satiari non posse, sed tuas, post illas vt vulgo dicitur, absumpturus manus videaris. Atque hoc est, quod illis Sapiens verbis indicare nobis velle videtur, *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Siquidem quo magis te rebus spiritualibus ac diuinis dederis, eo maiorem earum famem & sitim habebis. At dicet aliquis, quomodo concordant hæc cum eo, quod Samaritanæ ad puteũ Christus dixit: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hic enim ait Christus, eum, qui biberit ex aqua quam ipse daturus est, nunquam amplius siti laboraturũ: priori vero loco per Sapiẽtem Spiritus sanctus dicit, nos, quo plus biberimus, eo etiam plus sitituros. quomodo ergo vtraque hæc verba inuicẽ consentiunt? Quæstioni huic pro me respõdent sancti Patres, Christiq; ad Samaritanam verba, sic intelligenda videri; eũ videlicet qui ex aqua viua, quã ibidẽ promittit, biberit, nullam amplius sensualiũ & mundanarum delectationũ sitim passurum, rerum scil. ad spiritum & Deũ spectantiũ dulcedine efficiente vt ei illę insipidæ videãtur. Vnde præclare S. Gregorius: *Sicut post gustum mellis omnia videntur insipida; ita gustato spiritu* rebusq; spiri-

Ioan. 4. 15. / Gregor.

ſpiritualibus ac diuinis, deſipit homini omnis caro, & quidquid mundanum eſt, illi amarum & faſtidioſum videtur. Quod autem Sapiens ſuperius indicato loco ait, *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*, de iiſdem rebus ſpiritualibus intelligi volunt: quo enim Deum quis & ſpiritualia magis deguſtabit, eo erga eadem maiori ardentiorique deſiderio & ſiti feretur. illorum quippe valorem ac pretium tum magis perſpiciet, euidentiuſque, quanta illarum ſuauitas ſit ac dulcor, cognoſcet; itaque maius erga illa deſiderium concipiet. Ita ſcilic. duo hæc loca ſancti Patres conciliant.

Porro quomodo hic Salomonis locus conueniat cum eo quod apud Matthæum Chriſtus dixit, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*? Hic iuſtitiam eſurientes & ſitientes ſaturandos ſpondet; Sapiens autem inſinuat eos, qui Dominum comederint ac biberint, maiori eiuſdem fama & ſiti laboraturos; Quomodo vero ſimul conſiſtere queunt eſurire ac ſitire, & ſatiari? Inſignis porro quædam ad hoc reſponſio eſt. Tanta ſcilicet horum bonorum ſpiritualium dignitas atque excellentia eſt, vt, licet ſatient, ſimul tamen famem excitent; cum cor noſtrum reficiant ac contentent, ſitim ſimul quandam ſui prouocent. Eſt nimirum ſaturitas cum noua fame coniuncta & eſuries quædam ſacietatem plenam includens. Hæc nempe horum bonorum dignitas, magnitudo, ac præcellentia eſt, vt quidem cor hominis ſatient ac plene reficiant, ita tamen vt ſemper poſt denuo ea & eſuriamus & ſitiamus; & quanto plus ex iis guſtamus, comedimus, bibimus, tanto eorum eſuries & ſitis plus increſcat. Hæc porro fames & eſuries nequaquam cor hominum cruciat, ſed delectat; ſitis hæc non fatigat, nec torquet, ſed recreat potius, & quamdam in corde ſatisfactionem & ingens gaudium adfert. Eſto perfecta & completa ſaturitas nonniſi in cælo futura ſit, ſecundum illa Pſalmiſtæ verba, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; Et *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*.

Matth. 5. 6.

Pſal. 16. 15.
Pſalm. 35. 9.

In hac ipſa tamen gloria cæleſti, Sanctus Bernardus ad illa priora verba ſcribens, ita nos ait ab ipſa Dei Optimi Maximi viſione ſatiandos, vt ſemper velut eſurientes & ſitientes futuri ſimus: quia nullum nobis ter beata illa Dei viſio faſtidium cauſabitur; ſed ſemper nouum quendam Dei videndi, & eo gaudendi appetitum nobis excitabit, perinde ac ſi eum primo tunc videre inciperemus. Sic Ioannes in Apocalypſi ſua vidit beatos & electos ante thronum & Agnum ſtantes, & magno animi iubilo & exultatione *quaſi Canticum nouum cantantes*. Quia canticum illud ſemper nobis erit nouum, & diuinum illud manna tam nouum, & inexpertum quotidie dabit ſaporem, vt ſemper, velut noua admiratione perfuſi, dicturi ſimus, *Manhu! Quid eſt hoc!* Ita porro, in hoc mundo etiam de rebus ſpiritualibus & ſentiendum & dicendum eſt (quædam quippe ſunt cæleſtium participatio:) ex vna enim parte ſatiant, & famem pellunt, corque adimplent; ex alia vero nouam ſui ipſarum & famem & ſitim excitant; &, quo plus iis nos damus, profundiuſque illas deguſtamus, ac fruimur, magis ad eaſdem eſuriendo ſitiendoque inardeſcimus. Hæc porro fames, quædam ſatietas eſt, hæcque ſitis, quædam animi eſt refocillatio, & ſumma refectio. Hæc autem omnia tantam in nobis rerum ſpiritualium æſtimationem, tamque æſtuans erga eaſdem deſiderium & affectum excitent neceſſe eſt, vt mundana & terreſtria omnia & obliti & peroſi, cum Apoſtolo Petro dicamus, *Domine bonum eſt nos hic eſſe.*

Serm. 64. ex paruis.

Apoc. 14. 3.

Exod. 16. 6.

Matth. 17.

* * *

CAPVT

CAPVT V.

Euidens argumentum est aliquem in Dei gratia esse, si ardenti quodam studio in perfectione sui crescere & proficere concupiscat.

VT autem ad feruens profectus nostri desiderium, & inexplebilem quandam famem ac sitim in virtute progrediendi, Deoque quotidie magis magisque placendi, concipiendum magis animemur, maioremque ad hoc curam & diligentiam adhibeamus; non parum ad hoc vtilis nobis erit quædam maximi momenti res, maximæque consolationis, cogitare scilicet, desiderium hoc vnum de maximis ac certissimis signis esse, Deum in alicuius anima commorari, eique bene cum Deo conuenire. Testatur hoc Sanctus Bernardus, dicens, *Nullum omnino præsentiæ Dei in anima certius testimonium est, quam desiderium gratiæ*, virtutis ac perfectionis *amplioris*. Confirmat id verbis ipsiusmet Dei apud Sapientem loquentis, *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.* Si itaque insatiabilem rerum spiritualium & diuinarum famem & sitim habeas, gaude & lætare, quia id nota & signum certum est Deum in anima tua habitare. Ipse siquidem vnus hanc tibi famem ingerit, hanc ipse in te sitim prouocat, in ipsam igitur diuini huius thesauri venam recte incidisti, cum tam bene eam sequendo inuestiges. Atque vt canis venaticus segniter & torpide progreditur, tum cum feræ vestigia nulla dum notauit; atque postquam ea iam subolfecit, feruenti impetu & festiue ruit, huc illucque discurrens quæritans quod odoratus est, nec ante quiescit, quam quod quærit inuenerit: sic qui reuera

Serm. 2. de S. Andrea.

Eccle. 24. 29.

semel diuinæ illius suauitatis fragrantiam percepit, festinanter in vnguenti huius tam pretiosi odorem currit. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Deus quippe, qui intra te est, te post se rapit. Si autem hanc in te famem & sitim non comperis, timendum sane tibi, ne id ideo forte sit, quia non habitat Deus in corde tuo. Hoc quippe res spirituales & diuinæ, teste Sancto Gregorio, proprium habent, quod quando non habentur, tunc eas minime diligamus aut cupiamus, imo vero eas paruipendamus. Cant. 1. 8. Homil. 36. in Euangel.

Tremere se solitum Sanctus Bernhardus scribit, ac sibi præ horrore comas erigi, dum illa Spiritus sancti, ore sapientis prolata verbo accuratius perpenderet, *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit.* Eccles. 9. 1.

Sic porro de se ipse scribit, *Terribilis est locus iste, & totius expers quietis, totus inhorrui, si quando in eum raptus sum, illam* apud me replicans cum tremore sententiam, *Quis scit si est dignus amore an odio?* Si itaque hæc incertitudinis & ignorantiæ, vtrum in Dei gratia vel odio simus consideratio viros sanctos, quique columnæ erant Ecclesiæ, pio quodam horrore & tremore concussit; quomodo non timeamus & contremiscamus nos, qui etiam plurimas timendi, quas culpis nostris dedimus, causas habemus? *In nobismetipsis responsum mortis habuimus.* Certo certius scio, in Deum peccando offendisse me, at certo non scio, vtrum mea mihi culpa condonata sit. quis ergo non tremat? Quanti vero quis faceret, si certum aliquod signum aut certitudinem haberet posset rei quæ tanta eius refert! Vtinam scirem certo, Deum mea mihi flagitia remisisse! Vtinam scirem, me esse in Dei gratia! Quamuis porro infallibilem & indubitatam hac in vita certitudinem habere non possimus, nos in Dei gra- Serm. 23. in Cantic. 2. Cor. 1. 9.

tia & amicitia esse, nisi specialiter id ipse nobis reuelare dignetur, aliquas tamen habere possumus coniecturas, quæ moralem aliquam rei huius probabilitatem nobis afferant: quarum vna, & sane non postrema, est, si quis sane proficiendi, & quotidie magis ac magis in virtute & profectione progrediendi famem & desiderium in se sentiat. Vnde hoc vnum nobis sufficere deberet, ac desiderium hoc iugiter in nobis habendum; quod scilicet per ipsum, testimonium euidens, & certissimum argumentum habeamus, esse nos in gratia & amicitia Dei: quod sane de maximis, aut etiam maximum solatium ac gaudium est, quod in hac vita habere possumus.

Confirmatur hoc eo, quod in Prouerbiis Spiritus sanctus ait, *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*: Vt enim lux solis mane parua, quo magis ad meridiem vergit, fit perfectior; Sic iusti, quo longius in vita procedunt, eo magis etiam in virtutum studio prouehuntur. Vnde præclare Sanctus Bernardus: *Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est: sed semper esurit sititque iustitiam: ita vt, si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet: nam semper de bono in melius proficere totis viribus conatur.* De talibus enim scriptum est, *Ibunt virtute in virtutem*, donec ad ipsum perfectionis apicem perueniant. At via tepidorum, imperfectorum & improborum, quasi luna vespertina est, quæ quo longius fertur, eo magis magisque decrescit & obscuratur, donec ad mediæ noctis tenebras & obscuritatem pertingat. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* Ad tantam quippe cæcitatem perueniunt, vt non videant vbi impingant, & sua quæ committunt errata & imperfectiones, non aduertant, imo ne propria, eis commissis, ipsos lancinet conscientia: imo interdum eo cæcitatis perueniant, vt, quod peccatum est, ipsis non esse peccatum videatur, & veniale nonnisi esse, quod mortale & grauissimum fortasse est. Tanta scilicet eorum confusio & cæcitas est.

Prou. 4. 28. | Epist. 253. Ad Abbat. Guarin. | Psal. 83. 8. | Prou. 4. 19.

CAPVT VI.

Quo declaratur non proficere, deficere, non progredi, regredi esse.

COMMVNIS sanctorum omnium sententia est, *In via Dei non progredi, esse regredi.* Hoc ipsum hic pluribus declarabimus, & acris id stimuli loco nobis futurum est, vt eo velut incitati, semper in perfectione crescamus & progrediamur. Quis enim regredi & desciscere velit ab eo, quod feliciter inchoauit? præsertim cum ipsummet Saluatorem contra se in Euangelio liquido pronuntiare videat. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. 9. 62.

Quæ verba magnum terrorem nobis incutere deberent. Beatus vero Augustinus sic ait: *Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus: at vbi cœpimus stare, descendimus: nostrumque non progredi reuerti est. Si volumus non redire, currendum est*, & semper vlterius tendendum. Item, & prope iisdem verbis, tradunt Sanctus Gregorius, Chrysostomus, Leo Papa, aliique non pauci Patres, imo singuli idem sæpius diuersis locis inculcant: singillatim vero & pluribus illud prosequitur Sanctus Bernardus duabus epistolarum suarum: quo loco Religiosum, tepidum & segnescentem, cui scilicet communis viuendi ratio sufficiat, & qui in suo profectu vlterius prouehi recuset, alloquens, sic eum arguendo prostringit: *O monache, non vis proficere?* non. Vis ergo deficere? nihil minus. Quid ergo vis? Esse & manere

Epist. 134. ad Demetriam virg. | Epist. 253. & 34.

nere volo, qui sum nolo esse melior, neq; etiam deterior. *Hoc ergo vis quod esse non potest; quid enim stat in hoc sæculo?* nihil enim omnino in mundo in eodem statu permanet: at in solo Deo locum id habet,
Iacob.1.17. *apud quem scilicet non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, de quo scri-
Malach.3.6. ptum *Ego Dominus, & non mutor.* Quidquid in mundo est, continuæ vicissitudini
Psal.102.27. ni & mutationi obnoxium est: nam *omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient.* De homine vero singillatim Iob asserit,
Iob.14.2. nunquam eum in vno eodemque esse & statu permanere, *Homo fugit velut umbra, & nunquam, in eodem statu permanet.* Sic & Christus Dominus, inquit, Bernhardus, *quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, nunquid stetit?* Minime. an non enim de eo scri-
Luc.2.12. psit Euangelista Lucas, *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*, id est, maiora reipsa sapientiæ & sanctitatis quotidie dabat argumenta. Propheta quoque eum se
Psal.18.6. parasse ait ad viam hanc currendam, *Exultauit vt gigas, ad currendam viam.* Si itaque in Christo manere velimus, eo quo ipse ambulauit modo, ambulemus oportet, & via eadem. *Qui enim dicit*, in-
1.Ioan.2,6. quit Ioannes; *se in ipso manere, debet sicut*
Bernard. *ille ambulauit, & ipse ambulare. Si ergo illo currente tu gradum sistis non Christo appro-*
Genes.28.12. *pias, sed te magis elongas. Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos: vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur vniuersi.* Deus porro solus in summitate scalæ innixus requiescebat, vt hinc, ait idem Bernardus, discamus, in hac vita in virtutis via nullum esse medium inter ascendere & descendere, inter progredi & regredi: sed hominem, mox vbi proficere & progredi desinit, deficere & retrogredi, adinstar scilicet orbitæ tornatoris, quæ dum sistere vult & interquiescere, simul retrofertur. Idem apud Cassianum tradidit Abas Theodorus: *Debemus*, in- *Cassia. collat. S. Abbat*
quit, ad virtutũ studia irremissa cura ac sol- *Theodori. c.*
licitudine nosmetipsos semper extẽdere, ipsis- *14.*
que nos iugiter exercitus occupare, ne cessante profectu confestim diminutio subsequatur, vt enim diximus, in vno mens eodemque statu manere non praualet: id est, vt nec augmentum virtutum capiat, nec detrimentum sustineat. non acquisisse enim, minuisse est: quia desinens proficiendi appetitus, non aberit à periculo recidendi.

Bene quidem, dicet aliquis, hæc à te dicta sunt, & ita se vere res habebit, cum sancti Patres vno id omnes oreassserant: at nonnisi parabolice, figurate, & ænigmatice omnia dici videntur. quamobrem *edissere nobis parabolam istam*, & clarius & planius veritatem hanc mihi velim exponas. Non abnuam, & sancti Patres hoc ipsum euidentius declarant: Cassianus quippe
egregia hoc exponit similitudine, qua *Cassin. vbi supra. Greg.*
& Sanctus Gregorius vsus est. Sicut, *h. p. Pastor*
inquiunt, qui in impetuosi cuiusdam *admonit. 35.*
fluminis ostio est constitutus, si locõ quietus consistere vellet, & vlterius aduersum obnitendo pergere non allaboraret, in præsentissimo versaretur periculo, nec ab aquarum præcipitantium impetu, secundo flumine, in mare abriperetur: ita se res habet in via vitæ spiritualis. Iter quippe hoc adeo decliue est, & naturæ nostræ per peccatum deprauatæ tam difficile, vt, qui vlterius progredi violenter non connititur, à passionum suarum impetu, ceu secundo flumine, in præceps trahendus sit. Perinde ac qui aduersu æstu & flumine nauigant, si quando contis obniti & remigare desinunt, quo prouehantur vlterius, quamprimum ab æstu procul admodum ab eo in
quo erant loco retropelluntur: Sic *Matt. 11. 12.*
regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quamobrem necesse semper contra passionum nostrarum impetum colluctemur & con-

tra nitamur: quod ni fiat, statim permultum nos retrocessisse ac defecisse comperiemus.

Hieron. Chrysost. Sanctus Hieronymus & Chrysostomus id alia quadam doctrina, à sanctis & Theologis communiter recepta, & quam Sanctus Thomas de statu Religionis loquens adducit, magis declarant. Dicit quippe eo loco Sanctus Thomas, Religiosos esse in statu perfectionis: non quod statim ac Religionem professi sunt, perfecti sint; sed quod ad perfectionem aspirare & tendere obligati sint, eum vero qui perfectus esse non studet, & de perfectione procuranda minime laborat, fictum Religiosum esse asserit, quod non faciat id cuius causa ad Religionem venit. Non id hic disputare aut probare volo, num mortaliter Religiosus peccaret, qui diceret satis mihi est mandata diuina, & vota mea essentialia exacte & debito modo obseruare; reliquas vero regulas, quæ sub peccato non obligant, seruare nolo. Variæ quippe sunt quoad hoc Doctorum & discrepantes sententiæ. Alii siquidem docent, eum mortaliter peccaturum; alii vero peccatum id mortale fore negant, nisi forte per modum contemptus ac despectus ita loqueretur.

2.2 q.184. & 5. ad 2.

Religiosus nolens perfectionem est in periculo præsentissimo peccati mortalis & Indignus eo nomine. Hoc porro constat, & in eo omnes conueniunt, Religiosum, qui eius esset voluntatis, & determinate ita sentiret, boni Religiosi nomine penitus indignum videri, at potius vt scandalosum, ac malo exemplo alios offendentem, habendum, & hunc moraliter in præsentissimo mortalia peccata admittendi periculo versari. Qui enim parua & modica spernit, paulatim in maiora prolabetur. Atque hoc, ad propositum nostrum, plusquam satis est; cum satis id sit retrocedere.

Serm. de virtutibus & vit. Vt autem melius id intelligatur, similitudines aliquot domesticas & passim obuias Chrysostomus adducit. Si, inquit seruum haberes, qui nec tua furaretur, nec aleo esset, nec asotus; sed fidus & temperatus, omnisque vitii seruilis expers: verum tota die in domo sederet otiosus, non agens ea quæ ex officio ei facienda incumberent; negare nemo potest, quin seruus hic iners flagris ac fustibus dignissimus esset, etsi alioqui nihil mali committeret; quia satis mali is facit, qui sibi facienda non facit. Adhæc: si agricola tuus, vir omni ex parte bonus & rectus esset, sed manibus in sinum conuolutis nec serere, nec arare, nec vineas tuas colere vellet; certum est, illum correptione & castigatione dignum fore, tametsi aliud malum nullum ageret, Satis enim malum habetur, non agere, quæ ex officio cuiquam agenda sunt, Denique si in tuo ipsius corpore manum haberes, quæ quidem nullum tibi damnum irrogaret, sed solum inutilis foret, & nihil agens, reliquisq; membris necessaria subministrare nollet; an non id vt satis male factum interpretareris? Eodem prorsus modo de rebus spiritualibus iudicandum. Religiosus quippe, qui hac in Religione otiosus est, & manibus quodammodo complicatis, vlterius progredi, in perfectione proficere, & vllum in virtutibus incrementum facere detrectat, reprehensione dignissimus est; quod agere negligat, quæ sibi ratione officii ac status agenda sunt. Ipsum namque bene non agere male agere est; &, non progredi, regredi, cum suæ desit obligationi & professioni.

Adhæc, quod maius dari fingique in agro malum queat, quam quod sterilis sit, nullumque domino fructum ferat, præsertim si bene exultus & subactus sit? Si ergo ager tuus, tanta excultus diligentia & labore, tot gratiarum cælestium imbribus irrigatus, tot solis iustitiæ radiis calefactus, nullum nihilominus fructum proferat; sed aridum quoddam, desertum & infrugiferum vepricetum sit; ecquod maius hac sterilitate malum habere velis? *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Hoc scilicet est, malum retribuere pro bono ei cui tanta debes, qui- Psal. 34. 12.

quique tot in te gratias & beneficia larga manu effudit.

Alia huc etiam afferri comparatio vulgo solet, quæ rem commode apteque videtur declarare. Quemadmodum nimia malacia maris, grauis cuiusdam tempestatis, & nauigantibus periculosæ instar est; eo quod commeatum, quem secum sumpserant; in cursu suo non progrediendo, interim absumant, vt postea vixdum in medio cursu constitutos commeatus omnis & cibaria deficiant: Sic vsu venire solet iis, qui in procelloso huius mundi mari nauigantes, in virtutis studio ac cursu, velut malacia ingruente, cursum omnem sistunt, in eadem pergere vlterius detrectantes. Tunc quippe deperit & consumitur his, quidquid magno labore ante acquisierunt, quin & virtus quam habent, paulatim deficit; hinc se postea in mediis variarum insurgentium tentationum, & occasionum præsentissimarum fluctibus ac tempestatibus, in quibus maiori virtutum & commeatu & subsidio opus habebant, ab omni prorsus præsidio denudatos & destitutos inueniunt. Væ igitur illi qui in virtute malacia nauseabunda laborat.

Gal. 5. 7. *Currebatis bene*, inquit Apostolus, *quis vos impediuit veritati non obedire.* Bene inquam in principio, cum primum Religionem ingressus es, currere cœpisti, iam vero penitus virtutum cursum abrupisti

1. Cor. 4. 8. & quiescit (*Iam saturati estis, iam diuites facti estis*) id est, iam te quasi ob senium excusandum & fatigatum geris, tibi iam videris diues, ac sufficere tibi censes id quod habes: sed vide, nam multum tibi adhuc spatii conficiendum est,

3. Reg. 19. 7. *& grandis tibi restat via*, plurimæque indies aggerentur occasiones, in quibus cum maiori tibi opus erit humilitate, patientia, mortificatione, & indifferentia, prorsus inermem, inopem, & velut in extremis hærentem te, idque maioris necessitatis tempore, comperies.

CAPVT VII.

Permultum ad perfectionem consequendam confert, hominem boni anteacti obliuisci, & in id quod adhuc sibi deest, oculos conijcere.

QVi *iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc.* *Apoc. 12. 11.* Hieronymus & Beda in illa Domini, apud Matthæum verba, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, sic scribunt; *Apertissime nos Redemptor instituit, nunquam nos satis iustos æstimare debere, sed quotidianum iustitiæ semper amare profectum.* Atque hoc est, quod antepositis illis verbis significare Ioannes Euangelista voluit. *Hieron. & Beda in Matth. 5. 6.*

Apostolus Paulus, ad Philippenses scribens, egregium propriumque ad hoc medium suggerit, quo se ipse vsum asserit: *Phil. 3. 13.* *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse: vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora, extendens meipsum; ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Apostolus palam se perfectum esse negat. quis ergo se perfectum credat? Ego, inquit, me nondum ad perfectionem peruenisse mihi persuadeo, sed omni contentione ad eamdem pertingere allaboro. Quid vero eam assecuturus, ages? Scire vis? Anteactorum obliuiscor, & ea quæ mihi desunt, ob oculos pono; ad hæc me animo, hæc assequi toto animi studio connitor.

Sancti omnes medium hoc, vt singulare, maximopere extollunt & suggerunt, velut ab Apostolo suggestum & vsurpatum. *Basil. epist. ad Chilon.* Vnde præclare S. Hieronymus, *Quicunque*, inquit, *sanctus esse vult quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiscitur*, ea quæ sibi desunt, acquirere studens. *Felix ergo est, qui quoti-* *Hieron. in Psal. 83.*

die proficit in virtute & perfectione, quis autem ille? *qui* scilicet *non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, vt proficiat.* Particularius id declarant SS. Gregorius & Bernardus. Duas porro partes magni ambas momenti, medium hoc complectitur. Prima est; vt boni, quod hactenus fecimus, obliuiscamur, & hoc nequaquam respiciamus. Huius autem rei singillatim nos commonefieri oportuit: cum nobis omnibus naturale sit ac velut ingenitum, facile & statim respicere ad id quod magis delectat, oculos vero & animum auertere ab omni eo, quod offendere & aliquam afferre nobis tristitiam ac molestiam potest. Quoniam vero proprii profectus, & bonorum, quæ aliquando nobis videmur fecisse, intuitus maxime delactabilis est; spiritualem vero paupertatem, & multum quod nobis deest, intuentes contristamur; hinc fit vt potius in bonum quod alias fecimus, quam in id quo adhuc caremus, oculos conijciamus. Atque vt, inquit S. Gregorius, in id æger lecti latus maxime se vertit, quod mollius & plumosius est, quodque ad sui refocillationem & quietem commodius & magis proprium est: Sic quædam sane hominis ægritudo, imbecillitas & imperfectio nostra est, quod libentius & maiori cum voluptate recolamus & voluamus id quod ante egimus bonum, quam id quod nondum habemus. Plura habet S. Bernardus: Noris, inquit, in hoc vado multa esse pericula: *Si enim respicis ad ea quæ habes, eleuaris in superbiam, dum te aliis præponis; proficere negligis, quia magnum te habere arbitraris, & tepidius incipis deficere, & remissius agere.* Si enim oculos reflectas ad bonum quod aliquando egisti, aliud inde non hauries, quam quod extolleris in superbiam, aliquid te esse censens; atque inde statim, ad te cum aliis conferendum, imo iis præferendum, quin etiam tandem ad alios parui, te vero magni faciendum descendes. Id verum esse, vide in Pharisæo illo Euangelico, quam male nimirum hæc illi res acciderit. Respiciebat bonum quod habebat, omniumque virtutum suarum numerum inibat, *Gratias,* inquiens, *tibi ago Domine, quod non sum sicut cæteri homines fures, iniusti, adulteri, sicut & hic publicanus, ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo,* quin & fructuum primitias tibi in altari tuo offero. De quibus hoc testimonium Christus dedit, *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo;* publicanus scilicet, cui se Pharisæus ille superbiens antepo-suit; qui vero se iustum credebat, Pharisæus, vt iniustus & iniquus ab eo condemnatus est. Hoc scilicet vnum molitur dæmon, dum tibi bonum, quod videris egisse, & habere, ob oculos ponit: vt videlicet aliquo te loco habeas, superbia eleueris, alios contemnas, paruique facias, vt hoc pacto ceu superbus & iniquus condemneris. Est & aliud quoddam periculum ac malum, inquit S. Bernardus, in eo quod oculos in bonum quod egisti, & laborem quem suscepisti, incipias conijcere: inde siquidem sequetur, quod vlterius progredi negliges, inque tuo profectu intepesces & elanguesces, dum tibi persuades, satis te iam laboris in Religione suscepisse, iamque de requie posse cogitare. Solent viatores, quando defatigari iam incipiunt, retrospicere, vt videant quantum itineris confecerint: Sic nos, dum defatigamur & intepescimus, inspicere incipimus, quidquid post nos relinquimus; & eo fit, vt id nobis sufficiat, & in nostra debilitate & inerti languore magis confirmemur.

Lib. 22. Moral. 6. 5. serm. de altitud. & bassitud. cord.

Pars prior Apostolici ad perfectionem medii Obliuisci antegestorum.

Bernard.

Luc. 8. 11. & 14.

Vt porro hæc inconuenientia periculaque fugiamus, nefas nos esse respicere bonum quod egimus, & habemus, sed id quod adhuc caremus: siquidem rei actæ intuitus ad torporem languoremque, agendæ vero ad laborem ac sudorem nos inuitat. Hæc videlicet secunda medii illius, quod nobis Apostolus

Pars altera Apostolici ad perfectionem medii.

Respicere ad agenda. lus suggerit, pars est, vt nimirum nostros in id tantum conijciamus oculos, quod nobis deest, quo ad id consequendum sic animemur & connitamur. Quod obuiis quibusdam exemplis & comparationibus sancti Patres declarant. S. Gregorius hanc dat: *Similitudines 1. à Debitoribus.* Sicut debitor, mille cuidam debens aureos, persolutis iam ducentis aut quadringentis, omni cura & sollicitudine debiti prorsus non vacat; sed semper oculos intendit in id quod sibi adhuc persoluendum restat; atque hoc illum angit & cruciat, nec ante sane ingemiscere & cruciari desinet, quam totum sit debitum persolutum. Sic nostrum est, non intueri, quod eo quod hactenus præstitimus, bono debiti, quod Deo debemus, partem soluerimus, sed potius magnam illam partem, quæ adhuc soluenda restat, atque hoc nos perpetuo anxios reddere debet; hæc spina & crux est, quam semper cordi infixam gestare debemus. Sed ait S. Gregorius, *2. à Viatoribus.* sicuti boni viatores & peregrinantes non considerant quantum viæ confecerint, sed quantum sibi adhuc conficiendum supersit, atque id semper præ oculis habent, donec tandem suum iter perficiant: Sic nos, cum velut peregrini & viatores simus, qui ad patriam nostram cælestem tendimus, id viæ respicere nefas est, quod confecisse nobis videmur, sed illud quod adhuc conficiendum restat. Viatoribus enim, vt ait S. Gregorius, vti ad locum aliquem perueniant, parum profuerit multum hactenus itineris confecisse, nisi constanter etiam peragant, quod adhuc peragendum restat. *3. à Cursoribus.* Considera etiam brauium & lauream, quæ dari solet iis, qui optime & celerrime inter alios in stadio cucurrerint, iis non solere dari, qui quidem bonam stadii partem feliciter velociterque decurrerint, at circa eius metam defatigati & anhelantes deficiunt: ita quoque parum tibi profuerit, bene incæpisse currere, si in medio cursu defatigatus deficias. Vnde monet Apostolus, *Sic currite vt comprehendatis* id quod intenditis. *1. Cor. 9. 24.* Nihili facias, aut parum cures quidquid hactenus cucurreris, sed semper animum & oculos in terminum ac metam, quam currendo spectas, ipsam inquam perfectionem, defige. Quamobrem bene Chrysostomus, *Qui considerat nondum ad metam destinatam se peruenisse, cursum suum non interrumpet, sed semper in eo progredietur.* *Homil. 24. sup. Epist. ad Rom. tom. 4.*

S. Bernardus imitari nos debere ait mercatores sæculi huius. *Serm. de altitud. & bassit. cordis.* *4. à Mercatoribus.* Videas quippe mercatorem quotidie de re augenda & amplificanda solicitum, & ad omne lucrum aduigilantem, parum curare quidquid hactenus lucratus est, vti & labores & difficultates, quas ea causa perpessus est; sed omne suum studium & solicitudinem in eo ponere, vt de nouo quid allucretur, suasque opes indies magis magisque adaugeat, tanquam si eatenus nihil præstitisset, ac nullum quæstum fecisset. Hoc itaque nos imitari oportet, ac omni in illud studio incumbere, quomodo nostrum indies adaugeamus peculium, quomodo quotidie magis magisque in humilitate, caritate, mortificatione, ac cæteris virtutibus, velut boni & naui mercatores spirituales, proficiamus, parum curantes quidquid hactenus aut laboris impensum, aut fructus collectum. Vnde etiam Redemptor noster Iesus regnum cœlorum simile esse dixit homini negotiatori, nosque omnes negotiari iussit, dicens, *Negotiamini dum venio.* *Matt. 13. 45. Luc. 19. 13.*

Vt porro hanc mercatoris similitudinem pluribus deducamus, cum hanc Euangelium ipsum nobis proponat, vide, obsecro, quomodo mercatores & negotiatores mundani omni, qua possunt, cura & industria aduigilent, ne sibi vel minima lucrandi peculiiq; augendi elabatur occasio, &, si quæstum facere possint, eum negligentia & somnolentia sua effugere nõ sinant. hocq; tu imitari satage; nullam inquam vide vt lucrifaciendi occa-

Pars altera Apostolici ad perfectionem medii.

occasionem effluere tibi patiaris, sed ea cum sese offert, sedulo arripe: vt B. P. N. nos monet, dicens: *Omnes constanti animo incumbamus, vt nihil perfectionis, quod diuina gratia consequi possumus, prætermittamus.* Nullam omnino sine occasionem effluere, è qua non aliquod lucellum spirituale tibi colligas: puta è verbulo etiam vno, quod tibi quis dixerit; item ex superioris mandato, quod tibi inuito & renitenti imposuit; denique ex obuia, quæ se tibi obtulit, humilitatis exercendæ occasione. Omnia hæc, tua sunt lucra, tuumque est hasce occasiones captare, quærere, & velut emere, qua autem die plures id genus tibi oblatæ fuerint, eo lætius & hilarius cubitum concedas necesse est; sicut ea facere die mercator solet, qua plures lucrifaciendi occasiones ei occurrerunt (quod illa optime sit munere suo perfunctus;) ita illa die laudabiliter tu Religiosi partes adimplesti, qua quæstum aliquem & profectum in spiritu facere potuisti. Atque vt mercator non considerat, an alius quis iacturam faciat, nec propter hanc ipse aut cruciatur aut contristatur; sed suiipsius lucro duntaxat intentus est, & eo sibi plaudit: ita nec tu respicias, vtrum proximus hanc tibi occasionem dando, bene an male fecerit; vtrum huius dandæ rationem aliquam, vel nullam habuerit, neu aduersus ipsum ideo indignare, sed tuo apud te lucro gaude & lætare.

6. de Constit. c. 1. §. 1. Reg. 15. summar.

Quam porro procul, si quando huiusmodi occasiones nobis occurrunt, ab omni indignandi pacisque amittendæ periculo abessemus, si hoc modo progrederemur! Si enim, quod nos contristare pacemque turbare posset, illud ipsum sit quod toto studio desideramus, & captando quærimus, quid nos aut perturbare, aut animi posset pacem infringere?

Vide insuper, quomodo mercator ita suo absorptus & velut immersus sit lucro, vt aliud plane cogitare non videatur; hinc in omnibus occasionibus, & occurrentibus casibus, statim oculos & cor intendit, visurus quemnam & quomodo ex hisce quæstum facere posset. Si enim mensæ accumbat, de lucro cogitat; hæc etiam voluit & cogitat dum lectum petit; hæc illi cogitatio interdum somnum interturbat, in eadem rursus mane strato surgit; hæc denique die tota & asiduo mente versat. Ita & ipsi in animarum nostrarum nos negotio geramus oportet, vt nimirum in omnibus casibus & occasionibus quæ sese offerunt, oculos quamprimum & mentem circumferamus, visuri quanam ex illis ratione lucrum aliquod spirituale elicere possimus. Si comedamus, hoc nobis cogitandum est; in hac quoque cogitatione & cubitum concedere, & lecto surgere, & diem totum, atque adeo vniuersum vitæ tempus transigere debemus: quia in hoc omnis nostra sita est negotiatio, ibi noster thesaurus, & præter hunc alius nobis quærendus non est.

Addit S. Bonauentura, sicut mercator simul & vnis in nundinis non inuenit quidquid desiderat & opus habet, sed varias nundinas adeat necesse est: ita suum Religiosus non in sola oratione & spirituali consolatione profectum & perfectionem quærere debet, sed etiam in tentatione, laboribus, officio, & demum in omnibus quæ illi offeruntur occasionibus.

Tom. 2. opuscul. l. 2. de profect. Relig. c. 1.

Quam cito autem virtutibus diuites & locupletes essemus, si hoc eas modo quæreremus & procuraremus! *Si quæsieris*, inquit Sapiens, *eam*, virtutem nimirum & perfectionem, quæ vera sapientia est, ea diligentia & sollicitudine, qua mundani homines *pecuniam*, & qua *thesauros effodiunt* & argenti fodinas, haud dubie reperies eam, *& tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Nec magnum quid in hoc, ait S. Bernardus, Deus à nobis efflagitat; cum, vt veram sapientiam & verum thesaurum

Trov. 2. 4.

Bernard. vbi supra.

ſaurum (qui eſt ipſemet Deus) comparemus, maius à nobis ſtudium & diligentiam non exigat, quam mundani in perituris diuitiis, quas & tinea demolitur, & fures effodiunt, & cras peribunt, coaceruandis adhibeant: cum & bonorum ſpiritualium cupiditas, & amor noſter erga illa, & in illis colligendis ſolicitudo; tanto eſſe debeat maior, quanto hæc temporalibus & maiora ſunt & digniora. Quam mortalium cæcitatem ipſe etiam amare ſatis deplorat, dicens: *Magna confuſio magna valde* nobis, *quod ardentius illi* (mundani) *pernicioſa deſiderant, quam nos vtilia*; diligentius illi vitia & mala, quam nos virtutem, *citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam.*

Serm. 1. de altit. & baſſit. cord. & Epiſt. 341.

Abbas Pambo, ſicut Eccleſiaſtica refert hiſtoria, cum Alexandriam veniſſet, mulier mundana in via illi occurrit: quã cũ ſuperbe ornatã & comptam cerneret, in lacrymas ilico & gemitus prorupit, dicens, Væ mihi, væ miſero mihi. Percunctantibus diſcipulis, Pater quid ploras? reſpondit ille, An non merito plorem, cum videam mulierem hanc plus curæ & laboris in corpore comendo impendere, quo hominibus vanis complaceat, quam ego in anima mea, quo placeam Deo? Video, hanc ſe plus affligere & cruciare ad homines illaqueandos, & deinde ad inferna trahendos, quam ego me ad eos cœlo aſſerẽdos B. P. Franciſcus Xauerius etiam erubuiſſe legitur & ſuccenſuiſſe, comperto, mercatores prius ad Iapones penetraſſe, caducas & tranſitorias merces ſuas ad eoſdem deuehendo, quam ipſe, vt Euangelicos theſauros huc & opes inferret, quo per eas fides Chriſtiana hic dilataretur, ac regni cœlorum limites latius propagarentur ac diſtenderentur. Erubeſcamus itaque & præ pudore confundamur, quod filii huius ſæculi in rerum mundanarum ſtudio prudentiores multo & vigilantiores ſint, quam nos in diuinarum: *quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Atque hoc nobis ſufficiat ad teporem & languorem mentis excutiendum.

Hiſtor. Eccleſ. p. 2. l. 6. c. 1. & in vita S. Pelagiæ.

Lib. 3. vitæ c. 16.

Luc. 16. 8.

CAPVT VIII.

Perfectioni comparandæ permultum confert, in res altas & eminentes oculos conijcere.

NOn parum quoq; nobis, ad profectũ & perfectionẽ cõparandã conducet, ſi oculos animi ſemper in res altas magnamq; perfectionem includentes conijciamus, iuxta illud Apoſtoli conſilium ad Corinthios ſcribentis, *Æmulamini chariſmata meliora* & maiora, magna & heroica inquam aggrediamini, *adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Permagni momenti hocce medium eſt: neceſſe namque eſt, vt conceptibus ac deſideriis noſtris ſublimiſſime euolemus, vt opere ipſo ſaltem ad ea quæ rationi conſentanea ſunt, pertingamus. Obuia comparatio perſpicue oſtendet, quid velim dicere; & quanti momenti hocce medium ſit, & quam neceſſarium, ad oculum declarabit. Aliquando arcus alicuius neruus remiſſior eſt, debes, quo ſcopi centrum ferias, palmo vno atque altero altius viſu collimare, quod enim funis laxior ſit, hinc non feries quod intendis; quare cum altius paulo oculis collineabis, recta deſtinatum tanges. Nos quotquot ſumus, inſtar arcus flaccidi ita languemus & flacceſſimus, vt, quo ſcopi centrum & altum tangamus, ſumme & altiſſime collineemus oporteat. Homo ſiquidem per peccatum ita luxatus & eneruatus eſt, vt, quo vel ad mediocrem virtutem pertingat, ad maiora & altiora conceptu deſiderioq; eum aſpirare neceſſe ſit. Dicet mihi quiſpiam, ſufficit mihi nullum me letale crimen committere, ad altiorem proinde perfectionem

1. Cor. 12. p. 1.

ctionem non anhelo. At vereor, vt vel eatenus non pertingas, quod arcus tuus remissus sit & flaccescens. Si autem altiora conciperes, illuc fortasse pertingeres quo intendis. Sed vlterius non euolando, vereor vt in posterioribus maneas, & in præsentissimo verseris lethale crimen consciscendi periculo. Religiosus porro, cui propositum est, non solum Dei præcepta, sed & consilia sua exacte seruare, quique non modo à letalibus peccatis, verum etiam venialibus, & reliquis imperfectionibus statuit abstinere; is probatum & laudabile iter ingreditur, ad in nullum peccatum mortale impingendum, quod altius & sublimius quoddam propositum concepit: qui si forte ex infirmitate eo non pertingat, quo pertingere proposuit, sed paululum retro remaneat, non delinquit, nisi fortasse in re quæ puri consilii est, non præcepti; & tantum paruam aliquam regulam prætergreditur, ac leuem aliquam imperfectionem admittit, demum nonnisi venialem noxam contrahit. Alius vero ille, qui solummodo proponit nullum mortale crimen conscire, etsi alioquin in postremis hæreat, quod arcus sit flaccidus ac remissus, tandem in letale etiam scelus incidet. Atque hinc est, quod mundanos tam frequenter in grauia & letifera flagitia incidere videmus, bonos vero Religiosos, quæ Dei bonitas & clementia est, ab illis liberos, & nimium quantum remotos esse. Atque hoc vnum de magnis illis bonis est, quibus in Religioso statu gaudemus, & ob quod nos ingentes agere Deo cœli gratias par est, qui ad eundem nos vocare dignatus est. Et sane, tametsi nullum aliud præter hoc Religio bonum haberet, vnum id nobis satis esse deberet ad magna cum consolatione semper & gaudio viuendum, & instar singularis cuiusdam beneficii & gratiæ Dei habendum, quod in eandem nos adsciuerit. Ibi namque, Deo dante, spero fore, vt quod reliquum est vitæ tempus, sine vlla sitis peccati mortalis noxa traducturi: si vero in mundo ageretis, vix annus, imo ne quidem mensis, ac fortasse ne septimana quidem sine letali peccato vobis transiret.

Mundani sæpe, Religiosi raro peccant mortaliter.

Hinc etiam manifestum fiet, in quanto tepidus ac flaccidus Religiosus, qui regulam violare parui facit, & parum de perfectione sua procuranda solicitus est, periculo agat. Is namque prope est, vt in graue aliquod crimen precipitet. Si porro proficere in spiritu desideres, perfectissimam quandam humilitatem, per quam nimirum eo tandem perueniás, vt quodlibet opprobrium & ignominiam hilari lætoque recipias, animo concipe; faxit porro Deus vt saltem patienter & æquanimiter illa feras. stude quidem perfectissimam quandam voluntatis simul & intellectus obedientiam acquirere: vtinam vero etiam in ipsa exteriori præcepti executione, & plena eiusdem perfectione non delinquas. stude quidem in rebus difficilibus & arduis, quæ tibi occurrere queant, te totum resignare, & indifferentem habere; vtinam vero postea, in ordinariis & communibus saltem, quæ quotidie se offerunt, resignate te gerere possit.

Hoc scilicet, vt refert Augustinus, spectat Deus, dum ante omnia mandata, & ipso in principio, altissimum simul & perfectissimum, nobis mandatum seruandum præscribit, dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum*, atque adeo reliquorum finis, dicente Apostolo; *Finis præcepti est charitas.* Tanta autem mandati huius excellentia est, vt vltimam & plenam eius perfectionem non huius esse vitæ, sed futuræ reseruari, Doctores Theologi & Patres doceant; Nulla nam-

Lib. de perfect. iust. ratiocin. ibid. tom. 7. S. th. 2. 2. q. 184. a. 2.
Luc. 10. 27. Matt. 22. 37. Deut. 6. 5.
Tit 1. 5.

la namque alia re occupari quam Deo, & totum cor nostrum, voluntatem, intellectum, mentem, omnes denique vires nostras semper ac perpetuo in illo diligendo intensas habere, solis cœlesti beatitudine perfruentibus mentibus datum est. In hac enim vita eatenus pertingere non possumus, eo quod corporeis necessitatibus nos seruire necesse sit. Quamuis porro hoc mandatum adeo sublime sit, tantamque perfectionem includat, ipsum tamen Deus ante alia omnia, & omnium primum proponere non dubitat, vt intelligamus, quousque nos attendere, & peruenire studere debeamus. Hinc bene Augustinus: *Cur hoc præcipiatur, quod Deus ex toto corde diligatur, etiamsi hoc præceptum in hac vita non possit impleri? quia non recte curritur, si quo currendum est nesciatur.* Id est, ideo in ipso initio nobis mandatum hoc tam arduum & sublime proponitur, vt nostrum, in tam eminentem finem & eximiam perfectionem oculis coniectis brachium quam maxime extenderemus, & saltem discum iaceremus quam possemus longissime. Quo enim altius collinauerimus, eo nimus à scopo præfixo absfuturi sumus.

Psal. 82. 6. S. Hieronymus ad illa Prophetæ verba: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*, scribens, ait, *Sanctus ponit ascensiones in corde suo, peccator descensiones.* Sanctus, inquam, semper ascendere, & in via perfectionis progredi allaborat; atque hoc est, quod cordi is suo perpetuo insculptum gestat & circumfert: secundum illud Sapientis, *Cogitationes robusti semper in abundantia.* (Prou. 21. 5.) Peccator vero & imperfectus de nulla re minus sollicitus est; nam communi vitæ genere contentus est, & ad summum vix dum in medio cōsistere satagit; atque inde est quod deficiat, & ad ima vergat. Vnde Ioannes Gerson, *Vox multorum est, sufficit mihi vita communis: si cum multis saluari potero, satis est. Nolo* (3. p. tract. de myst. pract. indust. 4.)

merita & perfectiones excellentiores *Apostolorum*, & illustrium sanctorum, *nolo volare per summa, incedere per planiora contentus sum.* Hæc scilicet est vox imperfectorum, nam illi nomine *multorum* intelliguntur; perfecti quippe, pauci sunt. Vnde in Euangelio dicit Dominus: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et, *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem*, via inquam communis & tepiditatis; *& multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta* porro *porta & arcta via est, quæ ducit ad* perfectionem, & proinde ad *vitam, & pauci sunt qui inuenerunt eam!* Illos proinde putat Augustinus per pecora campi apud Psalmistam designari, quod in campo spatioso ac late patenti incedere, nullam vero subire regulam, nec constringi arctius velint. Quocirca bene Gerson ex sola hac voce, *Sufficit mihi vita communis: si cum multis saluari potero, satis est; maiorem perfectionem habere nolo*; manifeste colligi asserit aliquem imperfectum esse; cum per angustam ingredi portam detrectet. His ergo, qui ex tepore satis esse putant, si cum mediocribus & media turba saluentur, magnopere ait esse timendum, ne cum fatuis virginibus præ inertia dormitantibus condemnentur, nec non cum seruo illo pigro, cui satis fuit talentum à domino acceptum asseruare in terra defossum, at cum illo negotiari aut lucrari noluit, cui deinde & quod habebat talentum ablatum est, & ipse in tenebras exteriores coniectus. Alia porro eius condemnandi causa in Euangelio non legitur, quam quod acceptum talentum lucro adaugere noluisset.

(Matt. 20. 16. Matt. 7. 13. Psal. 8. 8. Matt. 25. 12. & 30.)

Vt vero magis ad liquidum pateat, quam turpis & infamis horum sit status, exemplum hoc adducit Gerson: Finge tibi, inquit, patri cuidam familias, tum genere, tum opibus illustri, multos esse filios, & omnes familiæ ad posteros propagandæ, & generi per industriam aliasque dotes naturales

D 2 illu-

illustrando peridoneos, atque omnes id nauiter agere, præter vnum; qui reliquis facientibus quod filios tam illustri patre natos facere par est, præ torpore & desidia, otiari sedendo & in domo paterna dissolute viuendo, ac nihil ingenio paternaque stirpe dignum agere vult, quo familiam suam propaget & illustret; cum tamen non minus rem suam agere cum laude posset, si vellet, ac reliqui fratrum; sed sufficere sibi ait id quod habet, ad in statu quodam mediocri viuendum, maiorem se proinde honorem & incrementum habere, & amplius ad ea comparanda laborare nolle. Hunc itaque ad se parens euocat, rogat instanter, &, qua potest, persuadet, vt altiora quædam ac sublimiora concipiat. Vt autem ad hæc illum exstimulet, reuocat illi in mentem habilitatem, ingenium, naturæ dotes, generis nobilitatem, exempla tum maiorum, tum fratrum, quos quotidie ante oculos habet. Qui si ne his quidem omnibus è veterno desidioso excitari, & ad lares paternos relinquendos, & ad altiora quædam aggredienda exstimulari queat, magno haud dubie patrem mœrore afficiet. Ad eundem modum, inquit Gerson, cum filii altissimi & Iesu Christi fratres nos simus, Pater noster cœlestis, ad perfectionem hisce verbis nos exhortatur & animat, Nolite, filii mei, vita quadam communi contenti

Matt. 5. 48. esse, sed *estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*: insignem patris vestri generositatem & perfectionem respicite, & ea facite, quæ talis patris filios fa-

Ibid. v. 45. cere decet, *vt sitis filii patris vestri, qui in cœlis est*. Respicite quoque fratrum vestrorum exemplum: inprimis si in primogenitum & maiorem natu fratrem, Iesum Christum inquam, oculos conijcere velitis, videbitis illum vniuersi generis nostri decus & ornamentum fuisse; quem quamuis sanguinem & vitam omnem impendisse oportuit, eius tamen comparatione bene eam credit datam & impensam. Si vero nimis sublustri huius vnius exemplo oculi vestri imbecilliores perstringantur reliquos fratres, non minus debiles quam vos, in peccato etiam natos vt vos, passionibus, tentationibus, & prauis inclinationibus non minus obnoxios quam vos, intuemini. Siquidem hanc potissimum ob causam, Ecclesia mater nostra sanctorum nobis exempla proponit, illorumque festiuitates celebrari præcipit. Si autem propiora, & velut domi nata exempla magis moueant, eorum considerate exempla fratrum, qui eodem vtero, eadem Religione, eadem vobiscum societate producti sunt: respicite inquam & inspicite B. P. Ignatium, B. Franciscum Lauerium, Franciscum Borgiam, Edmundum Campianum, aliosque similes quos nostis. Date itaque operam, vt eos imitemini; nolite familiæ ac Religioni vestræ probro & dedecori esse. Quem omnia hæc ad opera heroica non exstimulant, sed cui vita communis & ordinaria satis est, an non ad oculum patet, hunc quantum est ex parte sua, Deo, qui est Pater noster, tristitiam & amaritudinem, proximo & fratribus scandalum afferre, ac mereri, vt Pater cœlestis eum vt filium, fratres vero vt fratrem non agnoscant?

Hoc igitur est quod dicimus, debere nimirum nos alta & generosa quædam proposita concipere, & semper in magna & eminentia opera oculos ac cor conijcere; vt, etsi ob imbecillitatem & fragilitatem, huc pertingere non valeamus, non adeo tamen in postremis & extremo hæreamus. Imitari quippe nos hic oportet mercatores, qui cum suas vendere merces volunt, vltra condignum exigere pretium solent, vt emptor postea ad id quod æquum est, offerendum descendat, nec non eos qui pacisci cum aliquo volunt: hi siquidem in principio plura petunt, quam aut ratio aut æquitas suadeat, vt paulatim alii ad summam rationi consonam dandam delabantur; iuxta illud tritum

tritum sermone prouerbium, *Iniquum*, id est plus quam iustum est, *petas*, *vt iustum feras*. Hoc modo & ego hic suadeo moneoque; videlicet, vt petas non quod iniustum, sed quod iustissimum est in summo gradu: primum inquam postula id quod iustissimum est, vt hoc pacto descendas saltem ad id quod iustum est. Postula & desidera quod pretiosissimum est, vt sic ad mediocri pretio digna dilabaris. Si enim oculos duntaxat in id quod mediocre est, coniicias, & ad altiora maioraque te non extendas, ne ad media quidem peruenies, sed admodum in extremis hærebis.

Hinc ad oculum patebit, quanti in exhortationibus & colloquiis spiritualibus quæ instituimus, referat de rebus magnam quandam perfectionem includentibus agere; ad profundissimam quandam humilitatem (quæ ad supremum vsque gradum perueniat) ad perfectam omnium passionum & appetituum mortificationem, ad plenam cum voluntate diuina conformitatem (vt nimirum aliud in nobis velle & nolle non sit, quam id quod Deus aut vult, aut non vult, & hoc vnicum nostrum sit gaudium & omnis recreatio) nos inuicem exhortando; atque ita de cæteris virtutibus. Obiiciet hic forsan aliquis, ad quid, de tam altis ac sublimibus rebus apud homines imbecilles, & qui interdum vixdum prima pietatis vestigia posuere, loqui ac disserere? Si nobis dicerentur ea quæ nostræ imbecillitati tenuitatique consentanea essent, quæ plana, aperta, intellectu facilia, forsitan ad ea haud grauate animum applicaremus; sed hæ perfectiones ad tertium vsque cælum pertingentes, non nobis, sed Apostolo Paulo, aliisque ei haud assimilibus proponendæ tradendæque videantur. Sed, audi amice, inani fundamento hæc tua obiectio nititur. Ad te perfectiones hæ spectant, &, quando de iisdem loquimur, tecum loquimur. imo vero, ob hanc ipsam rationem, ob quam tibi eas tradi debere negas, eæ tradendæ sunt. Dicis ideo tibi tam alta & sublimia tradenda non videri, quod imbecillis sis & imperitior, at vice versa, equidem ob hanc ipsam imbecillitatem tam alta tamque perfecta tibi aio dicenda & proponenda videri, vt dum oculos in illa coniicies, saltem facias id quod æquum & iustum est, & in ipso virtutum stadio tam remote à meta non agas, nec tam procul ab earum fastigio absis.

Huc etiam non parum conferet, vitas & exempla Sanctorum cum legere, & ex aliis audire, tum excellentes eorum virtutes & heroica opera accurata meditatione recolere. Atque hac de causa nobis eadem ab Ecclesia proponuntur, vt, quamuis eo perfectionis non pertingamus, quo illi pertigerunt, saltem, ad teporem nostrum excutiendum, animum concipiamus. *Vitæ Sanctorum lectu vtiles.*

Hinc vero & alia vtilitas resultat fore nimirum, vt, sanctorum vitæ puritate considerata apud nos confundamur, & videntes quam adhuc procul ab illa distemus meta, ad quam illi auspice Deo peruenerunt, apud nosmetipsos humiliemur. Egregie id declarat Gregorius Magnus super illa Iob verba, *Respiciet homines* sanctos & iustos, *& dicet, peccaui*, videndoque illustria illorum exempla, humiliabitur & confundetur. Sicut pauperes tum magis & euidentius suam inopiam perspiciunt, quando amplissimos diuitum & potentium thesauros intuentur: Ita inquit Gregorius, magis se anima tum humiliat, suamque pauperiem cognoscit, cum illustria sanctorum exempla, & laudabiles eorum vitas coram oculis cernit. *Lib. 24. Moral. c. 9. Iob. 33. 27.*

Cum Sanctus Antonius Abbas, vt tradit Hieronymus, à visitatione Sancti

In vita S. Pauli primi Eremitæ.

Pauli primi Eremitæ, cuius eximiam vitæ sanctitatem coram inspexerat, ad discipulos suos reuerteretur, illique prodeuntes obuiam, peterent ab eo, Vbinam hactenus fuisti Pater? ille multo cum fletu respondens ait, Ah me miserum peccatorem, qui nonnisi vmbra sum monachi, & falso Religiosi nomine glorior! Vidi Eliam, vidi Ioannem Baptistam in deserto, cum vidi Paulum in paradiso. Simile quid de magno legitur Alacario, qui cum exteros aliquot monachos visitasset, mirabilemque illorum perfectionem aspexisset, ad suos reuersus, apud eosdem incessanter plorabat, dicens, Vidi monachos vere monachos, non sum ego monachus, vt qui nudum dumtaxat monachi nomen geram. Si hoc ipsimet sancti (quæ eorum erat humilitas) dixerint, nos sane multo verius ac potiori iure id dicere possumus, dum sanctorum exemplum & heroicas eorum virtutes consideramus. adeo vt quæ nobis in perfectione desunt, ea per humilitatem & confusionem nostri supplere debeamus. Atque ita illud, quod iam deduximus, medium non parum omni ex parte nobis proderit.

Capvt IX.

Quanti referat parua magnifacere, non vero ea vt parua paruipendere.

Eccles. 19.

Qvi spernit modica, paulatim decidet. Est hoc maximi ponderis ac momenti documentum, iis præsertim, qui perfectioni comparandæ student. Magna siquidem ex seipsis satis commendabilia sunt, at in minoribus aliqua facilius obrepere negligentia solet & contemptus, quod parui ea esse momenti, nec multum ab eis dependere credamas. Quod profecto insignis quidam est error: cum permultum ab hoc dependeat. Quocirca bene verbis illis per Sapientem allatis nos Spiritus sanctus præmonet, vt hoc à nobis periculum auertamus: quod qui modica contemnit, & parua paruifacit, paulatim in maiora sit prolapsurus. Sane, hæc ratio satis esse debebat ad hoc nobis persuadendum, ac sancto quodam timore nos complendos, cum ipsiusmet Spiritus sancti sit ratio & monitum. Egregie rem hanc pertractat Sanctus Bernardus, inter alia vero dicit, *A minimis incipiunt, qui in maxima* postea *proruunt.* quapropter ne decipiaris, inquit, quia verissimum est tritum illud, *Nemo* (communiter quidem loquendo) *repente fit summus* aut in vitio, aut in virtute, sed paulatim per interualla malum ipsum ac bonum crescit. Et quemadmodum graues corporum morbi nonnisi paulatim accrescunt, sic & infirmitates spirituales ac graues animæ morbi nonnisi sensim generantur. Proinde addit Sanctus Bernhardus, quoties probrosas aliquando nonnullorum Dei seruorum ruinas videbis, noli putare tunc primum id damni in iis enatum esse: quia nunquam, qui longo tempore sancte laudabiliterque vixit, repente ac simul in fœdum aliquod flagitium prolabitur ac proruit, at, quia ante in multis rebus minutis ac tenuibus, quarum frequentatione omnis in animæ eius virtutis vigor atque amor paulatim elanguit atque emarcuit, negligenter sese gessit; hinc promeruit, vt suam Deus omnipotens manum paululum ab eo subduceret. Quo factum, vt postea in graui, à qua oppugnatus fuit, tentatione, haud difficulter potuerit expugnari ac supplantari.

Collat. 6. Abbat. Theodor.

Insigni id comparatione declarat Cassianus; & est sane comparatio, qua & Spiritus sanctus in sacris Litteris vsus est. Domus & ædificia, inquit, vno simul

ſimul impetu ad terram non concidunt, ſed ab ſtillicidio quodam tenui incipit malum: nam primo guttulæ aliquæ aquæ penetrantes, trabes & tigna omnia putrefaciunt, quæ deinde aduſque parietes peruadens, eos emollit & deſtruit; quæ demum lues cum adusque fundamenta ipſa proſerpſit, domus tandem vaſtata & corrupta, vna ſimul nocte tota corruit. Hinc ait Sapiens, *In pigritiis humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perſtillabit domus*? id eſt, quia initio, damno domus adhuc exiguo, occurſum non eſt, nec impluuium inſtauratum, nec ſtillicidium obturatum, mane vno tota vna ruina ad terram prolapſa periit. Eodem prorſus modo, inquit Caſſianus, & homines magnas agunt ruinas, & in grauia mala præcipitantes male pereunt.

Eccl.10.8.

Primo ſiquidem affectiuncula noſtræ & paſſiones, ceu ſubtiles quædam ſtillæ, in animam inſinuando ſe ſubingrediuntur, quæ paulatim eodem penetrantes, eius vigorem eneruant, luxant, & infringunt, atque adeo tandem tota domus proruit; quod nempe primum initio, quando damnum adhuc exiguum erat & facile reparabile, homo inſtaurationem facere neglexerit, pauculas inquam ſtillas, & eas paruas, ab ea auertendo. Nam quia parua & modica paruipendit, hinc ſtatim ac à graui tentatione fuit imperitus, à Religione penitus defecit. Vtinam id quotidie non pluſquam ſatis eſt reipſa experiremur! Profecto non poteſt homo non timere ſummo horrore & percelli, dum tenuia illa conſiderat initia, à quibus nonnullorum, qui poſtea in grauiſſima mala prolapſi ſunt, perniciesſecuta eſt. Dæmon ſiquidem, quæ eius vafrities eſt, ipſos Dei ſeruos initio palam, aperto marte, & malis grauiſſimis propoſitis, non oppugnat; ſed ex innata ſibi fraudulentia, paulatim nihil minus ſentientibus parua & minuta aggerendo, viam quodammodo præparat, ad eos in maiora & grauiora mala pertrahendos: ſi enim in principio peccata letalia inſpiraret, facillime & perciperetur & repelleretur; at, cum parua & tenuia ſuggerit, tantum abeſt vt percipiatur & abigatur, vt potius audiatur, & admittatur.

Collat.6. Abbat.Theodor.

Hinc non ſine ratione docet Gregorius, maius aliquatenus venialium culparum eſſe periculum, quam grauium. Hæ enim, quo euidentius cognoſcuntur, eo etiam per maioris mali cognitionem, hominem magis commouent, tum ad circumſpecte eas euitandas, tum, ſi quando in eas incidit, citius ex illis emergendum. Sed culpæ veniales ac leues, quanto minus percipiuntur, tanto minus euitantur, quoniam autem parui pēduntur, hinc citius iterantur & continuantur; imo ita iis homo quodammodo inſepultus & immerſus eſt, vt nunquam generoſe ac viriliter ſecum ſtatuat eaſdem à ſe excutere. Vnde non multo poſt, à paruis ad maiores committendos deſcenditur.

3.p.Paſtor. admonit.35.

S.Catharina Senenſ.dialog.c.172.

Conſentiunt cum his & verba Sancti Chryſoſtomi, aſſerentis rem, quam ipſemet mirabilem vocare non dubitat: *Mirabile quidem*, inquit, *& inauditum dicere audeo. Solet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri eſſe peccata vitanda, quanto parua & vilia: illa enim vt auerſemur, ipſa peccati natura*, & honor quē includit, *efficit; hæc autē hac ipſa re quia parua ſunt, deſides reddunt, & dum contemnuntur non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſe inſurgere. vnde cito ex paruis maxima fiunt, negligentia noſtra.* Propterea autem tanti hoc diabolus facit, & hac parte Religioſos & ſeruos Dei potiſſimum aggreditur: tum vero quod perſpectum habeat, & ſperet hac ſe via aditum inuenturum, vt eos deinde ad culpas grauiores admittendas pertrahat. Vnde bene Auguſtinus, *Quid enim intereſt ad naufragiū, vtrū vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepēs aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem atque ſub-*

Hom.83.in Matth.

Epiſt.108. ad Seleurianam, & habetur de pœnit.diſt.1. c.tres ſunt.

submergat? Ita parum curat dæmon vtrum per parua & vilia in animam tuam subingrediatur, an per maiora, modo tandem consequatur quod spectat, hominem scilicet subuertere & demergere. Addit Sanctus Bonauentura, *Ex minimis guttis multiplicatis inundationes aquarum fiunt, quæ etiam magna aliquando mœnia subruunt, per modicam rimam aqua latenter in nauem influit; donec submergatur.*

De proce. relig. 5. c. 10.

Quocirca bene monet Sanctus Augustinus, quemadmodum dum nauim rimosam aqua subingreditur, assidue per sentinam ea exhauritur, ne ab eadem grauata ipsa fundum petat ita nostrum esse tum per orationem, tum per conscientiæ examen, culpas & imperfectiones, quæ paulatim in animam nostram subrepunt, eiicere & expellere, ne nos tandem submergant & destruant. Hoc continuum Religiosi esse debet exercitium, semper ei ad sentinam standum; quod ni fiat, in præsentissimo pereundi versatur discrimine. Alio vero loco ait: *Peccauisti magna, de minutis, quid agis? an non times minuta? Proiecisti molem, vide ne arena obruaris.* Vndas maris euasisti, tempestates & ingentia quæ in mundi huius pelago occurrunt pericula declinasti: vide ne hic in portu Religionis in arenoso vado pereas: vide ne exilia & minuta periculum tibi ac perniciem creent: parum alioquin tibi profuerit, magna euasisse discrimina. Quemadmodum parum prodesset naui ingentia pericula, prædas, tempestates, immanes scopulos, & confragosas rupes ac breuia effugisse, si postea in portu ipso ad vada adhærescat.

In illud Psal. 66. Gentes in terra.

In Psal. 29. ad illud, Multiplic. sunt super capill.

* * *

CAPVT X.

Alia quædam prægnans affertur ratio, ob quam permagni interest parua non negligere.

EST & alia, eaque maximi momenti ratio, ob quam maximi refert, res paruas parui non ducere: scilicet, timendum nobis esse, ne, si in paruis euitandis negligentes & desides simus, eaque paruipendamus, particulare suum ad speciale Deus propterea auxilium ac gratiam, tum ad tentationibus resistendum, & peccata effugienda, tum vero ad virtutem & perfectionem, quam desideramus consequendam concurrentem, nobis deneget, itaque ingens damnum incurramus.

Vt autem hoc melius intelligatur, doctrina quædam Theologica, eaque obseruatu dignissima, quam & docet Apostolus Corinthiis scribens, præsupponenda est: scilicet nulli Deum vnquam supernaturale, necessarium & sufficiens auxilium denegare; quo, si velit, à tentatione possit non vinci, sed cum illo ei resistere, & victoriam de eadem referre. *Fidelis*, inquit Apostolus, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Est vero & aliud Dei auxilium, idque specialius & particularius, sine quo quis haud dubie resistere dæmoni, & tentationem superare posset, si modo primo illo auxilio supernaturali (quod generalius est) eo quod oportet modo vteretur, at sæpe cum solo primo illo auxilio tẽtationi homo resistere nõ poterit, si aliud particularius & specialius illi Deus auxilium non submittat; non quod non possit, sed quod nolit: nam si vellet, posset etiam cũ primo illo auxilio resistere, quia illud ad hoc sufficiẽs est, si eo quo par est ipsi modo eo vtetur. Si itaq; primo hoc in auxilio

1. Cor. 10. 13.

tenta-

tentationi ſuccumbat, ſui vnius id culpæ imputet neceſſe eſt, eo quod ex voluntate & libero arbitrio ſuo cadat, at ſi ei Deus tunc illam ſpecialem gratiam ſubmitteret, minime caderet.

Cæterum, vt ad materiam meam veniam, dico ſecundum illud auxilium ſuperabundans & efficax, non paſſim omnibus nec ſemper à Deo dari, quod id particularis quędam eius ſit liberalitas & gratia: hinc datur ſolum iis, quibus ipſe id dare dignatus fuerit; iis vero potiſſimum, qui in ipſum viciſſim liberales erunt; ſecundum illa Pſalmographi verba: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Quæ ex alia verſione ſic ſonant: *Cum benigno benignus eris, cum liberali liberalis eris, cum ſincero & candido ſincere & candide ages, & cum peruerſo peruerſe ages.* Atque hoc eſt, quod B. P. N. in Regula noſtra nos monuit, dicēs: *Quanto aliquis ſe arctius Deo aſtrinxerit, & liberaliorem erga ſummam Maieſtatem præſtiterit, tanto eum in ſe liberaliorem etiam experietur; & ipſe indies magis idoneus erit ad gratias & dona ſpiritualia vberiora recipienda* Hoc præterea docet tum Gregorius Nazianzenus, tum alii plures ſancti Patres. In quo autem hæc hominis erga Deum liberalitas conſiſtat, & quid ſit, intelligi commode poteſt ex hominum erga ſe mutuo liberalitate. Tum namq; homo in hominem liberalis dicitur, quando illi dat, non quod ei debet & dare tenetur, ſed cum plus quam debet & dare eſt obligatus. Hoc quippe dici liberalitas poteſt, non prius, quod potius iuſtitia & mera obligatio. Itaque qui, ad eundem modum, magna ſolicitudine Deo ſuo placere ſatagit, non in iis modo, quæ obligationis ſunt, verum etiam ſupererogationis & perfectionis; & non tantum in maioribus, ſed & in minoribus; is vere erga Deum liberalis dicendus eſt. Qui hoc ergo modo erga Deum ſe liberales & effuſos oſtendunt, Deus viciſſim erga illos ſe liberalem præſtabit. Hi ſunt ſcilicet intimi Dei amici, his ſuas gratias interiores diſpertit, in hos denique non modo auxilia illa generalia, quæ quidem ad tentationibus & reſiſtendum & vincendum ſufficiunt, ſed & ſpecialia, ſuperabundantia & efficacia, cum quibus nullo modo à tentatione ſuperabuntur, effundit. Porro ſi ipſe in Deum liberalis non ſis, quomodo Deum in te liberalem eſſe cupis? Si ipſe in Deum parcus ſis, mereris, vt viciſſim ipſe in te parcus ſit. Nam ſi ita ſordidus, vilis, & tenax ſis, vt velut circino exactiſſime dimetiaris, & in bilance quodammodo conciſe & minutim appendas, dicendo: Sumne hoc fa ere obligatus, an non? Teneorne ad hoc ſub pœna peccati, an vero minime? an ad mortale vſq; factum id aſcēdit, an vero tantum veniale manet? (Hoc videlicet eſt, ſordidum & parcum erga Deum eſſe, cum plura ei offerre & dare nolis, quam illi es dare obligatiſſimus: fieri quoq; poteſt, vt etiam in hoc delinquas, nec illud ipſum obligationis debitum expleas.) Deus quoque in te parcus erit, nec plura dabit, quam ad quæ verbo ſuo aſſertorio tenetur, nec alia; dabit ſc. auxilia generalia, & neceſſaria, quæ nulli negat, quæq; ſufficiētia & ſatis ſunt, vt cum iis tentationi homo reſiſtere queat, nec illi ſuccumbere. Quare non ſine ratione timere potes, ne auxilium illud ſpeciale, ſuperabundans & efficax; dari ab eo ſolitum iis, qui in ipſum liberales ſunt, tibi deneget; itaque fiet, vt à tentatione ſupplanteris, & in peccatum impingas.

Hoc nempe eſt, quod communiter Theologi omnes & ſancti Patres docent, videlicet, peccatum ſequens pœnam eſſe alterius pręcedentis. Quod ſic intelligendum eſt, quia per primum illud peccatum, ſpeciale & particulare illud Dei auxilium homo demeruit, eoq; indignum ſe reddidit, ac proinde in aliud nouũ peccatum prolapſus eſt. Idem de venialibus peccatis, imo (quod amplius eſt) de defectibus, negligentiis, & parua ad vitā ſuam reflexione docēt. Tradunt inſuper ob hęc quempiam demereri, & ſpeciali & efficaci illo Dei auxilio ſe poſſe indignũ reddere, quod

Pſal. 12. 26.

Reg. 19. Summarii Conſtit.

Orat. de paupert. amore. & Machar. Ægyp. hom. 19.

S. Aug. ſer. 244. de temp. poſt med. & ſer. 88. initio, & in illud Pſ. 66. Et gentes. in Hier. ad Celant. ep. 1. Chryſoſt. in 2. Gen. hom. 2. & hom. 87. in Matth. & ſerm. de leu. peccat. peric. Bernard. ſer. 59. in Cant. Iſid. lib. 2. de

summo bono. Basil. orat. de ieiun. & ope. init. & in reg. breu. 44. Gre. 10. mor. c. 14. & 3 p. past. adm. 24. S. Thom. 22. q. 88. artic. 3. & aliis. Eccl. 19. 1. Apoc. 3. 16.

quod quidem si habeat, perseuerabit, & tentationẽ reipsa superabit; at, illo si careat, superabitur, & in scelus corruet. Atque hoc in sensu sancti nonnulli exponũt illud Ecclesiast. *Qui spernit modica, paulatim decidet*. qui enim minima contemnit, & parui facit, speciali illa Dei gratia indignum sese reddit, qua destitutus, in magna & grauia proruit. Ita etiam intelligũt illud Ioannis in Apocalypsi: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*. Etsi enim tepidum & languidum nondum penitus exspuerit ac eiecerit Deus, iam tamẽ eum eijcere & euomere incepit; propter hunc nempe languorẽ ac teporem, quem præfert, & propter illos defectus, quos scienter & data opera committit, speciali illo & efficaci auxilio se reddit indignum: quo si caruerit, certe cadet, & Deus illum penitus euomere & à se eijcere perget.

Videamus porro iam, quam merito timendum nobis sit, ne speciali hoc Dei auxilio ob teporem & inertiam nos indignos reddamus. Quoties, eheu! variis à tentationibus nos circumsessos & impetitos videmus? Quoties etiam in maximo eis consentiendi periculo cõstitutos? Vt sæpe etiam dubitemus, num ei inhæserimus, nec ne; num consensum dederimus, nec ne; num ad peccatum vsque res deuenerit, nec ne. Quantum vero his in casibus & angorib. solatium nobis foret, liberales nos alias erga Deum extitisse, & auxilio illo speciali & liberali dignos præstitisse: cũ illo namq; securissimi esse possemus, semper nos victores fore, nec vnquam succubituros; cum, si illo careamus, in magno futuri simus periculo, & fortassis prosternendi.

Homil. 60. super Genes.

Hanc S. Chrysost. rationem velut optimam, atq; ad tentationes superãdas conueniẽtissimam ponit. De diabolo namq; hoste nostro iuratissimo, & de continuo, quod nobis mouet, bello loquens, ait: *Scitis, quod hostem habemus perpetuum, & fœderis nescium: vnde nobis magna vigilantia opus est, ne ab ipso superemur*. Quomodo autẽ vigilabimus, quomodo muniemur armabimurve, ne ab eo expugnemur, sed vt vice versa ipsi semper aduersarium hũc vincamus & præualeamus? dicet nobis Chrysostomus: *Non aliter autem eum vincemus, quam si per vitam optimã supernum nobis auxilium* (id est, speciale) *conciliemus*. Hoc sc. pacto semper victores erimus, & *non aliter*: quod verbum inprimis notatum oportuit. Id ipsum notat S. Basilius hisce verbis: *Qui à Deo se optat iuuari, nunquam deserat quod se addecet officium suum: qui autem hoc facit, is diuino auxilio nunquam destituitur; quapropter danda in eo opera est, ne vlla in re conscientia nostra nos condemnet*. Bene autem id S. Basilius hinc infert, quod nos hinc discere debemus, nempe, tali nobis circumspectione & sedulitate spiritualia exercitia aliaq; opera nostra obeunda, vt nulla in re nos remordeat conscientia, vt ita speciali Dei auxilio nos dignos reddamus.

Vnde ad oculum cuiuis patebit, quanti nostra intersit, parua magnifacere, si modo parua dicenda sint illa, quæ tantum tamq; excellẽs afferre nobis bonum queant, & à quibus tantum nobis mali accedere. Idcirco dixit Sapiens: *Qui timet Deum, nihil negligit*, tametsi minimum: nouit quippe, se à minimis paulatim ad maiora committenda deuolui, & quia timet, si ipse in hisce rebus erga Deum liberalis nõ sit, vt etiam Deus vicissim erga se liberalis existat.

Eccl. 7. 19.

Vt porro finem faciam, tanti hoc dico momenti videri, tantiq; nobis æstimandum esse, vt, velut certissima & infallibilis regula tenendum sit, hominem, quandiu parua & modica magni facit, feliciter processurum, & gratiis a Deo plurimis adimplendum: econtra vero, quando parua & vilia vilipendit, in summo pereundi magnaque committendi periculo agere. Id namq; seminariũ est, è quo omnigenum, religiosos homines destruens, enasci malum solet. Satis id nobis declarauit Redemptor Iesus, cum eum, qui super pauca fidelis est, etiam super multa fidelem futurum asseruit; & qui circa pauca infideliter se gerit, circa multa etiam infidelem se præbiturum. Quocirca quando quis se exami-

Luc. 16. 10.

examinando nosse volet, num quem in spiritu profectum faciat (quod sane quam frequētissime examen fieri ratio ipsa suadet) circa hoc potissimum se singillatim excutiat; videat, inquam, vtrum res paruas magni faciat, an vero licētiam quandam induat, ad easdem flocci faciendas. Si autem comperiat, parua omnia se contemnere, nec solitum, si quando in illa impingit, remorsum conscientiæ sentire, omni qua potest diligentia & cura, hunc emendare defectum studeat. Diabolus namque, vt ait Basil. cum nullo se pacto nos à Religione videt posse diuertere, totis viribus id saltem persuadere nobis conatur, vt perfectioni non incumbamus, & parua magni non faciamus; in quo vana quadam securitate, per hoc scil. Deum non amitti, nos circumuenit. Nostrum vero econtra est, operam dare, vt, sicut nos à Religione ipsa separare nequit, ita nostram perfectionem non impediat; sed totis in eam viribus, & omnibus animi corporisque neruis incumbere, leuia & vilia magni æstimando.

Ser. de renun. sæcul.

CAPVT XI.

Qui profectui suo studere cupit, non eum in genere aggrediatur oportet, sed ad particularia descendat. Et quanti referat bona proposita ac desideria, quæ à Deo illi immittuntur, opere ipso exequi.

PERMVLTVM quoq; nos ad in spiritu proficiendū, aliud quoddam medium iuuabit; quod omnes, qui de vita spirituali scripserunt, vulgo proponere solent; videlicet, hocce profectus nostri negotium non in generali & communi, sed in particulari & per partes accipiēdum esse. Abbas Moyses, vt scribit Cassianus, quadam die à suis fratribus in collatione spirituali petijt, Quidnam per tot ipsi labores, abstinētias, vigilias per tam frequentem orationem & mortificationem spectarent? quem in his finem haberent? Cui illi omnes voce vna dixerunt, Regnum cœlorum. Tum ipse: Illud quidem vltimus omnium est finis: at hoc non rogo, sed tantum, quem immediatum & particularem finem habeatis, vt vltimum illum finem assequamini? tametsi agricolæ finis sit, vt multum frumenti in messe colligat, & abunde illi suppetat, vnde cum suis viuat; omni tamen sua cura ac diligentia huc intendit, vt terram colat & aret, eamque à zizanijs & lolio expurget: quia medium illud necessario illi præmittendum est, vt alium finem suum assequatur. Sic, licet mercatoris finis vltimus sit ditescere, & multum opum colligere, omni tamen studio suo in id vnum incumbit, vt solerter aduertat, ecquod negotiandi & mercaturæ genus futurum sibi sit, ad finem illum suum assequendum, accommodatius & aptius. Sic & Religiosum facere, necesse est. Neque enim satis est, illum in genere dicere, salutem meam specto, bonus esse Religiosus cupio, volo esse perfectus; sed oculus in particulari ad illud vitium aut passionem reflectat oportet, quæ ipsum magis impediat, quominus ad perfectionem perueniat, nec non ad virtutem, quę ad hoc sibi magis necessaria est: & hoc omne eius sit studium. Nam hoc modo paulatim procedendo, & magna quadam diligentia & cura, iam hanc, postea aliam virtutem sibi assequi studēdo, longe facilius & melius id quod spectat, consequetur.

Atque hoc est medium, quod alius Eremita illi olim monacho suggessit, qui, postquam initio diligentissimus & feruentissimus fuisset, in exercitiis suis spiritualibus postmodum elanguit, & valde intepuit. Qui cum dein ad antiquum feruorem redire vellet, sed eius iter obstructū quodammodo inueniret, ac proinde id illi perdifficile videretur, à qua primū re ordiretur, nesciebat: mœstū itaq; consolatus senex, hac eum parabola vel exemplo ad laborem animabat: Pater qui-

In vitis Patrum.

dam, inquiens, filium ad agrum spinis & sentibus obsitum expurgandum miserat: sed cum hic horridum illud vepricetum coram inspiceret, de eo excandicando desperare cœpit: quapropter vno die atque altero somno se dedit iners, & penitus nihil egit. Cui deinde pater: Non est necesse, fili, ait, vt omnia agenda simul vno intuitu respicias, nec ager hic vno die totus est expurgandus: sed tantam quotidie eius partem excole, quantam corporis humani magnitudo caperet. Quod cum filius consilium esset secutus, non multo post totus ille ager à vepribus & sentibus fuit purgatus.

Notandum vero hic est, vnam de præcipuis, ob quas tam parum in spiritu proficimus, & plura à Deo charismata nō recipimꝰ, causam esse, quod bona, quæ ipse nobis suggerit, proposita & desideria, opere non exequamur: hinc, quoniā bonā ante acceptorū illi rationē nō reddimus, alia imposterum maiora nobis non dat. Nam sicuti Præceptor discipulū ad altiorem classem vel studium promouere non solet, dum nondum illum assecutum vel didicisse videt, quæ in minori classe præscribuntur: non aliter se Dominus in nobis ad perfectionem promouendis gerere solet: tanto namq; diutius magna quædā nobis dare differt, quāto ipsi in datis cooperando negligentiores sumus; quo vero diligentius ea quis desideria opere adimplere proponit, quæ illi Dominus in oratione cōmunicare est dignatꝰ, eo ipsum ad maiora etiam conferenda magis prouocat.

Lib. 1. Epist. fol. 241.

Vnde bene R. P. Magister Auila: Qui, inquit, *bene vtitur eo, quod iam nouit, lumen de cælo assequetur ad id, quod nondum nouit: alius vero quis illud petere non audeat; cum replicare dator illi posset: Cur scire vis voluntatē & beneplacitum meum, cum ne quidem in eo, quod nosti, eam adimpleas?* Si itaque illa executioni non mandas desideria, quæ tibi Altissimus inspirat, quomodo res alias maiores ab eo tibi dari velis? Qua fronte & ore petere à Deo in oratione audeas, vt hoc vel illud, quod desideras, & quo opus habes, tibi concedat; si te ipse in vno defectu, quem tamen à te corrigi imprimis necesse est, & ad quod multa tibi desideria & inspirationes Deus Optim. Max. dedit, corrigere & mortificare nolis? Nescio, quomodo ad Deum vel oculos sustollere præsumat ad maiora petenda is, qui se, vel in vno exteriori, cui obnoxius est, defectu emendare nolit, sed deliberate ac voluntarie in ipsum aliquoties impingit. Quamobrem si in spiritu proficere & multa a Deo charismata recipere velimus, simus in inspirationibus & desideriis, quæ Dominus nunquam inspirat, executioni mandandis quam diligentissimi.

Communis est sanctorum omnium doctrina, eum, qui beneficiis acceptis bene vtitur, ad alia noua recipienda dignum se reddere; econtra, qui iisdem abutitur, alia de nouo non mereri recipere. Decimo sexto Sapientiæ capite quærit Salomon, cur manna, cum primum sol radios spargere inciperet, deflueret & euanesceret & nulli post vsui seruiret; si autem igni id iam collectum admoueretur, non liquesceret, nec vllum detrimentum acciperet, cum tamen maior sit ignis quam solis ardor?

Sap. 16. 28.

Ipse sibi Sapiens circa capitis finem respondet, dicens: *Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam*; id est, quod in gratiis & beneficiis, quæ à diuina manu accipimus, bene vtendo, esse debeamus quam diligentissimi; & quod, in ingrati & pigri, qui ante solis exortum surgere detrectat, quo aliquam è dato diuinitus beneficio vtilitatem capiat, castigationem Deus permittat, vt à sole omnis illorum cibus & commeatus liquefactus diffluat.

Luc 19. 12.

Hoc ipsum nobis & Redemptor Iesus in Euangelio, sub parabola illa hominis illius regis declarat, qui, cum vniuersam substantiam suam in seruos distribuisset, vt ex illa lucrum quisque negotiando faceret; &, postquam iam regni possessionem cepisset, rationem accepti à singulis poposcisset; comperto post multa vnumquenq; illorum talenta superlucratū esse, pro talentorum acquisitorum numero ac pro-

proportione singulis præfecturas distribuit: nam eum, qui decem talenta lucratus erat, decem ciuitatibus præposuit; qui quinque, quinque ei regendas ciuitates tradidit. Qua Dominus parabola indicare voluit, quemadmodum rex ille seruorum suorum industriam ac fidelitatem mercede nimium quanta est remuneratus (quæ enim decem talentorum est ad decem ciuitates florentes proportio?) pari modo, si nos inspirationes Dei opere ipso exequamur, & in illa correspondētia fideles simus, nimis quam magno, excessiuo, & aucto nobis fœnore diuina sua Deum dona multiplicaturum. Et contra, si non pro eo, ac oportet, datori respondeamus, non modo nobis, quod ante datum erat, auferendum, verum etiam plagis vapulaturos multis, vti seruus ille deses, qui accepto à Rege talento nihil omnino lucratus erat, nec peculium regium adauxerat.

Plin. lib.35. nat. hist. c.10. Notissimus ille pictor Apelles nūquam tot tantisq; occupationibus distinebatur, quin suam quotidie artē exerceret, semper aliquid pingendo; hinc tempus interdum nego iis occurrentibus suffurando, dicere solebat: Hodie nullam lineam duxi: quod inde velut prouerbium vsurpari in quolibet officio & arte cœpit, dum sc. dies præterijt, qua quis eam nec coluit, nec exercuit. Atq; inde Apelles tam perfectus & cōsummatus pictor euasit. Quocirca si & tu perfectus & completus esse Religiosus vis, nulla tibi dies abeat, qua non aliquam in virtute lineam ducas, & aliquid proficias: Quotidie aliqē ex operibus, quæ agis, defectū tolle; hoc quippe modo indies ea fient & meliora & perfectiora. Et cum meridianum conscientiæ examen instituies, perpende & examina, num media illa dies tibi abierit, nulla dū in virtutibus lineola ducta, ac tum dicito: *Hodie, eheu! nullam lineam duxi*: id est, hodie in virtutis via ne vno quidem passu ꝓgressus sum, hodie in nulla me re mortificaui, hodie ne vel vnum humilitatis actum exercui, cum tamen eius exercendę occasiones non defuerint. Inaniter mihi hæc media dies effluxit, sed reliquā partē melius traducam, & crastinam ēt melius. Hoc modo si processerimus, paulatim multum in virtutū stadio progrediemur.

CAPVT XII.

Multum ad perfectionem assequendam conferet, nullum data opera & deliberate defectum admittere, & in cœpto feruore flauescere.

NON parum quoq; in virtute & perfectione proficiemus, si nullam deliberate ac studio imperfectionē cōmittere procuremus. Duo sunt imperfectionū & culparū venialiū genera: aliæ, in quas etiam impingunt illi, qui Deum timent, idq; vel ex fragilitate, vel ignorantia, vel inaduertētia; ētsi non sine aliqua sua negligentia. Norūt porro & sentiūt ipsi serui Dei, quiq; in veritatē coram eo ambulāt, has sibi non amaritudinis, sed humiliandi sui occasionem esse; nec suum propter has ab ipsis Deum vultum auertere, nec succensere; imo vero nouum quendam sibi à Domino postea fauorem & nouum spiritus vigorem, ob humilē illum suum idcirco ad Deum recursum dari re ipsa experiuntur. Sunt vero & aliæ culpæ & imperfectiones, quas tepidi & in seruitio diuino segnes aduertenter & data opera committunt. Magna hæ impediunt bona nobis haud dubie danda, si in eas nō impingeremus. Atq; ob has sæpe suum à nobis Dominus vultum in oratione auertit, & plurimas nobis gratias conferre desinit. Quocirca si & proficere, & multas cœlitus gratias recipere velimus, demus operam, ne quas culpas deliberate & scienter faciamus. Sufficere nobis debent illæ, quas aut ex ignorantia, aut inaduertentia consciscimus, nullas à parte nostra ijs addamus. Scilicet, illæ in oratione distractiones sufficiunt, quæ ob imaginationis inconstantiam nobis inopinato ingruunt; voluntarie vero & deliberate nullas

Lud. Blos. in Specul. spirit. c.6.

Venialium culparum duo genera.

nullas ipsi nobis accersamus. Satis sint illæ imperfectiones, quas ex fragilitate, in regularum violatione committimus, vt necesse non sit eas ex professo & proposito infringere.

Basilius. S. Basilius aliud quoddam perfectionis comparandæ medium proponit, ipsumq; ad breuissimo tempore plurimum proficiendum, perutile esse dicit: nimirum nõ esse in virtutis via, aliqua diuerticula ad interquiescendum comparata, facienda. Sunt siquidem, qui subinde quidem interruptis vicibus, heroica quædam molimina aggrediuntur, sed mox eadem omittunt & interquiescunt. Quod semel cœpisti, fortiter vrge, & huiusmodi declinatoria deuita: nam in hac vitæ spiritualis via magis defatigaberis subinde interquiescens, quam si semper pergas, nec vsquam subsistas. Circa quod magnum est inter spiritualia & corporalia exercitia discrimen: quia *caro operando deficit, spiritus operando proficit*; & quo in suis exercitiis corpus magis operatur & laborat, eo magis defatigatur & languescit; at quo spiritus magis exercetur & agit, plus virium vigorisque acquirit. Atque hoc illo significatur adagio: *Arcum frangit intentio, animum remissio.* (Paul. Manut. in Adag.)

Vnde sanctus Ambrosius sic ait: Quemadmodum facilius est in peccatum non labi, & innocentiam primæuam conseruare, quam post lapsum veram sinceramque pœnitentiam agere: ita facilius longe, orationis ac deuotionis feruorem est conseruare, quam postquam ad dies aliquot eam penitus quis omiserit, ad eam postliminio reuerti. (Lib. vn. de pœnit. c. 10.) Faber ferrarius ferrum iam ab igne candens fornace educens, quia id tum molle est, atque ad quamlibet, quam is malleo tundendo ei dare voluerit, formam recipiendam dispositum, ipsum penitus frigescere non sinit: verum antequam totum frigescat, fornaci reinserit, vt statim rursus tale sit, quale ante paulo exstitit. Pari modo nobis videndum, ne vnquam deuotionis calorem penitus intermori sinamus. Si enim is refrigescat, & cor indurescat, nonnisi ægerrime ad primum feruorem redire poterimus. Atque ita, quotidiana edocti experientia fieri videmus, vt, quantumuis insignem aliquis in virtute progressum fecerit, si ad tempus nonnihil ab ea is colenda interquiescat, breui illo tempore, quo distrahitur, & bona sua exercitia omittit, simul & semel perdat, quod antea longo tempore magnoque labore comparārat, vt ne vestigium quidem eorum, quæ ante habuerat, superesse, & eodem ipse, ob eam, quam experitur, difficultatem, redire vix aliquando posse videatur. Econtra, qui cum feruore procedunt, & deuotionis calorem semper integrum fouere ac conseruare student, bona sua exercitia semper continuando, inque iisdem indesinenter perseuerando, & facile in primo suo vigore manent, & breuissimo tempore insignem progressum faciunt. Rei huius ratio etiam hæc est: quia hi nullum tempus amittunt, neu destruunt, quæ ante construxere, cum vice versa tepidi & desides, ob suas illas interruptæ quietis vices & renouationes, toto tempore aliud non agant, quam construere & destruere, texere & dissoluere; itaque nunquam suam telam pertexunt, priores vero non modo structa non destruunt, verum etiam semper longius progrediuntur, & continuo suo exercitio maiores sibi quotidie vires, ac maiorem ad plura ac meliora agenda acquirunt facilitatem. Atque hoc est quod dixit Sapiens: *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat.* (Prou. 10. 4.) Et, *Anima operantium impugnabitur.* (Prou. 13. 4.) Senex quidam Eremicola hanc inter Religiosos tepidos & remissos, & alios sedulos & feruentes comparationem instituebat; illos siquidem, qui nescio quo senectutis prætextu vt defatigatos se gerunt, inq; suo profectu spirituali vlterius progredi nolunt, similes esse aiebat veteribus Principum asseclis, qui nullum iam amplius, vt emeriti, in aula famulatum præstant, sed tantum inani specie ad ostentationem in aula versari permittuntur, & totos dies ad ianuas ma-

gnatum in atrijs narratiunculis enarrandis impendunt. Datur quidem illis diurnum cibi dimensum, & sportula solita, ceu famulis veteranis; at iam amplius apud Principem non agunt, nec nouam vel maiorem apud illum gratiam indies aucupantur, imo vix iam vlla in aula illorum superest memoria. Contra nouos & iuniores clientes tam in domini sui famulatu videbis diligentes & solicitos, vt nullam toto die quietem inueniant, nullum ab opere ipsis otium detur, imo tam nauos, vt vixdum plene suam verbo vel nutu Dominus indicarit mentem, quin illius hi iussa exacte adimplerint. Hi sunt Principum intimi, hi in illorum se beneuolentiam indies magis & magis insinuant. Quibus proinde Religiosos impigros & feruidos assimilare possumus.

CAPVT XIII.

Alia tria media proponuntur, ad in virtutum studio proficiendum.

BASILIVS Magnus aliud egregium ad bene proficiendum medium nobis suggerit, quod & alii post eum communiter Patres dare solent: vt videlicet oculos in meliores, & in eos, qui virtutibus magis excellunt, & præ cæteris illustriores sunt, conijciamus; atque eos deinde imitari studeamus. Idem consulebat Beatus Antonius, dicebatq; bonum Religiosum instar apis, ex omnibus, quos hinc inde videt, aliquot flosculos colligere debere, vt ex eis dein mel suum conficiat; ab vno videlicet modestiam, ab alio silentium, ab hoc patientiam, ab illo obedientiam, ab alio demum indifferentiam & resignationem. Id in vnoquoque videlicet notandum est, quo excellit, vt ipsum deinde imitari conemur. Quod & ipsum legimus fecisse, vnde etiam tam eximius & illustris sanctimonia euasit. Hoc vnum de maximis bonis est, quæ in Religione habemus, & ob quod sanctus Hieronymus cœnobiticam solitariæ, & in multorum congregatione viuentes anachoretis anteponit, & cur satius ac meliusesse iudicet in illa, quam in hac viuere: *Vt ab alio*, inquit, *discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille te doceat mansuetudinem.* Philosophus quidam, Carilus nomine, inter Lacedæmonios magni vir nominis, & inprimis illustris, rogatus, ecquamnam Rempublicam omnium censeret optimam; Eam, inquit, in qua inuicem ciues contendunt, ecquis eorum reliquis ciuibus suis virtute futurus sit maior, idque sine vllo tumultu & seditione. Cum porro & hoc inter alia plurima nobis in Religione iam Dominus beneficium prestet, vtinam id, eo dante, perpetuum sit. Magnæ quidem in omnibus pene mundi Rebuspublicis contentiones & æmulationes sunt; sed eæ aut circa opes, aut punctum honoris versantur: qui autem de virtute cum alio decertet, vix vllum ibi inuenies. In Religione vero, quę Dei bonitas & misericordia est, omne eam profitentium studium circa propriam abnegationem, & quotidianum in studio virtutis & perfectionis progressum versatur, hinc omnes ipsorum concertationes & æmulationes eo spectant, vt quisque alium virtute antecellat, hicque illo sit vel humilior, vel obedientior; atque id sine vllo strepitu, murmurationibus, dissensionibus, sed cum sancta quadam inuidia, & laudabili æmulatione. Et sane non parua gratia & beneficium est, sed & insigne & incomparabile, & ad eam nos à Deo vocatos esse Religionem, in qua virtus colatur, & in pretio sit, in qua insignis Theologus, & eloquens concionator non ideo magnifit & æstimatur, quod doctus sit, & egregie concionetur, sed quod animi demissione, & sui mortificatione emineat: in qua denique omnes vlterius in virtute semper progredi allaborãt, suoq; singuli exemplo inuicem ad etiam vlterius contendendum animant. Tam bona igitur hac occasione, quã ad hoc medium exer-

Optimum quemq; imitari oportet.

exercendum habemus, rite vtamur, & in bonum nostrum conuertamus.

Hinc porro secundum elicere medium possumus, ipsam, inquam, obligationem, qua ad bono fratribus nostris exemplo prælucendum obstricti sumus, *vt omnes se mutuo considerãtes, in deuotione crescant, Deumque Dominum nostrum laudent*, vt B. P. N. nos monet, vel potius ante eum ipsemet Christus in Euangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cœlis est.* Nemo profecto nostrûm est, quin ad oculum videat, quam bonum virtutis exemplum efficax sit aliorum ad eandem emouendorum ratio. Plus scilicet fructus bono suo bonus aliquis Religiosus vniuersa in domo, exemplo facit, quam omnia, quæ de virtute instirui possunt, aut colloquia, aut exhortationes & sermones. Magis quippe homines credere solent ijs, quę oculis vident, quam quę auribus audiũt; hinc sibi persuadẽt, quod ab alio quopiam fieri ante vident, practicabile esse, itaq; & ipsi ad illud faciendum maxime animantur & permouentur. Atq; hoc mystice conclusio illa alarum in sanctis illis animalibus, quæ Ezechiel conspexit, repræsentabat: *Et audiui vocem alarum animalium, percutientium alteram ad alteram.* Quando videlicet bono fratrem exemplo ædificas, cor illius quodammodo concutis, eumque sic ad compunctionem & deuotionem, ac perfectionis desiderium excitas.

3. p. Constit. c. 1. §. 4. & Reg. 29. Summar. Matt. 15. 16.

Ezech. 3. 13.

S. Bernardus, dum in Ordinis sui exortu, solum Religiosos quosdam spirituales, & suo proximum exemplo ædificantes coram videret, non parum hoc se scribit fuisse spectaculo recreatum, itaque eo animatum, vt & suauitate deuotioneque anima, suauissimis vero lachrymis oculi adimplerentur; & non modo quotidiano talium aspectu, sed vel sola recordatione, eorum scilicet, quos ante nouerat, sed iam vel absentes, vel vita defuncti erant, ad meliora sæpius fuisse permotum. Atq; hoc est, quod in Iosia Rege sacra celebrat Scriptura: *Memoria*, inquit, *Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij.* Tales vt simus, nostrum est omni contentione allaborare, iuxta illud sancti Pauli: *Christi bonus odor sumus:* simus, inquam, ceu vnguentum aromaticum, ceu myrothecium, & pilula vnguentaria ex aromatibus confertis composita, quæ suum omnibus tangentibus ilico odorem aspirant, eos simul & reuigorant, & corroborant. Acris id stimuli loco nobis esse debet, ad totos nos virtutum studio impendendos, nullamque quibuscum viuimus offendiculi occasionem præbendam. Nam sicut laudabilis vitæ Religiosus ad domus totius ædificationem, vtque sui vnius exemplum ipsa sequatur, plurimum confert, ac vnus ipse ad hoc satis est: ita ad integræ communitatis destructionem & scandalum, vtque sui vnius exemplo omnes deprauentur, dissolutus vnus nimis quam multum nocet, & plusquam satis est. Imo certissimum est, longe esse exemplum ad malum, quam ad bonum efficacius, idque ob malam naturæ nostræ deprauatæ, semper ad malum, quam ad bonum pronioris, propensionem.

Serm. 14. super Cant.

Eccl. 49. 1. 2. 3.

2. Cor. 2. 15.

In Deuteronomio Deus Duces & capita à populo vniuerso ad bellum proficiscente, ante petere iussit: *Quis est homo formidolosus, & corde pauido, vadat & reuertatur in domum suam.* Cuius rei quam mox dat rationem, notanda est, quia hęc ad propositum nostrum facit, *Ne pauere*, inquit, *faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Idem & Religiosus tepidus & remissus prauo suo exemplo in Religione facit: is namque collegas reliquos formidine & inerti quodam metu implet, quominus ipsi viriliter pugnent, & serio perfectionis negotia tractent; atque adeo suum ijs languorem & teporem velut pestilens quoddam contagium adflat. Vnde præclare Eusebius Emissenus, *Qui*, inquit, *inter multos vitam agere constituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel etiam diligentes, vel negligentes sunt.*

Deut. 20. 8.

Homil. 7. ad monach.

Addere his & aliud quid possumus, quod

quod tertium medium & motiuum ad ad hanc ipsam rem excitans esse potest: scilicet, non fratres nostros solum, quibuscum quotidie tractamus & conuersamur, sed & omnes omnino homines bono nostro exemplo ædificari debere, ne nimirum mea vnius culpa boni, quod sibi Religio iam comparauit, nominis iacturam faciat. Videmus namque malo vnius exẽplo viso, de reliquo ordinis corpore mundum iudicare solere. Religiosi quippe alicuius culpa & peccatum videtur esse ceu peccatum aliquod originarium, vt in stirpẽ vniuersam per traducem descendens, vel vt opes mercatorum multorum in vna societate iunctim agentium. Statim namque, vbi mundus quid mali videt, occlamat; Etiam Patres Societatis (v.gr.) à bene viuendi instituto desciscunt, & hoc & illud agunt; quod vnum fortasse à bene viuendo desciscere, & licentius agere videant. Vnicuique ergo magna bono omnibus exemplo prælucendi, malo autem offendendi neminem obligatio incumbit, vt sic bona Religionis fama ac nomen conseruetur, foueatur & propagetur, & suis ipse culpis & imperfectionibus in culpa non sit, cur bonum nomen & auctoritas, quam per Dei gratiam & bonitatem iam habet, sordeat & vilescat. Nobis vero inprimis isthæc obligatio incumbit, tum quod adhuc noui & recentes simus, ac velut in ortu, tum quod nemo non oculos in nos conrectos habeat, & *spectaculum facti simus mundo, angelis, & hominibus.* Etsi quidem, vt verum fatear, vnius particularis culpam vniuersæ Religioni à mundanis adscribi, rationi repugnet, & præter æquum sit: certum tamen id est, Ordinis totius bonum & progressum ab vnius atque alterius laudabili & religiosa vita, contra vero ab vnius irreligiositate, eius totius contemptum dependere. Illi namque Religionem vniuersam repræsentant. Videat igitur quisque, ne, vt bonus miles, suam stationem deserat; videat, inquam, ne sua vnius culpa acies tam constipata & densa rumpatur; da operam, charissime, tua ne negligentia Religio remissior fiat ac laxior. Huc mirifice faciet, si illis se quisque à Religione matre sua verbis se credat compellari, quibus sancta illa Machabæorum mater filium natu minimum est alloquuta, & ad pro patriis legibus mortem & ferendam & oppetendam animauit: *Miserere mei, fili mi, quæ te non nouem mensibus*, sed nouennio, imo viginti, triginta, & amplius annis *in vtero* & visceribus meis *portaui, triennio* probationis *lac tibi dedi*, & in virtute & litterarum studio tanta mea impensa *alui*, donec ad eum, in quo versaris, statum promouereris. Nihil autem aliud pro his omnibus à te exigo, quam vt vnius misericordia tangaris mei, propter te ipsa non peream, nec triste mihi ac probrosum causeris senium: noli arma, quibus te ad bonum & vtilitatem tum tuam, tum aliorum instruxi, in mea tuaque ipsius viscera conuertere; quodque tibi bona occasio & medium ad mihi magis placendum, te magis humiliandum & mortificandum esse debebat, inde euanescendi magis, liberiusque agendi, & mortificationis omnis proculcandæ occasionem noli sumere.

1. Cor. 4. 9.

2. Mach. 7. 27.

Capvt XIV.

Multum proficere volenti, conducit, si ita semper se gerat, vti primo gessit die, quo Religionem est ingressus.

Abbas Agathon à quodam de veteribus illis Monachis rogatus, quomodo sese in Religione gereret, id vnum respondit: *Vide, qualis fueris prima die, quando existi de sæculo, & receptus fuisti in claustro, & talis permane semper.* Si itaque scire velis, quomodo bonus futurus sis Religiosus, quomodo vitam instituturus, vt multum in virtute & perfectione proficias, ecce tibi optimum ad hoc medium: id scilicet vide, qualis illo fueris

ris die, quo primum mundum deseruisti, & Religionem ingressus es, & talis semper permanere stude. Considera, inquam, quo mundum, & quicquid in eo possidebas, feruore & animositate relinqueris, parentes, amicos, notos, hæreditatem, opes, delicias, voluptates, recreationes, & in hoc mundi contemptu, in hac consanguineorum, parentumque obliuione, in hac voluptatum & commodorum propriorum abdicatione perseuera, atque ita bonus Religiosus eris. Perpende ad hæc, quanta petieris humilitate & instantia in Religionem ipsam admitti, & quomodo eo, quo aditus petenti tibi concessus est, die, tibi visum sit cœlum quodammodo aperiri, ac magnam te tunc gratitudinis summæ ostendendæ, Deoque & Religioni ob tam eximium beneficium & gratiam perpetuo seruiendi, obligationem ac debitum contraxisse; & in hac gratitudine, & humili debiti recognitione perseuera; & tam te modo Deo & Religioni obligatum & obstrictum agnosce, ac sensisti primo die, quo in Ordinem receptus es; & insignem hoc pacto in religione progressum facies. Rursus tecum cogita, quanta, postquam iam admissus fuisti, deuotione & modestia in ipso principio te gesseris; quantam obedientiam, humilitatem, promptitudinem, quantam in omnibus vbique indifferentiam & resignationem ostenderis; & in eo semper perseuera: itaque indies magis magisque in virtutum studio & perfectione proficies & cresces.

Dionys. Carthus. in scala Relig.

Hocce proficiendi medium sancti omnes, vti mox videbimus, mirifice commendarunt. Sed ante omnia opus est, vt ipsum bene intelligamus. Neque enim id volumus, quasi hodie etiam non plus virtutis habere te oporteat, quam primo habuisti die, quo Religiosum habitum assumpsisti: vti nec Veteranum Nouitij alicuius virtute contentum viuere debere. Constat namque, plus virtutis veterano inesse, & maiorem illum in ea profectum fecisse debere, quam nuperum tyronem, qui vixdum heri Religioni nomen dedit: vti qui decennio toto litteris operam dedit, plus scientiæ acquisisse, & plura nosse necessario debet, quam qui primum ad studia accedit. Vt enim Religio quædam virtutis & perfectionis est schola; ita verisimile sit, eum, qui diutius hanc scholam frequentauit, plus addiscere & profecisse debuisse. Sed sicuti ei, qui, postquam magno feruore & diligentia sua studia incepit, in illis deinde, languore & veterno quodam correptus, deficit, consulimus, vt ad eum feruorem, diligentiam, sedulitatemque, qua olim studia inchoauit, reuertatur; ita namque fore, vt feliciter illorum cursum decurrat: pari modo aliud hic non suademus, quam vt primos illos æstus, cum quibus virtutis stadium inchoasti, primo die, quo Religionem inijsti, resumas. Vide itaque, quanta generositate & constantia Deo tunc seruire cœperis, nihil vt difficile tibi occurreret, vel arduum videretur; & illum feruorem, illos spiritus & animos iam præfer; hocque modo permultum in Religione proficies. Atq; hoc est, quod circa hoc medium sancti nobis dicere volunt.

Beatus Abbas Antonius, cum à discipulis rogaretur, vt aliquot ipsis ad profectum spectantia documenta spiritualia suggereret, ab hac re, vt refert in eius vita sanctus Athanasius, sermonis sui duxit initium: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum; nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod cœperit.* Et præterquam quod illud ipsum sæpius in vita repeteret, iam morti vicinus velut testamentum & vltimam voluntatem suam, vt fratribus infixum inhæreret profundius, quam tenerrimis ipsum inculcare cœpit verbis, qualia morientis patris esse solent: *Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia. Sed vos, ô viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem*

Athanas. in vit. Sur. tom. 1. pag 366.

rem repente perdatis: hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœpta voluntatis fortitudo succrescat. Id est, paucis: Si in virtute & perfectione progredi vultis, hoc semper ante oculos habetote: Cogitate nimirum quotidie, vos eo die primum seruire Deo incipere, & ita semper vos gerite, vti illo die, quo primum sanctum habitum assumpsistis; & ita fiet, vt boni sitis Religiosi futuri. Hoc quoque medium sic suggerit sanctus Augustinus: *Obliuiscere omne præteritum, & quotidie inchoare te puta.*

Epist. 143. ad Demetriad.

Quotidiana & obuia id similitudine declarat sanctus Antonius: Sicut, inquit, serui & famuli virorum nobilium, quantumuis dominis multum obsequij præstiterint, & plurimum laboris subierint, non tamen minus ideo agere tenentur, quicquid de nouo faciendum occurrit; sed semper ita prompti & alacres ad cuncta iussa herilia excipienda sunt, tanquam si tum primum famulari inciperent: ita nostrum est, non aliter Deo creatori & Domino nostro seruire.

Athanas. in vit. Sur. tom. 1. pag 366.

Præclarum huius rei exemplum habemus in sancto Bernhardo. Is quippe, vt refert Surius, alios quoslibet suspiciebat & tenebat vt sanctos & perfectos, ijque, vt hominibus iam perfectis, & in virtutis stadio multum progressis, aliquibus in rebus nonnihil priuilegio quodam indulgeri concedique debere credebat. (Bonum autem & vtile id est ad alios non diiudicandos, si quando similem in ipsis licentiam cōspicimus) seipsum vero semper vt nouitium & nuperum tyronem habebat, cui huiusmodi indulgentiæ & exemptiones nequaquam conuenirent: atque ita ne minimo quidem quidquam de Religionis rigore, neue de laboribus communibus, atque exercitijs humilibus remittebat. Ipse proinde primus erat in omnibus, quæ à Superiore iniungebantur, exequendis; ipse primus scopas & manutergium ad ollas tergendas in manus sumebat: in nulla ipse re excipi se eximique patiebatur, aut maiori præ alijs priuilegio donari; hinc, quando aliquod manuale exercitium cæteri peragebant, quod ipse facere non poterat, ne quam interim merendi occasionem amitteret, ipsum alio viliori & humiliori exercitio tunc compensare satagebat. Modo namque ligone arrepto terram fodere incipiebat modo cuneo lignum findebat ipsumque in humeros acceptum ad culinam deferebat: quæ exercitia non mediocrem ipsi voluptatem adferebant. Hæc autem omnia ad in spiritu proficiendum sibi facienda credebat; longe secus, atq; aliqui, qui dum huiusmodi opera agūt, se, si non necessario ad profectum, ad bonum saltem exemplum ea agere dicunt, se namq; ijs minime opus habere putant, nec multum hæc ad se pertinere. Bonum quidem est, illa te ad bonum exemplum, & ad alios ædificandum agere, at melius foret, si tibi persuaderes, te ijs etiam opus habere: cum & S. Bernhardus illa sibi maxime necessaria putaret.

Lib. 1. c. 4. vit.

Aliis indulge, tibi insta.

Aliud ad superiora punctum, idque inprimis bonum, addit sanctus Antonius, per quod ante dicta manifestiora fiunt, & confirmantur. Neque enim illi satis est, vt à primis illis, quibus cœpimus, feruoribus non desciscamus; sed requirit insuper, vt semper vlterius in illis progrediamur, quotidie magis & magis crescendo & proficiendo. *Sed quasi,* inquit, *incipientem debere semper augere quod cœperit.* Sicut enim, qui Deo primum seruire incipit, etiam atque etiam satagit, vt quotidie plura, maiora, & noua obsequia illi deferat, videndo hactenus se eum semper offendisse, & peccata grauissima commisisse, vt ita præteritā noxam resarciat, seq; præmio & mercede dignum reddat: sic nostrū est, taliter semper nos gerere, quasi hactenus nihil profecissemus, sed potius omnem operam nostram inutiliter impendissemus & consumpsissemus.

Hoc medium, inquit sanctus Gregorius, omnibus omnino conuenit, licet etiam admodum perfecti sint. Etsi enim Dauid Propheta vir esset perfectus, nihilominus, quasi primū inciperet, dicebat:

Lib. 2. Mor. c. 4.

Psal.76.11. *Dixi, nunc cœpi.* Tanto namque feruore & constantia in via & cultu Domini in senectute sua progrediebatur, quasi illi tunc primum de nouo ac nuperrime seruire inciperet. Quinimo virorum perfectorum id maxime proprium est, *Eccl.18.6.* iuxta illud Sapientis: *Cum consummauerit homo, tunc incipiet.* Veri quippe Dei serui, quo longius prouehuntur, & fini suo propiores, ac perfectioni viciniores sunt, eo maiori constantia, accuratione & feruore procedunt, & *quasi*, vt ait *Iob.3.21.* Iob, *effodientes thesaurum.* Super quæ verba sic commentatur sanctus Gregorius: Sicut thesaurorum fossores, quo magis effoderint, & profundius terram penetrant, eo maiori in opus suum incumbūt diligentia; quia cum norint ad thesaurum absc̄ōditum, quem indagant, se iam propius accedere, & parum ab eodem abesse; ad diligentius & animosius fodiendum animantur, maiorique cum voluptate & gaudio terrā eruunt; ita qui profectus, & perfectionis suæ ex animo studiosi sunt, quo longius in ea prouehuntur, & fini suo fiunt propiores, eo laborant contentiosius. Hem! quam thesaurus iam vicinus est! Ergo ad sedulo laborandum accingere, insta, festina, quia parum tibi spatii, quoad eum peruenias, ad- *Heb.10.25.* huc restat, *& tanto magis*, inquit Apostolus, *quanto videritis appropinquantem diem.* Perinde ac si diceret, ait Magnus Gregorius, eo labor & contentio laborantium esse debet maior & intensior, quo præmium & merces vicinior. Dum saxum deorsum fertur, quanto centro id suo magis appropinquat, tanto maiori velocitate & celeritate fertur, donec eo tandem perueniat. Pari modo, quo quis in virtute & perfectione magis crescit, & ad Deum suum, qui eius est centrum, & vltimus finis, propius accedit, & magis festinat, vt ad eum pertingat. Atque hi, *In reg. breu. interrog.259.* inquit S. Basilius, sunt feruentes spiritu, de quibus loquitur Apostolus: *Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes.* Sunt quippe nonnulli, qui initio, quando Religionem primo ineunt, magno cum feruore incipiunt, sed cum iam nouitiatu exierunt, statim vt defatigati deficiunt, & veteranorum quietem captant: illi non sunt *spiritu feruentes*, sed tepidi & desidiosi. Feruentes vero spiritu, ait sanctus Basilius, sunt illi, qui semper talem feruorem & desiderium, tam insatiabilem famem præferunt, qualem initio habuere, qui in Dei seruitio nec saturantur, nec lassescunt, sed semper maius ac maius illi obsequium deferre gestiunt, secundum illud Psalmistæ: *In mandatis* *Psal.11.1.* *eius volet nimis.*

CAPVT XV.

Non mediocriter ad profectum conferet, si seipsum vnusquisq; frequenter interroget: Ad quid ad Religionem venisti?

EST & aliud perutile, ad in virtute crescendum, & perfectionem acquirendam, medium, quo, teste Surio in vita, *Lib.1.vitæ.* S. Bernhardus solitus fuit vti: *Hoc*, in- *c.4.* quit, *semper in corde, frequenter etiam in ore habebat: Bernharde, Bernharde, ad quid venisti?* Idem etiam de sancto Arsenio legimus, seipsum sic identidem interrogante: *Arseni, Arseni, ad quid venisti?* Cur mundum dereliquisti? Quis tuus fuit finis & scopus, dum, eo deserto, ad Religionem conuolasti? An non, vt in hac Deo tuo sincere & in omnibus placere studeres, hominibus vero complacere & gratificari non curares, paruique faceres ab ijs vicissim magnifieri & coli? Quare primum illud tibi curæ sit, humanam vero æstimationem & opinionem noli morari: hoc namque mundum sapit, quem deseruisti: itaque corde & affectu ad eum noli reuerti: parum namque tibi profuerit, corpore hic in cœnobio agere, si corde & animo in mundo habites, humanum applausum & æstimationem captando. Hoc scilicet calcari se sancti omnes excitabant & animabant. Hoc & nos ipsi excitemus, & ad vlterius progrediendum, omnesque difficultates, quæ

quæ in Religiosa vita nobis occurrent, transcendendas, animemus. Si quando aliquam in Superiorum iussis parendo molestiam senties, hisce te verbis exstimula, Ad quid Religionem inijsti? an fortasse, vt propriam facias voluntatem? minime gentium, sed vt alienam. Cur ergo tuam facere, & proprio niti iudicio vis? Si quem paupertatis effectum senties, hoc rûrsum tibi calcar subde; Anne huc venisti, vt proprias commoditates quæras? an, vt omnia vsquaquaque completa habeas, nihilque omnino tibi desit? an ignoras, ideo venisse te, vt pauper esses, &, ceu verus pauper, aliquam rerum necessitatem patereris? Quid ergo murmuras? Quid conquereris? Quando denique tibi videberis negligi ac paruifieri, hac te oratione consolare, dicens: Anne idcirco ad Religionem animum adiecisti, vt magnifieres, & ab omnibus celebrareris? nequaquam imo vero, vt apud omnes in obliuione fores, & hominum opinionem, mundique æstimationem parum aut nihil morareris: cur ergo respuis id, quod vltro amplexus es? Cur reuerti denuo vis ad id, quod deseruisti? Hoc demum est esse Religiosum, tuam voluntatem non facere, pauperem esse, penuriam rerum pati, velle latere, ab hominibus ignorari, atque nullo apud eos esse loco. Hoc scilicet est mortuum esse mundo, & viuere Deo.

Cum ergo ad hoc ad Religionem venerimus, parum sane nobis proderit in ea viuere, nisi etiam exacte faciamus id, propter quod venimus: neque enim locus sanctum quem facit, sed vita sancta, religiosa & perfecta. Egregie id pertractat Augustinus in sermone quodam ad Fratres in eremo degentes: *Ecce in solitudine sumus, in eremo sumus; locus tamen non facit sanctos, sed operatio bona locum sanctificabit, & nos.* Esto namque locus sit sanctissimus, esto sis in Religione reclusissimus, tamen & ibi peccare poteris, etiam ibi damnationem tuam operari. quare in hoc, inquit Augustinus, noli fidere, *peccauit enim Angelus in cœlo, peccauit Adam in paradiso: & tamen nullus locus sanctior illis erat:* quia locus habitantem non sanctificat. *Si enim habitatorem loca beare possent, nec homo nec Angelus à dignitate corruissent.* Quapropter noli credere tunc rem in saluo, tunc te extra omnem aleam ac periculum esse, cum dicere poteris: Religiosus sum, Societatis Iesu sum: quia hoc non sufficit, nisi feceris id, ob quod ad Religionem venisti. Cogita, non venisse te huc, vt eruditus euaderes scholaris, aut eximius Doctor, aut magni nominis Ecclesiastes; sed vt bonus Religiosus, & ad perfectionem totis viribus ac neruis incumberes. Quam parum refert, vtrum plus minusve doctus euadas, magni aut mediocris nominis prædicator! Verum, quod permagni interest, imo in quo totum vertitur, est, vt bonus ac perfectus Religiosus fias. Quid enim agimus, si hoc non agimus? Quid etiam egimus hactenus, si hoc vnum non egimus? Cui demum rei attendimus, si non illi, ob quam venimus? *Amice*, & frater mi, *ad quid venisti?* Tuas subinde tecum rationes ini, ac sæpe à te hoc quod sequitur pete: proh miserum me, quam non artem aut opificium toto illo tempore, quo in Societate fui, didicissem, ac perfecte iam callerem? Nam si operam interim meam apud pictorem impendissem, scite iam nossem pingere; si apud Phrygionem, iam acu nossem pingere, & ita iam eam callerem, vt ea me sustentare possem & viuere: iam vero bonus didici esse Religiosus, &, eheu! nondum huc pertigi. Tanto, ecce, iam tempore scholam virtutis frequentaui & adij, & nondum primam alphabeti quod in ea traditur, litteram didici, nondum, inquam, primum humilitatis gradum sum consequutus. Septennium tantum impenditur, vt bonus quis Philosophus simul & Theologus euadat; &, eheu! ego tot annorum spatio nondum bonus euasi Religiosus. Vtinam tanto veras virtutes studio & contentione quæreremus &

Serm.27. ad frat. in erem.

procuraremus, quanto litteras & scientias quærimus & procuramus!

Vnde præclare sanctus Bernhardus: *Multi quærunt scientiam, pauci vero conscientiam. Si vero tanto studio quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis & vana scientia, & citius apprehenderetur, & vtilius retineretur.* Et sane exiguum quid faceremus, etiamsi tanta contentione & diligentia in animi nostri profectum conniteremur, quanta in scientias litterarias incumbimus. Hac quoque consideratione sanctus Dorotheus multum se ait in spiritu profecisse. Quando enim, inquit, in sæculo litteris operam dabam, ita ab ijs absorptus eram, vt plane omnium aliarum rerum me, præterquam illarum, caperet obliuio, ac de nulla re alia, imo ne quidem de cibo sumendo, cogitarem; adeo vt ne quidem tempus cogitandi, quid comedendum, & ori ingerendum esset, mihi suppetere videretur; hinc nisi amicus & familiaris meus, qui cibi mihi parandi ferendique curam habebat, meque ad comedendum tempore suo vocabat, mei rationem habuisset, sæpe cibi oblitus fuissem, & incœnatus mansissem. Tantus quoq; meus erga studia & scientiam ardor erat & desiderium, vt semper etiam tum, cum comederem, librum ante me apertum haberem, simulque comederem & studerem; & licet serius à ludo redirem, statim tamen lucernam accenderem, & ad mediam vsque noctem lucubrarem. Cum vero cubitum cōcederem, librum mihi ad lecti latus collocabam, vt, postquam aliquantulum dormissem, somnum mihi corporiq; suffurando, ad lectionem statim iterum cōuerterer. Denique in tantum studiis eram immersus, nihil vt me præter sola studia delectaret, vel reficeret. Vt vero Religionem inij, sæpe hac de re mecum cogitaui, meq; ipsum sic sum allocutus: *Si tantus labor, tantusq; feruor fuit tibi in adipiscenda eloquentia,* & scientia humana, *quanto maior tibi nunc adhibenda est cura* in religioso statu, *vt veras virtutes* & veram sapientiam *acquirere valeas,* cum nullam aliam ob causam huc veneris. Atq; hac se cogitatione multum animatum & vigoratum scribit. *Et hac re,* inquit, *non modicas vires accepi.*

De interior. dom. c. 21. & lib. de conscient. c. 2.

Doctrin 10.

Rationi igitur consentaneum erit, vt hac etiam nos ipsi excitemus & animemus. Pluris apud nos sit, esse bonos Religiosos, quam aut bonos scholasticos, aut celebres professores. Omnis proinde diligentia & cura nostra in eo versetur oportet, vt videamus, quomodo diuinam hanc sapientiam simus adepturi, atque idcirco toto in hoc vnum studio incumbamus necesse est. Aliud ipse Dei Filius Christus in terra viuens non spectauit aut fecit, quam vt nobis amādis, profectui nostro & maiori bono nostro quęrendo, & quidem tanto suo dispendio, totus intenderet; anne ergo magnū quid erit, si nos hoc in mundo solum & vnum id spectemus, vt Deo amando, ei magis placendo, maioriq; eius gloriæ quærendæ & procurandæ totis viribus intendamus? *Propter quod*, vt suadet Apostolus, *remissas manus & soluta genua erigentes,* teporem & vecordiam excutiamus, succingamus ad lumbos vestem, & ad iter sic nos disponendo, *festinemus in illam requiem*, ac properemus, vt ad illum perfectionis & gloriæ montem perueniamus, *vsque ad montem Dei Horeb.*

Heb. 12. 12.

Heb. 4. 11.

3. Reg. 19 8.

Quemadmodum viator, qui in multam lucem dormiuit, postea summam, accelerato gressu, diligentiam adhibet, vt quod dormiendo perdidit, tempus recuperet, ac proinde festinat, donec socios, qui longo spatio se antecessere, attingat. Simili modo nostrum est festinare, atque etiam currere, vt amissi temporis iacturam hoc pacto resarciamus; dicentes: Hem, quanto me socij ac fratres mei interuallo præcurrunt? & ego solus in posterioribus hæreo; cum tamen ante ipsos currere inceperim, vtpote prius illis Religionem ingressus. Vtinam nos temporis, quod hactenus amissum est, pigeret ac pœniteret, & ob id taliter contristaremur, vt calcaris cuiusdam nobis id loco esset, ad maiori posthac in via Domini feruore currendum.

Bonauent. to. 2. opusc. lib. 2. de profect. Relig. c. 1.

Ado-

Dion. Carth. artic. 30. de quat. nouiss. & in vit. Pat. p.2. §.203.

Adolescens quidam (vt è vitis Patrum refert Dionysius Carthusianus) Religionem ingredi enixe dum cupit, mater eum multis allatis ad hoc rationibus, impedire, & bona sanctaque eius desideria interuertere omnimodis satagebat. Sed ille morem ei gerere nullatenus volebat, aut à proposito suo desciscere, illud semper, ad sui defensionem tutelamq; adducens, *Saluare volo animam meam*, & salutem meam in tuto collocare, hæc mihi quam maxime cordi est: quo vno ille responso importuniores matris preces facile elidebat. Tandem cum suas se nequidquam rationes adferre parens cerneret, & preces omnes incassum cadere, assensum dedit, filiumque, quod conceperat, exequi permisit. Religioni itaque filius nomen dedit. Verum cum non multo post intepuisset, & negligenter satis & segniter in Religione viueret, contigit matrem aliquot post diebus ex hac vita decedere, ipsum quoque in grauem ac periculosam ægritudinem incidere, qua durante, cum defectis è graui symptomate sensibus, in spiritu extra se raperetur, ad Iudicis Dei tribunal sistitur: vbi tum matrem, tum alios plurimos circumsecus stantes, & condemnationis ipsius sententiam coram spectantes cernit: suos ergo mater oculos circumfert, & viso filium in damnandorum turba consistere, admirabunda petit: Quid hoc est, fili mi? quomodo huc malorum redactus es? Vbinam sunt iam præclara & speciosa illa tua verba, *Saluare volo animam meam*, quæ mihi olim oggerebas? Ideone Religionem inijsti? Ad quam ille exprobrationem ita confusus est & erubuit, vt, quid ad hæc diceret, penitus nesciret. Ad se igitur reuersus, Deo dante, è morbo suo conualuit: cogitans porro diuinam quandam id commotionem fuisse, ita superiorem vitam correxit, vt commissa præterita assiduis lachrymis expiaret, & tam in se seuerus & austerus esset, vt multi illi, rigorem vt moderaretur, & de austeritate nonnihil remitteret, suaderent, ne vllum sanitati suæ detrimentum adferret. At ille blandiora hæc consilia parum moratus, respondit: si matrem improperantem exprobrantemque ferre non potui, quomodo ipsummet Iudicem CHRISTVM, & sanctos eius Angelos in supremo iudicij die feram?

CAPVT XVI.

Alia quædam adferuntur motiua, quæ nobis ad in spiritu proficiendum, & perfectionem assequendam auxilio futura sunt.

ESTOTE *perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, ait Christus in egregio illo sermone, quem in monte habuit. Matth.5.48. In quæ verba gloriosus Martyr Cyprianus sic scribit: Ser.2. de zelo & liuore. *Si hominibus lætum est & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successiue respondeat; quanto magis in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, vt actibus eius & laudibus diuina generositas prædicetur?* Et addit: *Quæ iustitiæ palma est, quæ corona, quæ gloria, esse te talem, de quo Deus non dicat: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me?* Isa.1.2. sed talem, vt opera tua in magnam Patris tui cœlestis gloriam & honorem redundent? Non parua profecto Dei hæc gloria est, filios ita sibi consimiles habere, vt eorum ipse causa ab omnibus cognoscatur, honoretur, & glorificetur.

Quomodo autem nos Patri nostro cœlesti similes erimus? Dicet id nobis sanctus Augustinus: *Cogitemus*, inquit, *nos tanto similiores Deo, quanto esse poterimus eius participatione iustiores*: Epist.85. ad Consent. quanto, inquam, sanctiores & perfectiores erimus, tanto Patrem nostrum cœlestem magis referemus. Atque hac de causa tantopere Dominus desiderat, vt sancti & perfecti simus; hinc idipsum multis in locis nobis in memoriam reuocat,

& identidem inculcat; semel per Apostolum Paulum: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*; alias per Matthæum: *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Tum per Apostolorum principem Petrum: *Sancti*, inquit, *eritis, quia ego sanctus sum.*

Thess. 4. 3. *Matt. 5. 48.* *1. Pet 1 16.* *Leuit. 11. 44. & c. 19. 2.*

Ingens sane parentibus gaudium & lætitiam pariunt filij boni, sapientes, & sancti: dicit quippe Salomon: Filius sapiens lætificat patrem; sicut econtra, *filius stultus* & refractarius *mœstitia est matris suæ.* Etsi itaque nulla alia ad perfectionem & virtutem incumbendi nobis foret ratio, quam vt aliquam Deo voluptatem & delectationem adferremus, hęc sane vna ad illi toto conatu studendum nos deberet impellere. Gaudium namque & voluptas Dei, maiorq; eiusdẽ honor & gloria, præcipuum nostrum in omnibus operibus motiuum & stimulus esse debet.

Præter illud tamen & iam alia quædam media huc adferemus, ad hoc non parum nos incitantia, & simul huc impellentia. Quod toties sacra Scriptura nos Dei filios nominet, vt: *Ego vobis ero in Patrem, & vos eritis mihi in filios.* (quod toties à Prophetis repetitur.) Et Apostolus Paulus Ephesijs scribens: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Iohannes vero, *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* & multis alijs locis. Ideo fieri solum vult Augustinus, nimirum vt ipsi nos, nostram notantes dignitatem & excellentiam, magnifaciamus, maiorique super nos vigilemus cura & diligentia. Splendida & pretiosa vestis quam diligentissime & accuratissime custoditur, seduloque cauetur, ne qua illam labes aut contagio commaculet; gemmæ quoque, & quicquid demum pretiosum & magni valoris est, quam fieri potest, maxima solicitudine custodiuntur. Quocirca, vt maiori super nos vigilantia excubemus, & magnam nostri ipsorum curam habeamus, toties, inquit Augustinus, à sacris litteris monemur, serio cogitare, esse nos Dei filios, & ipsummet Deum habere Patrem; vt nimirum ita nos vbique geramus, sicut talis Patris decet filios, & à sublimibus ac generosis filiorum Dei cogitationibus minime degeneremus. Suffragatur his Leo Magnus Pontifex, dicens; *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire: memento, cuius capitis, & cuius corporis sis membrum.* Excellentiam, inquam, tuam perspice, memento, esse te Dei filium, & nobilitate & generositate eius, cuius filius es, indignum quid noli admittere. Quin & Gentium Apostolus, Athenienses ad altiora animaturus & erecturus, illud ipsum ijs in mentem reuocauit: *Ipsius*, inquit, *& genus sumus.* Genus ergo cum simus Dei, applicemus hoc potius nobis, simul & priorem illam similitudinem à veste pretiosa petitam, quam adfert Augustinus: Quemadmodum, inquit, magnam vesti pretiosæ aliquæpiam macula incidens, deformitatem adfert, & quo ipsa pretiosior est, eo per hanc magis deformatur: nam in bysso subtili, & panno aureis filis intertexto, labes aliqua statim & valde se exerit; at in panno nautico & crassiori non adeo apparet, &, si etiam appareat, non tanti ea fit: ita nec in illis, qui in hoc mundo viuunt, peccati alicuius venialis labes videtur, quin imo subinde nec sceleris mortalis; & si forte videatur, quæ nostra in peccatum pronitas est, parum ea curatur. At in Religiosis, qui charissimi & dilectissimi Dei sunt filii, minima etiam labecula atque imperfectio elucet, & in oculos omnium incurrit; vna, inquam, immodestia ac dissolutio, leuis quædam murmuratio, verbum aliquod impatientiam redolens, & bilem spirans hoc loco videntes audientesque multum offendit ac scandalizat; apud sæculares vero vix vllo numero & loco hæc esse solent. Pulueris, qui pedibus insidet, nulla ducitur ratio, sed eius, q oculos eorũq; pupillas obsidet, magna. Mũdani veluti pedes sunt corporis huius, quod

Ephes. 5. 1. *1. Ioan. 3. 1.* *Epist. 243. c. 19.* *Cur filij Dei nominemur.*

Serm. 1. de natiuit. Dom. *Act. 17. 28.* *Venialia Religiosorũ plus offendunt, quam sæcularium.*

quod est Ecclesia, Religiosi vero vt oculi, & eorum pupillæ, atque ideo quælibet in Religioso impfectio permagni ducitur, quod hæc eius splendorem imminuat, & insigniter ipsum deturpet, quare quam potest maxime ab huiusmodi rebus sibi caueat oportet.

Est & aliud, quod ad semper progrediendum, & vlterius tendendum non parum nos adiuuabit, quod etiam supra obiter indicauimus. Nimirum, vt cogitemus, credamusque, multum nobis adhuc viæ restare, & nihil omnino esse, quidquid aut habemus, aut itineris hactenus confecimus Hocce medium etiam in illis supra allegatis verbis nobis insinuatur. Cur quippe putatis Christum omnibus in genere dixisse, *Estote* etiam vos *perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*? Eone ipsi perfectionis pertingere possumus, quo Pater noster cælestis peruenit? *Numquid homo*, inquit Iob, *Dei comparatione iustificabitur?* minime. Ne quidem si multis leuearum millibus ei propiores fieremus: nam, quantulibet ei appropinquaremus, semper infinitũ inter ipsum & nos interuallum intercederet. Ideo vero ad Patris nostri cœlestis perfectionem æmulãdam nos adhortatur & inuitat, vt nimirum intelligamus, in hac virtutis via semper restare, quo vlterius tendamus, ac proinde numquam nobis sufficere debere id quod iam habemus, sed ad id quod nobis deest connitendum esse. Communiter sancti docere solent, & nõ sine ratione, nullum certius signum habere quempiam posse, multum se adhuc à perfectione distare, quam cum se cogitat ad eam iam pertigisse. Nam quo quis in mirabili hoc itinere longius prouehitur, eo plus terræ detegit, & quantum sibi adhuc desit perspicit S. Bonauentura hac rem similitudine indicat: Sicut homo, quo in mõtem altius ascendit, eo plura circumundique loca respectando detegit; similiter quanto culmini montis huius perfectionis inquam, quis fit vicinior, tanto etiam plura sibi videt deesse. Nam vti nobis, dum eminus montem quendam conspicimus, & is cœlum vertice tangere, & nos, si in eo consistimus, facile illud manu tangere posse videmur; at, postquam longius progrediendo, iam cominus ad eum pertigimus, multo cœlum ipsum interuallo altius eo esse comperimus: ita etiã in hac perfectionis & cognitionis atque amoris Dei via fieri videmus. Atque hoc in sensu intelligit Cyprianus illa Psalmographi verba, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, id est, quo in cognitione Dei longius assurgimus & progredimur, eo Deus longius à nobis sustollitur, quo magis eum cognoscimus, eo plura de eo cognoscenda restant; quo magis eum amamus, eo plus in eo quod ametur videmus superesse. Semper ergo in hac perfectionis via suppetit, quo vlterius ascendatur, & qui ad eam iam se putat peruenisse, & eam assecutum, is nimis quã procul ab eadem distat, etsi alioquin se manu cœlum contingere posse credat.

Intelligi id quoque poterit ex eo, quod passim in ipsa sciẽtiarum cognitione hoc in mundo fieri videmus; nam constat quanto plura quis didicerit ac nouerit, tanto melius intelligere, quanta sibi adhuc discenda restent. Vnde scite Philosophus ille dicebat, *Hoc vnum scio, me nihil scire.* Et peritissimus ille musices dolens dicebat, nihil se prorsus in arte sua nosse, quod quosdam videret campos adeo late patentes, vt voce eatenus pertingere non posset, nec ea intelligi. Cui parum sciunt, quia non intelligunt quantum sibi adhuc desit, & quam multa addiscẽda sint, hinc multa se scire putant. Eodẽ modo in sciẽtia diuina vsu venit: Serui namque Dei, qui eidem diu studuerunt, & in ea multũ profecerunt, ad liquidum perspiciunt, quantum sibi adhuc, vt ad perfectionem perueniant, desit. Atque hæc vnica causa est, cur quo quis maiorem in illa progressum fecit, eo sit humilior. Tum quod, sicut in reliquis omnibus virtutibus plus indies proficit, ita & in humilitate, maiori sui cognitione, contemptu quotidie crescat: omnes enim virtutes inuicem sibi cohærent & iunctæ sunt. Tum quia euiden-

Marginal notes: *cap. 9.* — *Matth. 5.48.* — *Iob. 4.17.* — *Tom. 2. opusc. lib. 2 de profect. Relig. c. 21.* — *De operibus Christi ad Cornel. Pap. in prolog.* — *Laert. in vita Socrat.*

uidentius perspicit quid sibi desit: nam vt maius ad bonitatē & maiestatem Dei cognoscendam lumen habet, ita & profundiorem propriæ miseriæ ac nihili cognitionem; eo quod *abyssus abyssum inuocat*, abyssus inquam cognitionis bonitatis ac magnitudinis Dei, miseriæ nostræ abyssum & profunditatē detegit & ostēdit, simul etiam infinitos imperfectionum nostrarum pulueres & atomos, nec non quā multum nobis adhuc desit quoad perfectionem pertingamus, videre nos facit. Nouitius & nuper incipiens tyro, interdū se iam virtutem habere existimat; quia nō videt q̄ multa sibi adhuc desint. Vt enim quis artis pictoriæ imperitus tabulam quamdā videns, eam optime pictā censet, & nullum in ea defectum notat, quam si deinde bonus pictor attente consideret, multos in eadē errores & defectus obseruat; sic plane hic se res habet; quia enim proprię cognitionis artē non calles, ideo imperfectiones, quæ animæ tuæ imaginem cōmaculant, videre non vales: alius vero quia artis huius peritissimus est, statim eas perspicit. Magnā porro hæc omnia famem in nobis & desiderium excitare debent ea obtinendi quæ nobis adhuc desunt, maioreq; ad ea cura & conatu cōnitendi. Vnde B. Hieron. exponens hæc, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiā* eos hic vocari ait beatos, qui quamuis iustissimi sint, nunquā tamen iustitia sua saturātur, nec sibi sufficere credunt ea quæ habent, sed ad maiorem virtutem & perfectionē semper ceu famelici ac sitibundi anhelant, vti anhelabat Propheta ille, qui dicebat, & à Deo precabatur, *Amplius laua me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me*. quasi dicat, non sufficit mihi quod à peccatis meis mundus sim, quod dealbatus; sed velim insuper vt niuis instar, & etiam supra niuem, me dealbes. *Asperges*, inquit, *me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor*; nō modo superficietenus & exterius me ablue, sed etiam interius in anima & perlaua. Sic etiam nos precari, & ad Deum clamare oportet dicentes: Maiorem mihi Domine humilitatem, patientiam patientiorem, caritatem ardentiorem, plus mortificationis, indifferentię & resignationis concede, *& amplius laua me*.

Psalm. 41. 8. — *Matth. 5. 6. Hieron.* — *Psalm. 50. 4.*

CAPVT. XVII.

De perseuerantia, quam in virtutis studio habere nos oportet; & quid ad eam comparandam nobis auxilio futurum sit.

NEmo coronatur, nisi qui legitime certauerit, ait Apostolus: quę verba S. August. exponens, non esse aliud ait *legitime certare*, quam cū perseuerantia ad finem vsq; decertare, & eum qui hoc fecerit, coronam ac lauream promereri; adfertq; communem illam sententiam, quę etiam S. Hieronymi, & pene omnium sanctorū est, Iter virtutis & perfectionis *cœpisse multorum est, ad culmen peruenisse*, & in eo ad finem vsq; perseuerasse, *paucorum*. Sic videmus filios Israel magna manu & numero, sexcēta inquam, teste sacra scriptura bellatorum millia, non annumeratis mulierib. & pueris, egressos esse Ægypto; & tamen è tam numeroso exercitu duos tantum terram promissionis ingressos. *Nō est igitur magnum*, inquit, Augustinus *inchoare quod bonum est; consummare, hoc solum perfectum est*. Nam vt ait S. Ephrem, quemadmodum qui domum ædificat, vix vllam in fundamento ponendo difficultatē experitur, sed magnam in ea cōsummanda; & quo altius ipsa assurgit, eo & maior eius est labor, & grauior impensa: ita spiritualis ædificij fundamenta ponenere, & incipere, nullā omnino difficultatem includit; sed omnis in perficiendo labor & difficultas sita sunt. Vnde parum nobis profuerit bene inchoasse, si bene nō perficiamus: Nam, vt ait S. Hieronym. *non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finiuit; Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Quid huic profuit, fuisse Christi & discipulum & Apostolum? Quid, fecisse
mira-

2. Tim. 2. 5. — *Serm. 8. ad frat. in Eremo.* — *lib. 1. cont. Iouin. & Epist. ad Luc. Hisp.* — *Num. 1. 46. & c. 14. 30.* — *Supra.* — *Exhortat. ad pietatem.* — *Epist. ad Furiam viduā.*

miracula? Ita quid tibi proderit bene incepisse, si male consummes? neque enim iis qui incipiunt, sed qui perseuerant promittitur præmiū & corona: & *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vnde etiā in summitate scalæ nō autem in eius principio vel medio incubantem Dominum vidit Iacob, vt hinc disceremus, ait Hieronymus, satis non esse bene incipere & bene pergere, si nō perseueremus, & bene consummemus. Et S. Bernardus ait: *Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi?* Ideo Paulus aiebat, *sic currite vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit obediens vsque ad mortē. Quantūlibet ergo cucurreris si vsq; ad mortē nō perueneris, brauiū non prehēdes.*

Matt.24.13. *Gen.28.* *Vbi supra.* *Epist. 253. ad Abbat. Gorin.* *1 Cor.9. 24.* *Phil.2.8.*

Idipsum & Christus in Euangelio singulari quadam ratione nos commonet: *Nemo*, ait, *mittens manum suam ad aratrū, & respiciens retro, aptus est regno Dei*, & alio in loco, *Memores, inquit, estote vxoris Loth.* Quid aūt vxori Loth factum? Eduxerat illā & liberarat de Sodomis Deus; sed cū iam in medio viæ esset, respectauit, & eo ipso in loco in statuā salis cōuersa mansit. Quid hoc sibi vult? dicet id tibi Augustinus: Sal, inquit, quia omnia sapida reddit & conseruat, ideo monet nos Dominus, vt vxoris Loth memores essemus, vt, dum perpendimus & recolimus, quid huic acciderit, per salem hunc conseruemur, & illius exemplo sapienter, in bono itinere quod cœpimus perseueremus, & retro nō respiciamus, ne & ipsi in statuas salis conuertamur; quorum postea exemplo & alij sapiāt, cōseruenturque, & nostra visa ruina perseuerent. Quam multos hodie videre est, qui nobis nonnisi ceu quædam statuæ sunt salis, vt scili. illorum aspectu affrictuque integri conseruemur! Alieno itaque malo & impensa sapiamus, & nihil agamus, quo & nostra post alij sapiant & prudentiam addiscant.

Luc.9.62. *Luc.17.32.* *In Psal. 75. super illud, Vouete & reddite.*

Addunt S. Augustinus & Hieronymus, bene quidem ordiri, sed male finire, esse ceu monstrum quoddam formare: nam opera illa & actiones, quæ à bono quidē & ratione incipiunt, sed in malū & meram sensualitatem desinunt, quasi meras esse chimeras & monstra. Cum enim sic agitur, *humano capiti ceruicem pictor equinam iungit*; quod sane monstrosum est: Sic recte inchoare, & male finire. Atque hoc est quod retrospiciētibus Galatis exprobrat sugillādo Apostolus: *Sic stulti*, inquit, *estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire Euangelio?*

Aug serm. 2. ad frat. in Eremo. in illa Matth. verba, qui autem perseuerauerit. *Horat. in arte.* *Gal.3.1.*

Vt autem perseuerare, & hanc perseuerandi gratiam à Deo obtinere possimus, necesse cumprimis nos est solidum virtutum ac mortificationis fundamentū ante iacere: nā quia quis bene fundatus non est, hinc deficit ac labitur. Vt poma verminosa cito ex arbore decidunt, nec ad maturitatem debitam perueniunt, bona vero & integra in arbore tam diu permanent, donec plene maturescant: ita, si virtutes solidas in animo non habeas, si cor tuum vanum sit, si quidam præsumptionis, superbiæ, & impatientiæ, vel alterius cuiusdam affectus inordinati vermiculus introrsum habitet, ille te sensim exedet, succum tuum interiorem depascetur, omnem item virtutis substantiam & robur destruet, denique periculo præsenti te exponet, ne tandem desciscas, & non perseueres. *Optimum est* ergo *diuina gratia stabilire cor*, ipsumque veris solidisq; virtutibus corroborare, ait Apostolus.

Quomodo autem ita in virtutibus solidari firmarique possimus, vt in iisdem permaneamus & perseueremus, egregie docet Albert. Magnus. Dicit quippe verū Dei seruū tam in virtute fundatū esse debere, & taliter eam in corde eius radicatā vt semper in illius manibus sit, & liberū illam cū lubuerit exercere; nullo vero modo in hoc dependeat ab iis, quæ alij aut facere aut dicere possint. Sunt enim nonnulli, qui tamdiu humiles & pacifici esse videntur, quam diu nullæ superbiēdi indignandiq; occasiones illis occurrunt, & omnia ad votū & mētem fluunt: at vbi se occasio tametsi minima obtulerit, statim pacē illam amittunt, & quid sint, ad oculū osten-

Enchrid. de veris perfectisque virtutib. c.12.

ostendunt. ac tum, inquit Albertus, illa pacis & humilitatis virtus, non in ipsis sed in aliis habitat: estque hæc aliorum virtus, non tua, quia, cum ipsis lubuerit, eam tibi & auferre & dare queunt. Hoc scilicet est, aliena virtute bonum esse. Vti & mundani homines vulgo dicere solent cum ab alio laudantur: Excuset me, dicunt, D.V. tua, non mea, virtute sum talis. Et vere sic loquuntur. Non debes proinde aliena virtute bonus & sanctus esse, sed ea quæ tibi propria & in te sit, quæq; ab aliis nequaquam dependeat. Quocirca tales nõ incongrue paludibus quibusdam, in quibus aqua stat, non fluit, assimilantur: nam hæ, si aquam non tangas, minime fætent; at si camarinam moueas, nemo non ad putiscentiam nares occludit: Sic & hi, quamdiu non tanguntur, sed suo modo & ad beneplacitum propriũ viuere sinuntur, limpida videntur aqua; at vel modice eos molitia atque incita, mox quam sint tetram mephitim exhalaturi, videbis. *Tange scilicet montes & fumigabunt.* Psal. 143. 5.

Capvt. XVIII.

Aliud in virtute proficiendi medium suggeritur, ipsæ videlicet exhortationes & colloquia spiritualia, & quomodo ex iis fructum elicituri simus.

Inter alia media, quæ Religio omnis, ac Societas Iesu quam maxime, ad suos, vt in virtute & perfectione progressum semper faciant, concitandos & animandos habet, non postremum sunt conferentiæ, colloquia, & exhortationes spirituales, quæ tam in ea ordinariæ sunt & frequentes, vt singulari quadam ad easdem habendas audiendasve regula obligati simus. Vnde aliqua hic afferemus, quæ tum nobis ad maiorem ex his fructũ colligendum, tum etiam omnibus aliis, quo è concionibus, quas audiunt, vtilitatem & fructum aliquem hauriant, vsui esse queant. Ante omnia multum quo ad hoc nos iuuabit, si non ex consuetudine, & pro forma (vt dicunt) ad eas nos conferamus, sed cum vero fructus inde alicuius colligendi desiderio. Hic iuuabit, si consideremus, quanto se veteres illi in eremo Patres ad Collationes & conferentias illas spirituales quas inter se aliquando agebant, cum ad eas vocarentur, affectu & desiderio conferrent; & quem deinde ex iis fructum ac commeatum spiritualem ad domunculas suas priuatas referrent. Si tali cum affectu & fame nos ad illas conferremus, in non mediocre illæ sane nobis commodum cederent: nam dum quis magno cum appetitu, & fame ad mensam accedit, tum illi demum cibus quem sumit, in vtilitatem sanitatemque cedere videtur. Quemadmodum, vt bene notat Chrysostomus, eum recte valere & sano esse corpore censes, qui bonum appetitũ habet, & sapide auideque cibum capit; ita animam bene dispositam esse ac recte valere liquido colligas ex eo, quod quis magna verbi Dei audiendi cupiditate & fame teneatur: si autem ad illud non anheles nec ipsum tibi sapiat, certissimum id tibi argumentum esto, non recte te valere, cum cibi huius spiritualis adeo non appetitus te attrahat, vt etiam super eodem nausees. Hom 4. & 32. in Genes.

Et esto, alia ex hoc vtilitas non sequeretur, saltem ideo ad has conferẽtias magna cum consolatione, gustu, & appetitu nobis eundũ esset, vt aliquid de Deo narrari & afferri audiremus. Solet quippe homo natura sua libenter audire, si quis sibi loquatur ac narret de eo, quẽ insigni amore ꝓsequitur; vti pater, dũ de filio qd quis loquitur, gaudere naturaliter solet. Itaq; si Deũ ames, volupe tibi erit de Deo vel loquentẽ audire. Vnde & Redemptor noster Iesus ait, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, è contra de eo, cui tædio est & graue, verba Dei audire, statim subiungit, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Ioan. 8. 47.

Secun-

Secundo, ad ex conferentiis hisce fructum aliquem colligendum, necesse est ad eas non ex curiositate aliqua nos conferre, scilicet vt gestus dicentis & modũ dicendi tantum spectemus, vel inaudita, noua, & extraordinaria ibidem audiamus; sed ab omnibus illis oculos animi auertendo, in ipsam eorum quæ dicuntur substantiam, eos oportet coniiciamus. Hoc nimirum de illis est, quæ nos etiam in mundanis sugillamus & carpimus, & hoc in causa est, cur multi hodie exiguũ è concionibus quas audiunt, fructum hauriant. Quid de eo diceremus ægro, ad quẽ cum chyrurgus veniret ad venam incidẽdam, is illam incidi sibi non permitteret, sed instrumẽta eius duntaxat curiose cõtemplaretur, singulaque laudando diceret, Pro insigne scalpellum, ô scitam nouaculam! ô egregiam thecam! vndenam illa facta est? Hæc omitte sodes, & venam incidi tibi sine; hoc enim solum tua interest, alia vtpote nihil ad te pertinentia, inquirere desine. Tales sunt haud dubie illi, qui eorum quę pro concione dicuntur, substantiam & medullam nequaquã curant (qua tamen illi maxime opus habẽt) sed ipsa verba dicentisque modum, elegãtiam & artem tantum notant. Vnde non inscite qui huiusmodi sunt, compares pistori, cribro, vel incerniculo, vtpote quæ bonum granum & farinæ florem in agitatione à se excutiunt, solas paleas & furfures apud se retinent.

2. Esdr. 2. 8. 11. Cum Esdras sacerdos legis volumẽ populo prælegeret, tantus omnium audientium motus ciebatur, tanta vbique per populum audiebatur comploratio, planctus & eiulatio, dum opera & vitam priorem ad normam & amussim legis, quam coram audiebãt, admetirentur, vt necesse fuerit obire Leuitas per populum, ad eum componẽdum, & quietandum, quo suum in silentio lector prosequi sermonem posset. Hoc scilicet modo exhortationes & conciones audiendæ sunt cum confusione inquam quadam & compunctione, vt, nimirum suam quisque vitam ad ea quæ audit admetiatur, & consideret, quam vita sua longe alia sit ab eo quod ibi dicitur; & quam procul a perfectione, quæ ibi sibi traditur, adhuc distet.

Tertium, per quod superius præceptũ magis confirmatur, est, vt nimirum sibi omnes persuadeant, exhortationes has & colloquia nõ tam instituti, vt noua quędam & extraordinaria in iis adferantur, quam vt cõmunia & ordinaria, quæ quotidie actitamus, in memoriam nobis reuocent, & quemdam in nobis erga eadem affectum excitent. Cum hac cogitatione ad eas nos conferamus oportet; ita namque omni prorsus curiositate exclusa, maiorem longe fit vt ex iis fructũ capiamus. Atque hanc potissimum ob causam, vt patet, B.P.N. has in Societate conferentias & collationes haberi voluit. In tertia quippe constitutionum suarum parte, regulis, quas summario comprehensas habemus, positis, ait: *Sit aliquis qui singulis septimanis, vel singulis saltem quindenis has similiaue documenta proponat, ne, qua nostra natura fragilitas est, ea obliuioni tradantur, itaque eorum vsus & exercitium paulatim intermoriatur.* Obiter vero hoc loco R.P. Hieronymus Natalis in suis quas ad constitutiones concepit, declarationibus annotat, tametsi constitutio disiunctiue decernat, *singulis septimanis vel quindenis diebus*, vniuersalem nihilominus Societatis consuetudinem iam obtinere, vt ad quindecim dies exhortatio nõ differatur, sed vt hebdomadatim fiat. Societas itaque meliorem distinctionis partem secuta est, & vsurpauit. Nemo autem melius quam Natalis rei huius perhibere testimonium potuit, quod vniuersam prope Societatẽ vnus ipse visitauit, & vniuersalem communemque eius consuetudinem optime sciebat. Hæ itaque exhortationes ad hoc instituuntur, vt eorum quæ iã nouimus memoria hoc pacto nobis refricetur: quia enim boni nimis quam facile obliuiscimur, hinc sæpe id nobis inculcari ac repeti identitem debet. Atque adeo, licet recens adhuc in memoria id haberemus, necesse tamen est, ad voluntatem no-

3. p. const. c. 1. §. 28.

Natalis in declarat. constit.

nostram & desiderium excitandum, viua dicentis voce ipsum nobis suggeri, simulque nostræ nos obligationis & professionis, atq; ad qd Religionē ingressi sumus, aliquando commoneri. Verissima quippe est illa S. August. sententia: *Vbi præuolat intellectus, sequitur tardus vel nullus effect⁹*, Magis siquidem voluntas nostra per peccatum deprauata & corrupta mansit: quā intellectus ad illud intelligendum. Hinc necesse est vnum idemq; nobis sæpius inculcari, atq; identidem repeti. Ita id fecisse constat Apostolum, vt ipse Philippensibus scribit: *De cætero fratres mei, gaudete in Domino, eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessariū.* Non deerant Apostolo noua quę diceret, & noue exquisiteque ea dicere poterat is, qui ad tertium vsque cœlum raptus erat: sed ad ea, quæ alias iis dixerat, repetenda reticendaq; obligatū se sentiebat, quod id iis magis necessariū esse arbitrabatur. Spectare scilicet debet is, qui exhortationes priuatim, & cōciones publice habet, ne id tantum dicat, ob quod auditoribus visurus ipse sit aut doctior, aut eruditior (hoc enim esset seipsum prædicare) sed ea solum quæ plus sint iisdem fructus & emolumenti allatura. Hoc & ipsi auditores in audiendo spectare debent, atq; ita fiet vt tædiosum ipsis futurum non sit audire communia & nota, quod illis se opus habere, sibiq; ea dici videāt, eo quod hæc aut opere non exequantur, aut saltem nō ea qua deberent perfectione.

August.

Philip. 3. 1.

Quarto multum adiuuabit, si quod in exhortationibus dicetur, ita quisq; accipiat, quasi sibi soli diceretur, nō vero quasi aliis dictum. Itaq; nō sic exhortationes has audire assuescamus, vti mundani pleriq; conciones. Vnde bene insignis quidā ad auditores suos concionator dicebat, Quotquot me auditis, carissimi estis ceu carptores & præfectores mensales: Sicut enim sectoris partes, sunt, cibos aliis dispertiri, nihil sibi reseruare, ita vos, dū dicētem me auditis, apud vos ipsos dicitis, Quam id bonum & salutare punctum est Petro! Quam bene hoc Ioanni conuenit! Si adesset hic vicinus meus, quā bene hoc in illum quadraret! tibi ipsi vero nihil relinquis. Conuiuas vos in hoc verbi Dei conuiuio esse volo, nō sectores. Vnde bene dicit Sapiens, *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adiiciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum.* Simus itaq; de numero sapientum, & quisque quod dicitur, sibi dictum existimet, quasi sibi soli diceretur, & ipsum solum cōcionator alloqueretur, non alios. Quod enim aliis bene conuenire censes, fortasse melius conueniet tibi: sed sæpe videmus in oculo alieno festucam, & quam in nostris habemus trabem neutiquam videmus. Nam etsi fortasse in præsentiarum id tibi conuenire non sentias, in futurum tamen tempus quo forte id tibi necessarium erit (quod forsitan breui futurum) illud reserua in vsum tuum. Quare semper id velut tibi & tibi soli dictum admitte.

Eccl. 21. 18.

Matth. 7. 3.

Quinto, per quod magis id quod dicimus declaratur, omnes hoc intelligant & præsupponant oportet, id, quod in exhortationibus dicitur vel reprehenditur, non ita intelligendum videri, quod in pręsens id domi vigeat, sed tantum ne vnquam in eadem inueniatur, præmoneri. Medicina enim quæ morbum præuenit, & ab eo hominem præseruat, multo est melior, quam ea quæ post morbum sanitatem affert. Atque hoc est, quod in exhortationibus his spectamus, iuxta illud Sapientis consilium: *Adhibe medicinam ante languorem.* Antequam enim veniat ægritudo, medicinam & remedium, tum ad bonum exhortando; tum malum carpendo applicamus: ne quis in id post incidat, quod ante malum esse nouit & periculosum. Quocirca insignis foret error, apud se cogitare, hoc propter Petrum aut Iohannem dictum est; multo vero maior, ipsum verbis ac reipsa dicere. Neque enim hæc eo dicuntur vt quis in particulari perstringatur ac notetur: nā hoc nec prudentiam saperet, nec fructum vllum afferret, sed ingens damnum; quod qui faceret, næ is eum qui exhortationes has habet

Eccl. 18. 20.

habet, rei peſſimæ & inſimularet & condemnaret. Etſi vero à parte eius qui prædicat vel exhortationem facit, hæc ſit in vitiorum applicatione circumſpectio & cautio adhibenda, à parte tamen audientium laudabile inprimis & ſalutare eſt, ſi quiſque id quod dicitur ſibi & propter ſe ſolum dici arbitretur, nō quod exiſtimare debeat concionatorem ſingillatim eū deſignare & exprimere voluiſſe: in hoc enim (vti diximus) male faceret; ſed id ita intelligendum, vnumquemque ad ſeipſum reflectendo, & opera ſua & vitam ad normam eorum quæ dicuntur commenſurando, apud ſe ſic dicere debere, Vere, quidquid ibi dicitur, de me ſolo dicitur, omnia in me quam maxime quadrant, hocce mihi inprimis neceſſarium eſt; hoc Deus concionatori in vtilitatem meam inſpirauit: hac quippe ratione permultum ex concionibus fructus colligitur.

Samaritana cum Domini ſecum apud puteum ratiocinationem audiſſet, vrbem ingreſſa, vt refert Euāgelium, magna voce ciuibus ſuis inclamauit, *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcūque feci.* Quando concionator auditores de rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus commonefacit; ea demum bona eſt concio & exhortatio; & quæ tales ſunt, vere ipſis placent, & fructum in ipſis creant. Ioan. 4. 29.

Sexto, id nouerimus oportet, verbum Dei quendam animæ eſſe cibum & alimētum: quocirca ſemper quid è ſingulis exhortationibus & concionibus eliciamus oportet, quod in corde noſtro conſeruemus & cuſtodiamus, vt poſtea nobis id in auditarum rerū executione robur ſuggerat & conſtantiam. Vnde S. Greg. in illa Christi verba, *Quod autem in bonam terrā, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia*, ſic ſcribit, Quando quis æger cibum corporalem, quem comedit, ſtomacho non continet, ſed ſtatim euomit, ſignum id eſt peſſime eum valere, & morbum periculo non vacare: pari modo eius, qui verbum Dei auditum corde non retinet, ſed vna id excipiens aure, per alteram effluere ſinit, non rectus eſt animæ ſtatus. Propheta vero regius dicebat. *In corde meo abſcondi eloquia tua* Domine, *vt non peccem tibi*, vt per ea ingruentibus reſiſtere poſſim tentationibus, vt iis etiam me ad perfectionem & virtutis exercitiū animem. Quam ſæpe enim contingit, vt quis grauiter tentatus, & iam caſurus, ſententiam aliquam è ſacra ſcriptura depromptam, aut aliam rem bonam, quam pro concione alias audiuit, in mētem reuocando ſeipſum excitet, corroboret, & non mediocre inde ſuo in diſcrimine auxilium ſentiat? An non enim tribus è ſacra ſcriptura depromptis teſtimoniis, trinas Christus Dominus tentationes, quas cacodæmon ei oggeſſit, ceu clypeo trilici, eliſit, infregit, eluſit?

Homil. 15. ſuper Euangel. Luc. 8. 12.

Pſal. 118. 11.

Matt 4. 3.

Ex hactenus dictis ad liquidum patebit, quam illi reprehēſione digni ſint, qui nonniſi pro forma & cōſuetudine exhortationes & conciones adeunt; vel dum iis interſunt, dormituriūt, vel (quod in idem recidit) diſtracti ſunt, alia longe animo voluentes. In Euangelio legimus, *Venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant*, & ex auditis fructum capiant. Dæmones ſunt ceu aues rapaces, quæ frumentum omne & granum, quod ſeminatum eſt, deuorant, ne ſurgens excreſcat. Illud forſitan verbum, quod amiſiſti cum vel dormiſti, vel alia quapiam cogitatione diſtractus fuiſti, permultum ad tuum profectum adferre momenti potuiſſet; & Diabolus qua tibi bonum tuum inuidet inuidia, omni qua poteſtratione & modo impedire ſatagit, ne iſtud in cor tuum ingrediens fructum faciat. Marc. 4. 15.

D. Auguſtinus proinde verbum Domini comparat hamo, *qui tunc capit, quando capitur.* Nam vt piſcis tunc capitur, cum hamū inglutiens capit, ſic, quādo tu verbum Dei bene capis, ab eo caperis & teneris. Hanc ob cauſam tanta cōtentione & ſtudio impedire cacodæmō conatur, ne ipſe illud capias, ne tu ab eo dein capiaris, & cor tuū ineſcatū ei adhęreſcat. Ea ergo

qua oportet nos dispositione ad exhortationes & conciones conferamus, & taliter verbũ Dei audire conemur, vt in corde id nostro radices agat & fructificet. Iacob. 1. 22. Vnde & monet Apostolus Iacobus, *Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vosmetipsos;* satis esse rati ipsum si audiatis. *Quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic cõparabitur viro cõsideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Hi namque propterea non iustificabuntur, sed illi tantum, qui ipsum opere præstabunt: Rom. 2. 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

Pratum spirituale. In Prato spirituali (cuius libri autor fuit Ioannes Eiuratus, vel secũdum alios S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, quique à secundi Niceni Concilij Patribus fuit approbatus) res notabilis refertur (quam & Theodoretus in historia sua Religiosa adfert.) Cum sanctæ vitę vir Eusebius vna cum Ammiano, insigni item sanctitate viro, Librum Euangeliorum legeret, & hæc, legente Ammiano, Eusebius exponeret, factũ est, vt, cũ haud procul inde suam agricolæ quidam terrã colerent, Eusebius, eos respecturus, alio mente distraheretur, nec ad lectionem Ammiani attenderet. Hic itaque cum inter legẽdum in locum difficilem incidisset, eum sibi ab Eusebio petiit explicari. Eusebius, quod non attendisset lectioni, idem sibi secundo legi petiit. Vnde facile collegit Ammianus, Alieno eum à lectione animo & mente fuisse, eumque reprehendẽs, ait, Non miror equidem te, quod delectationem oculis aliquam è laborãtibus caperes, non ita vt oportebat verba Euangelica percepisse. Quam carpentis castigationem audiens Eusebius, ita confusus mãsit, vt quoad viueret, omni prorsus oculos suos delectatione priuarit, & nõ modo agrum illum, sed ne stellas quidem cœli eos cernere permiserit. Ab illa siquidem die angustam quandam semitã ingressus, humile se Augurio inclusit, è quo etiam nunquam, quoad vixit, egressus est, sed quadraginta, & quod excurrit annis in eodem egit, donec vitam finiit. Vt vero ad liberum voluntatis imperium etiã necessitas exterior in eo tugurio perpetuo manendi accederet, ferreum lumbos suos cingulum adstrinxit, aliud vero etiam multo ponderosius ceruici circũposuit, his deinde circulis catenam innexuit, catenã vero ipsam solo affixit, vt ita necessario incuruatus manere cogeretur, libereque incedere, & amplius agrum illũ videre, imo ne in cœlum quidem oculos sustollere nõ posset. Hoc scilicet se ille Dei seruus pacto ob paruam quamdam inaduertentiam & distractionem in verbi diuini declaratione commissam castigauit, idque ad confusionem nostram, qui multas, quas scienter admittimus, distractiones & negligentias tam parum curamus.

TRACTA-



TRACTATVS SECVNDVS.

DE OPERVM ORDINARIORVM PERFECTIONE.

CAPVT PRIMVM.

In eo profectus & perfectio nostra sita, vt opera, quæ ordinarie & quotidie agimus, bene perfecteque peragamus.

Deut.6.10.



IVSTE *quod iustum est persequeris*, ait ad populũ suum Deus, id est, quę bona sunt & iusta, bene ea, iuste, & prout par est agito. Profectus quippe & perfectio nostra non consistit in eo, vt nostra agamus, sed vt bene ea agamus; vti nec in eo quod Religiosi simus, sed vt boni Religiosi. Vnde bene Hieronymus ad Paulinum, qui Hieronymum eo nomine beatum prædicabat & magni faciebat, quod in sanctis illis locis, in quibus redemptionis nostræ misteria Redemptor Iesus est operatus, moraretur, scribens, ait, *Non Hierosolymis vixisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudabile est*, Quod adferri vulgo dictum solet, vt eo religiosi moneantur ac credant satis non esse, quod in statu Religioso versentur: nam, vt vestis non facit monachum, ita nec locus, sed bona vita & sancta. In eo ergo res tota versatur, non, vt quis Religiosus sit, sed vt bonus; non in eo, vt Religionis exercitia obeat, sed vt bene & prout oportet; in eo inquam, quod referente Marco, de Christo turbæ dicebant, *Bene omnia fecit*. In hoc *bene* siquidem omne nostrum bonum continetur.

Epist. ad Paulum, de instit. monach.

Marc.7.37.

Illud certum & indubitatum est, omne nostrum bonum & malũ in eo esse, quod opera nostra aut bona sint aut mala. Qualia enim illa futura sunt, tales erimus & nos: illa clamant, qualis nostrum quisq; sit. A fructibus arbor cognoscitur. Nam homo, vt ait Augustinus, arbor est, & opera sunt fructus, quos illa fert; itaque ex operum fructu liquido perspicitur qualis quisque sit. Hanc ob causam Redemptor de hypocritis & pseudoprohetis illis spermologis ait, *A fructibus operum eorum cognoscetis eos.* E contra vero de se ipse sic loquitur: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, & si mihi non vultis credere, operibus credite*, illa quippe declarant quis sim. Nec vero solum declarant opera quid quisque in hac vita sit, verum etiam quid in altera futurus sit. Tales namque in altero futuri sumus sæculo in perpetuum, qualia in hoc opera nostra fuerint. Vnumquemq; n. Dominus, prout in vtroq; Testamento toties sacra Scriptura refert, secundum opera præmiaturus & remuneraturus est. Sic Psaltes; *Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Et Apostolus, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet, &c.*

De serm. Domin. in monte lib.2. 36.

Matth.7.16.

Ioan.10 25.

Psal. 61.13. Matt.16.27. Rom. 2.6. 1.Cor.3.8. Galat.6.8.

Ad particulariora vero iam descendamus, videamusque ecquæ illa sint opera, in quibus omne nostrum bonum, profectus & perfectio consistat. Non alia quam ordinaria & quæ quotidie obimus, vt videlicet orationem illam, quam quotidie peragimus, bene peragamus; examina, quę indies faciamus, bene faciamus, Missam bene & prout oportet audiamus & dica-

dicamus, Horas & reliqua pietatis exercitia magna cum reuerentia & attentione recitemus; continuo item nos in pœnitētia & mortificatione exerceamus, nostrum deniq; officium, & ea quæ obedientia & superiores iniunxere, bene exequamur. In his inquam profectus & perfectio omnis nostra sita est: adeo vt si hæc perfecte pertractemus, perfecti; si imperfecte, imperfecti futuri simus. Hæc itaque differentia est inter bonum perfectumq; Religiosum, & alium imperfectum & tepidum: non quod ille plura & alia agat quam hic, sed quod ea quæ agit, maiori agat perfectione. Ille proinde bonus & perfectus Religiosus est, quod illa bene & rite obeat, hic vero imperfectus, quod tepide admodum languideque hæc eadem præstet. Et quo ex his duobus quis plus habuerit, eo vel perfectior erit vel imperfectior.

Semen illud, quod in Euangelio seminator ille seminarat, etsi & ipsum in se bonum esset, & in bonam terram iactū; vno tamen loco fructum dedit trigesimum, alio sexagesimum, alio etiam centesimum. (Matt. 3. 8. & 23.) Quo triplici fructus allati discrimine, triplicem denotari Deo seruientium gradū sancti Patres volunt: sunt quippe alij Incipientes, alij Proficientes, alij denique Perfecti. Omnes, quotquot sumus, vnum idemque semen seminamus, quia eadem omnes opera obimus, eandē omnes seruamus regulam; idem omnes orationis & examinum cōscientiæ habemus tempus, & iā inde vsq; ab exortu diei, ad eius vesperam, ex eiusdem superioris præscripto omnes occupati sumus. Sed homo homini quid præstat? quantum inter hunc hominem & illum discrimen est, quanta inter hunc Religiosum & illum distantia! Nam in vno hæc ipsa opera quæ seminat, fructum afferunt centesimum; quod magno cum spiritu & perfectione illa peragat; atq; hi sunt Perfecti: in alio vero afferunt quidem fructum, sed non ita vberem, sed sexagesimum tantum; atque hi sunt proficientes: in alio denique nonnisi trigesimum faciunt, atq; hi sunt incipientes, qui primum Deo seruire incipiunt. Videat ergo vnusquisque, de quorū ipse numero sit: cōsideret num sit ex illis, qui trigesimū fructū dant. Vtinam etiā nullus vestrum de illorum sit numero, quos Apostolus fidei fundamento nonnisi lignum, fænū, & paleas superædificare scribit, quæ ardeant in die Domini. (1. Cor. 3. 12.) Vide, ne tua vel ex vanitate, vel humano aliquo intuitu facias, aut etiam vt hominibus complaceas; & aliquo apud eos sis loco: hoc namque nihil est aliud, quam lignū, fænum, paleas superædificare, vt in purgatorio saltem ardeant. Sed da operam, vt quæ agis, bene perfecteq; agas; atque ita si feceris, argentum, aurum, gemmasque pretiosas ædificabis.

Ex ea vero quæ sequitur ratione, facile perspicietur, omnem nostrum profectum & perfectionem in hoc vno consistere. Omnis profectus & perfectio nostra duab. in rebus consistit; primo, vt agamus id quod nos facere Deus vult; deinde vt eo illa modo fiant, quo ea ipse fieri cupit; Vt nihil aliud præter hoc vel petendum vel desiderandum videatur. Primum, vt scilicet faciamus ea quæ fieri à nobis Deus vult, iam, per Dei gratiam in Religione habemus: atque hoc vnum de maximis est bonis & consolationibus, quas qui sub obedientia viuimus habemus; esse nos videlicet certos, omne id quod agimus, & in quo nos occupat obedientia illud ipsum esse quod Deus à nobis exigit & requirit. Atque hoc primum velut principium & fundamentum est vitæ Religiosæ ab ipso Euangelio & communi sanctorum doctrina traditum, sicut latius post ostendemus, vbi erit de obedientia loquendi locus. (3. p. tract. 5. c. 10. & 12.) Scriptum est enim, *Qui vos audit, me audit.* (Luc. 10. 16.) Superioribus enim obediendo, obedimus Deo, eiusque voluntatem facimus; hoc quippe est, quod tunc à nobis fieri Deus postulat. Aliud itaque non superest, quem secundum illud, vt eo scilicet modo res fiant, quo illas Deus fieri desiderat; bene, inquam, & cum magna perfectione. hoc namque modo illas à nobis fieri & peragi cupit. Atque

que illud est, de quo hic loquimur.

S. Bernardus cum vna cum Fratribus suis (vt refertur in Chronicis Cisterciensibus) matutinum officium decantaret, multos hinc inde conspexit Angelos, sedulo obseruantes, & scripto annotantes, quid in choro monachi ac quomodo agerent: vidit autem nonnullorum opera aureo, aliorum argenteo colore, aliorum atramento, aliorum denique aliqua diluta describi, pro varia attentione ac spiritu, qua quisque orabat & cantabat; aliorum vero penitus non describi: quia tametsi officio præsentes corpore interessent, animo tamen & cogitatione procul inde distabant, inq; res impertinẽtes distracti erant. Maxime autem, dum *Te Deum laudamus* cantaretur, solicite obeũtes & discurrentes per singula loca Angelos vidit, vt nimirum saltem hymnus ille deuote & attente caneretur, & quomodo ex aliquorum, ipsum exordientium ore, velut flammæ quædam emicarent. Videat igitur quisque, qualis & cuiusmodi sua sit oratio, ac num auro, atramento, vel colore aqueo notari digna sit, aut penitus quę annotetur indigna. Vide quoque an, dũ orationem facis, igneæ ab ore tuo scintillæ erumpant, an vero oscitationes & dormitantium pandiculationes. Vide denique, an illi solum præsens sis corpore, animo vero in studiis, officio, vel negotiis externis, aut aliis rebus impertinentibus verseris & peregrineris.

Chron. Cister.

CAPVT II.

Multum nos ad perfectioni incumbendum animare debet, quod eam in re admodum facili Deus constituerit.

REuerendus Pater Magister, Hieronymus Natalis, illustre Societatis nostræ, ob insignem doctrinam & virtutis columen, quando Hispanienses prouincias primum visitatum venit, inter alia plurima salubriter decreuit & iniunxit, hæc vt veritas & doctrina identidem ac frequenter nostris inculcaretur, nempe, omnem nostrum in spiritu profectum & perfectionem in eo potissimum consistere, vt particularia, ordinaria, & quotidiana, quæ quotidie agimus, opera bene riteque peragantur. Adeo vt profectus & vitæ in melius emendatio, non in eo sita sit, quod opera quædam extraordinaria supererogatorie assumantur, nec quod alia sublimia altaque officia agantur, sed tantum vt ordinaria Religionis opera, & illa quæ nobis superior concredidit officia, etsi omnium ea sint infima & contemptissima, perfecte debitoque modo obeamus. Hoc quippe est, quod à nobis Deus exigit. Quocirca in hoc maxime intendere & oculos & animum debemus, si tam illi placere, quam perfectionem assequi velimus. Consideremus ergo & notemus hic, quam sane tenui dispendio perfecti esse valeamus, cum eo ipso solum quod quotidie agimus, nulla alia extra ordinem addendo opera, perfecti esse possimus.

Hoc maximæ omnibus consolationi est, & omnes nos ad perfectionem maximopere exstimulare debet. Si exquisita aliqua opera & extraordinaria, si eleuationes aliquas & contemplationes admodum sublimes, vt perfectus dici possis, à te exigeremus, aliquo te modo excusari posses, ac dicere, tam sublime te euolare nec posse, nec audere. Si peteremus, vt quotidie ad sanguinem vsque te cederes, quotidie in pane & aqua ieiunares nudipes incederes, perpetuo cilicium gestares, dicere sane posses, sufficientes ad hoc te vires non sentire. At nihil tale à te exigimus, nec in hoc tua sita perfectio, sed tantum, vt quod agis, bene agas. Per eadem ergo quæ agis, modo velis, perfectus esse potes. Iam omnis impensa facta est, aliud vt insuper adiungi necesse non sit. Quis igitur ad perfectionem animum non applicet, viso eam ita facilem & obuiam esse, & veluti in manibus, atque adeo in re tam

facili & pertractabili consistere? Deus, quo populum suum ad sui obsequium, & legis obseruantiam animaret, his verbis cum admonuit, *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere, quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere compleamus; nec trans mare positum, vt causeris & dicas, Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum.* Idem omnino de perfectione, de qua in præsenti tractamus, dicamus oportet.

Deut. 30. 11.

Hoc quoque suos argumento & ratione ad perfectionem animabat beatus Antonius: Græci, inquit, Philosophiam & reliquas scientias comparaturi, longa suscipiunt itinera, vasta traiiciunt maria, maximis sese in hoc laboribus, & vitam periculis obiectantes: nos vero quo virtutem & perfectionem, quæ vera & genuina sapiētia est, adipiscamur, nulla necesse est pericula adire, nullos labores subire, ne quidem domo pedem efferre, quia domi, quin imo intra nos ipsos illam reperiemus. *Regnum Dei intra vos est.* In rebus enim illis ordinariis & quotidianis, quas agitis, perfectio vestra versatur.

Luc. 17. 21.

Solet vtplurimum in spiritualibus conferentiis (potissimum, quādo tempus, aliquod deuotioni magis colendæ dedicatum instat, Quadragesima, Aduentus, festa Pentecostalia, denique ipsa votorum renouatio) peti, quanam maxime ratione ac pacto nos ad hanc renouationem, ad hanc Quadragesimam, ad Spiritum sanctum recipiendum, aut puerum Iesum recens natum intra nos recondendum dispositi & præparaturi simus. Multa tunc ab variis media & dispositiones suggeri videbitis, & eas bonas omnes; at optima ad hoc ratio, in qua insistere nos oportet, est hæc ipsa, de qua tractamus; in operib. scilicet nostris ordinariis, nos perficere. Aufer ergo & exue imperfectiones, quas in rebus hisce communibus & quotidianis committis, easq; quotidie melius & perfectius, & minus defectuose agere stude; atq; hæc futura bona est, ad quidquid volueris præparatio, & omnium forsian optima. In hoc ergo potissimū oculos intende, & reliqua omnia, quæ suggerētur media & considerationes ad vnum hoc referantur.

CAPVT III.

In quo operum nostrorum bonitas ac perfectio consistat; & aliquot proponuntur media ad eadem rite ac bene agenda.

AT videamus iam, in quo hæc operum bonitas sita sit, vt deinde ad media veniamus, quæ nobis ad eadem bene agenda conferent. Paucis vt dicam, duabus in rebus ea sita; Primum, vt pure ea propter Deum agamus. Rogat S. Ambrosius, ecquænam causa sit, cur in ipsa mundi creatione Deus statim ac res corporales & animalia creasset, ea omnia laudando approbarit. Mox enim vt plantas & arbores condidit, subiunxit, *Et vidit Deus quod esset bonum*; quin & auibus & piscibus, & stellis, & sole & luna creatis, quā primum subdidit, *Et vidit Deus quod esset bonum.* Omnia quidem hæc, mox vt perfecta & in mundum producta sunt, Deus laudauit, homo vero conditus cum esset, solus laude omni indignus fuisse visus est, non enim de eo dicitur, vti de rebus cæteris, *Et vidit Deus quod esset bonum.* Ecquod hoc mysterium est, quænam rei huius ratio? dicet tibi S. Ambrosius; Quod enim omnis reliquarum rerum corporalium & animalium pulchritudo & bonitas in exteriori quod deforis apparet, cōsistat, & nulla alia in ipsis perfectio inueniatur, quam quæ oculis humanis videtur; ideo mox à sui creatione laudantur. Hominis vero bonitas & perfectio non in exteriori illa, quæ apparet, specie sita est, sed in interiori tantum, quæ introrsum

Gen. 1. 10. 12. 18. 21. 25.

ſum latet abſcondita. *Omnis gloria* hominis, qui eſt *filius Regis* (Dei) *ab intus* eſt; atque hoc eſt quod oculis diuinis perplacet. *Homo enim*, ait Samueli Deus, *videt ea quæ parent*, atque ea illi placet aut diſplicent. *Dominus autem intuetur cor*, finem quoq; & intentionem, quam quiſq; habet, dum ſua opera peragit. Atq; hanc ob cauſam hominem iam creatum non laudauit, vti reliquas creaturas dum conderentur laudauit. Intentio namque totius bonitatis & perfectionis omnium operũ noſtrorum radix eſt & fundamentum. Et vt lapides in fundamentum conieciſti, etſi non appareant, vniuerſam ædificij molem ſuſtentant, ita & opus Intentio.

Pſal. 44. 14. *1. Reg. 16. 7.* *Tract. 3. c. 1.*

Alterum quod ad operum perfectionem requiritur, eſt, vt agamus id quod poſſumus, & quantum eſt ex parte noſtra, vt bene ea fiant. Neque enim ſufficit, vt bona tua ſit intentio; neque etiam ſatis eſt te dicere, propter Deum hæc à te fieri. ſed neceſſe inſuper eſt, vt ea quam potes optime facere contendas, quo per ea magis placeas Deo. Sit igitur hoc primum medium, ad opera tua bene agenda, ſcilicet ea pure propter Deum agere. Hoc namque bene, & quam poſſumus optime ea nos agere faciet, vt nimirum hoc pacto Deo magis placeamus; etſi alioquin nec ſuperiores, nec alij homines nos videant, ita denique, vt ea pure propter Deũ fiant. Rogabat alias B. P. N. Ignatius fratrem quemdam, quem ſuo in officio aliquantulum ſegneſcentem & negligentem videbat. Frater, propter quem hoc facis? qui reſpondit, Propter amorẽ Dei, tum P. P. Equidem promitto, ſi poſthac ita tuo fungi officio pergas, egregie te à me mulctandum; ſi enim propter homines id ageres, adeo graue non foret ita negligentem te eſſe: at cum id propter Deum tam potentem & magnum Dominum agas, inſigne piaculum eſt, ita tepide te gerere.

Primum medium opera noſtra perficiendi. Intentio pura.

Secundum medium ad hoc, à ſanctis dari ſolitum, idque maxime efficax, eſt, in Dei præſentia iugiter ambulare. Etiam Gentilis Seneca dicebat, hominem virtutis ſtudioſum, ſuaque bene agere volentem, ſibi perſuadere debere, coram venerabili aliquo magnæque apud ſe auctoritatis viro ſe verſari, proinde ita ſua omnia & facere & dicere debere, vti ea faceret & diceret, ſi vere ab eo coram cõſpiceretur; *Sic viue*, inquit, *tamquam ſub alicuius boni viri ac ſemper præſentis oculis*. Si porro illud ad ſua bene agenda ſatis eſſet, quanto ergo efficacius ad id medium futurum eſt in Dei præſentia iugiter ambulare, ſemper eum ſibi præſentem fingere, imaginando nos ab eo deſuper videri? præſertim cum id non nuda quædam ſit imaginatio, vti illa Senecæ, ſed vere ac reipſa ita fieri certum ſit. Sicut multis in locis id nobis Scriptura indicat, *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.*

Secundum medium. Memoria præſentiæ Dei.

Eccl. 23. 28. Iob. 34. 21. & c. 31. 4. Prou. 5. 21. 2 Paral. 16. 9

Poſtea autem ex profeſſo & ſingillatim de hoc exercitio præſentiæ Dei loquemur, dicemuſque quam id excellens & vtile ſit quantiq; à ſanctis omnibus habitum, & quantopere commendatum. In præſens illud tantum quoad materiam noſtram, inde afferemus, quanti videlicet ſit momenti, ordinaria noſtra opera bene, & prout conuenit facere. Tanti vero momenti id eſt, vt ſicut eo loco oſtendemus, ipſa Dei præſentia imaginatio non ad id tantum proſit, vt in illa fine ac iugiter nos detineamus, ſed vt ſtimulus nobis illa potius ſit ad bene faciendum ea quæ agimus: adeo vt, ſi propter attentiſſimam illam in Dei nos præſentia verſari imaginationem, opera noſtra negligenter obiremus, & aliquos in iis errores committeremus, adeo non bona ea futura eſſet deuotio, vt quædam potius illuſio foret. Addunt inſuper nonnulli, ac docent talem Dei præſentiam nos habere debere, & talem à ſacra Scriptura & ſanctis omnibus nobis tantopere commendari; vt nimirum taliter & tam bene noſtra opera peragere ſtudeamus, vt coram oculis Dei illa comparere queant, nihilque in iis appareat, quod eius ocu-

Tract. 6.

 lis

lis Dei, à quo respicimur. Atque hoc insinuare nobis Iohannes Apostolus in Apocalypsi sua velle videtur: sanctorum enim animalium illorum, quæ corã Dei throno stantia, & ad eius mandata excipienda promptissima conspexit, proprietates describens ea intus & foris, & in circuitu oculis plena ait fuisse; oculos quippe habuisse in pedibus, in manibus, in auribus, in labris, oculos deniq; in oculis. Vt hinc disceremus, eos, qui Deo perfecte seruire, eiusque præsentia digni esse volent, in omnibus sectare & cauere debere, ne quid agant, quod Dei præsentia sit indignum. Debes inquam oculatus esse & oculis plenus intus & foris, vt videas scilicet quomodo opereris, ambules, loquaris, audias, videas, cogites, velis, & desideres: vt in omnibus rebus tuis nulla sit, quæ Dei, ante cuius conspectum versaris, oculis vllatenus displiceat.

Eccl. 44. 16. *Hebr. 11. 5.*

Est hæc optima, in Dei præsentia ambulandi ratio: hinc Ecclesiasticus, & Apostolus, loco eius quod in Genesi de Enoch legitur, *Ambulauitque cum Deo* (quod idem est, ac coram Deo) *& non apparuit, quia tulit eum Dominus*; dicunt *Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum.* Vnde discamus licet idem esse, semper cum Deo ac coram Deo ambulare, & Deo placere, cum vnum per aliud declarent. In Exodo legitur, Iethro ad generũ suum Mosen veniente, Aaron & omnes Principes Israel conuenisse, *vt comederent panem cum eo coram Deo*; quod Augustinus & Origenes sic volunt intelligi, non quasi conuenerint, vt coram tabernaculo vel arca comederent, quia nondum id erectũ erat: sed quod ad tali cum pietate, sanctimonia, & modesta religiosaque morum compositione comedendum & bibendũ ac recreandum conuenerint, qualis deceret eum qui in Dei conspectu epularetur; sedulo cauendo ne quid eo in epulo esset, quod diuinos eius oculos offenderet. Hoc scilicet modo iusti & perfecti, in omnibus rebus suis etiam indifferẽtibus, & ad vitam humanam pertinentibus, coram Deo ambulant. *Iusti*, ait Propheta, *epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*; sed coram Deo, ita inquam, vt omnia coram oculis Dei apparere tuto possint, nihilq; sit in illis, quod præsentia diuina sit indignum.

Exod. 18. 12.

Psal. 67. 4.

Hoc idem modo compleri multi sancti dicunt id, quod Christus Redemptor in Euangelio iubet, *Oportet semper orare, & non deficere*, & illud Pauli ad Thessalonicenses, *sine intermissione orate*: aiũt enim eum semper orare, qui semper bene laborat. Ita id docet S. Augustinus, super illa Psalmographi verba, *Tota die laudem tuã.* Vis, inquit, optimum quoddam Dei tota die laudandi medium? *En; quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum* tota die. Idẽ dicit S. Hilarius, *Per hoc enim efficitur, vt sine intermissione oremus, cum per opera Deo placita, & in gloriam eius semper exercita, sancti cuiusque viri vita omnis oratio sit, ac si secundum legem noctu dieque viuendo, vita ipsa nocturna legis erit & diurna meditatio.* Et S. Hieronymus super illum Psalmi versum, *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen*, interrogat, quomodo Deum Sol, Luna, lumen & stellæ laudent? Et ait, *In eo quod à suo officio & seruitio non recedunt*, sed illo optime funguntur, & agunt id propter quod creata sunt, ac proinde *seruitium ipsorum laus Dei est.* Adeo vt quicumque officio suo bene fungitur, qui quotidiana & ordinaria Religionis opera bene exequitur, is Deum semper laudet, & semper in oratione versetur. Confirmare id possumus illo Sapientis loco, *Qui conseruat legem, multiplicat orationem; sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* Ex hoc igitur facile patebit, quanti æstimandum, quantęque perfectionis sit, ordinaria quæ facimus opera, bene agere, cum id quodammodo sit orationem & oblationem multiplicare, iugiter orationi intendere, & in præsentia Dei assiduo versari. Atque hoc inprimis salutare, deoque quam gratissimum sacrificium est.

Luc. 18. 1.

1. Thes. 5. 17.

Super Psal. 34. concione 2. in fine.

Psal. 34. 28.

Eccl. 35. 2. Vulgata legit oblationem

CAPVT

CAPVT IV.

Alia bene sua agendi ratio proponitur, ita scilicet illa agere, ac si aliud præter hoc, nobis agendum non esset.

Tertium medium. Præsens opus solum curare.

TErtium bene debitoque modo sua agendi medium est, ita singula sua agere, perinde ac si aliud quid agendum non esset: ita inquam orationem nostram peragere, Missam celebrare, Rosarium nostrum & Horas recitare, tamquam si aliud præter hoc agendum non incumberet, & ita de reliquis operibus. Quis nos premit? quis instat? Itaque videamus ne quam in operibus nostris confusionem faciamus, neue vna res aliam impediat; sed in illam oculos semper defigamus, quam præ manibus habemus. Verbi gratia in oratione non cogitemus de studiis, officio, aut rebus agendis: ad aliud quippe hæc cogitatio non refertur, quam vt orationem illam impediat, & nec illa, nec cætera bene fiant; cum reliquus dies totus officio, studiis, & ministeriis exequendis sit dedicatus. *Omnia* quippe *tempus habent*, suum igitur rei cuique tempus demus. *Sufficit diei malitia sua* & labor. Hoc porro medium adeo consentaneum & orationi conforme est, vt etiam Ethnici fidei lumine carentes, ipsum olim docuerint, quo maiori reuerentia & veneratione cum falsis iis ageretur diis, quos ipsi vt numina venerabantur. Inde ortum habet vetus illud dictum, *Adoraturi sedeant*: id est, qui cum diis agere voluerint, sedendo id, & cum attentione, & in quiete faciant; non vero leuiter, perfunctiore, & negligenter. Plutarchus, de honore & reuerentia loquens, qua sui æui sacrificuli ad de deorum suorum aras & simulacra accederent, toto illo quo illi sacrificium peragebant tempore, adstare solitum ait præconem, qui alta voce eos commoneret, *Hoc age, quod agis*: id est, hoc quod agis, mente animoque intende, noli alibi sensibus diuagari; & ad hoc quod præ manibus habes opus attende. Atque hoc ipsum medium est, quod hoc loco præscribimus, vt nimirum in eo quod agimus, toti esse procuremus; illud exacte, cordialiter, matureque exequi studendo; & demum ita vnumquodque opus agamus, ac si aliud nihil quod ageremus, haberemus. *Hoc age quod agis*, & in eo totus esto; id est, toto animo, cura, & diligentia in id quod præ manibus habes attende, reliqua vero omnia tunc sepone, itaque fiet vt bene omnia tua agas. *Quod nunc instat agamus.* Vetus quidam sophus probaturus nos ad id solum quod præsens est attendere, nullatenus vero de præteritis aut futuris sollicitos esse debere, hanc sui dicti rationem adferebat, quod solum quæ præsentia sunt, certo in nostra essent manu, præteritum vero & futurum minime: illud enim iam abiit, ac proinde in nostris manibus non est; hoc vero ignorámus an venturum sit. Vtinam vero hoc à nobis ipsis impetrare possimus. Vtinam ita nostri, & cogitationum & imaginationum nostrarum simus domini, vt de alia nulla re, præterquam ea quam in præsentiarum agimus, cogitemus! Tanta vero hinc cordis nostri instabilitas est, tanta illinc dæmonis tentantis malitia & versutia est, vt illa ipse ceu instrumento vsus, earum in alio negotio nobis rerum cogitationes & curam ingerat, quæ postea nobis sunt agenda, vt sic impediat & interturbet quod in præsens agimus. Est hæc solita & ordinaria aduersario nostro, nobisque omnibus imprimis noxia & damnosa tentatio: id quippe per eam spectat, vt nullum omnino opus bene agamus. Atque idcirco tempore orationis, te de rebus agendis, muniis, officio cogitare facit, imaginationiq; tuæ rei alterius cuiuspiam bene agendę modos & rationem suggerit, vt nimirum orationem, quam tunc obis, minus benè facias; eius vero loco summo studio conatur mille tibi

Eccl.3.1. — *Matt.6.34.* — *Paul Manut. in adag. 3.art.* — *Aristipp. apud Aelian. lib.14. var. histor.*

tibi modos ad rem illam aliam postea bene peragendam repræsentare, quia scilicet eam modo non facis: nam postea cum ea iam agenda erit, aliud quid tibi rursus suggeret, vt nec etiam illam facias bene. Atque ita nos in omni re decipit, vt nihil omnino tandem à nobis bene fiat. *Non enim ignoramus cogitationes eius*, imo eas penitus perspectas habemus. Futura & post agenda seponi, & iam de illis laborare & cogitare noli; etsi enim bona ea sint in futurum, non tamen in præsens bonum est de eis cogitare. Quando autem tentationi huic subreptitius hic prætextus accesserit, fore nimirum, vt tibi post fortassis occurrat id, quod iam meri tuæ se offert, vel ex hoc vno colliges hanc à Deo cogitationem non esse, sed meram Diaboli tentationem. Deus enim non est amicus confusionis, sed pacis, quietis, & boni ordinis; proinde qui tibi quietam, pacem & ordinem rerum surripit, non Deus est, sed Diabolus, qui confusionis, inquietudinis, & turbationis amicus est. Hunc itaque turbatorem à te repelle, & confide, Deum, si agas id quod debes, suo tibi tempore daturum omne id quod tibi conueniet, & quidem abundantius & copiosius. Vnde quamuis tibi tempore eo quo spiritualibus exercitiis vacas, bona quædam ratio scitum punctum, aut subtile quoddam argumentum, necnon alterius cōtra solutio occurrat, noli ipsum tunc multum curare; sed sepone, tibique persuade, nihil te propterea quod animo id exturbes amissurum, at potius maius quid postea & subtilius suggerendum. Vnde bene S. Bonauentura, *Scientia, quæ pro virtute despicitur, per virtutem postmodum melius inuenitur.* Et R. D. M. Auila, *Quando mentem rei alicuius cura importuno tempore occuparit, dicito, Nihil tale mihi nunc Dominus meus imperat, ac propterea de ea cogitare opus non habeo; at vbi id mihi Dominus meus iniunxerit, tunc de illo tractabo.*

In specul. discipl. p. 2. c. 7.

Tom. 3. Epist.

CAPVT. V.

Alius modus præscribitur, ita nimirum vnumquodque opus obire, perinde ac si id in vita nostra vltimum futurum esset.

QVartum medium, quod sancti Patres ad opera bene agenda suggerunt, est vnumquodq; eorum ita peragere tanquam si id vltimum & supremum totius nostræ vitæ foret. Suggerit id Bernardus, dum Religiosis bene exacteque operá sua agendi formulam præscribit; *In omni opere, inquit, suo dicat sibi ipsi, si modo moriturus esset, faceres istud?* hoccine modo faceres? S. Basilius vero, *semper*, inquit, *ante oculos tuos versetur vltimus dies, cum enim diluculo surrexeris, ad vesperam te ambigas peruenire; & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis aduentu, vt facilius te possis refrenare ab omnibus vitiis*; multi namque subito & ex improuiso moriuntur. Est hoc efficax medium ad opera nostra bene perfecteque agenda. Vnde & legimus S. Antonium Abbatem sæpius hoc discipulis suis præceptum inculcasse, vt hoc pacto eos ad virtutem, & ad bene sua agenda animaret. Vnde & alius ille dicebat,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Si ita singula nostra ageremus, quasi si statim nobis esset moriendum, & posthac amplius operari non liceret, longe profecto aliter, maiorique perfectione eadem ageremus. Quam enim deuotam celebrarem Missam, si scirem certo illam postremum opus fore, quod in vita essem acturus, & nullum posthac mihi tempus ad amplius operandum & promerendum futurum. Quam serio attenteque orarem, si nossem hanc vltimam orationem fore, & me exinde tempus ad veniam de peccatis & misericordiam postulandam non habiturum. Hac de causa communiter dicitur, *Si non potes orare, ito ad mare:*

Quartum medium.

Quoduis opus credere vltimum fore.

In speculo. monach.

Horat. lib. 1. Epist. 4.

cum

cum enim mors præsens ante oculos versatur, aliter longe & feruentius oratio instituitur.

Sacerdos quidam monasticam vitam professus, sanctimonia vitę singulari cum esset, sua quotidie confiteri peccata solebat, vt se purgatione hac ad Missam indies dicendam disponeret: qui cum tandem in grauem ægritudinem incidisset, & eam lethalem esse Superior vidisset, monitus ab eo est, vt, quoniam pessime iam affectus erat, ita peccatorum confessionem perageret, quasi breui moriturus. Tum æger, manibus in cœlum sublatis, Benedictus, inquit, sit Deus, iam triginta & amplius anni sunt, Pater, ex quo mea ita quotidie peccata sum confessus, ac si statim è vita essem migraturus; vnde iam aliud me facere opus non erit, quam ita me reconciliare ac disponere tanquam si sacrum essem celebraturus. Laudabiliter haud dubie Religiosus ille faciebat: nostrum vero est, ipsum imitari & ita singulis vicibus confiteri, & sacratissimas Eucharistiæ epulas adire, perinde ac si de vita tunc decessuri essemus; atque ita etiam reliqua opera nostra obire. Sic quippe fiet vt in mortis via necesse futurum non sit nobis dicere vt sic confessionem illam instituamus, quasi illa futura esset vltima; Sed tantum vt ita Deo nos reconciliemus, sicut facere consueuimus, dum veri altaris Sacramentum sumeremus. Sane si hoc modo procederemus, semper mors nos optime dispositos & paratos inueniret, neque improuiso vnquam obrueret. Hæc itaque optima est ad subito & non derepente moriendũ oratio & deuotio. Nam, vt Christus Dominus asseuerat, *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem.* Ita porro vitam suam instituebat S. Iob, qui de se sic confitetur, *Cunctis diebus quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea*, & quotidie mihi persuadeo, diem hunc mihi vltimum esse, *Vocabis me, & ego respondebo tibi*, id est, quo me cumque die vocare dignatus fueris, paratum me & dispositum, ad tibi respondendum, & vocationi tuæ omni hora & momento, quo me appellare volueris, attendendum inuenies.

Matth 24. 46.

Iob.14.14.

Vnum è certissimis signis, è quibus quis cognoscat vtrum rationes suæ bone & recte coram Deo stent, est, si semper paratus & dispositus sit, ad Deo, quocumque is tempore, & quocumque in opere vocare voluerit, respondendum. Non loquor hic de infallibili quadam certitudine (talem enim in hac vita sine singulari Dei reuelatione habere non possumus) sed tantum de probabilibus & moralibus coniecturis, & tales in hac vita homo habere potest. Inter quas certa, euidens, & maxime principialis est illa; si contentus sis vt hoc te in tempore, hac in coniunctura, & hoc in opere quod facis, mors opprimeret.

Quare vide an dispositus sis ad ita Deo, si hoc in momento te vocaret, respondendum, vti respondit sanctus ille Iob. Ad hunc lapidem Lydium sæpe te explora & examina, atque his verbis sæpe à te sciscitare, Si iam mors te opprimeret, anne gauderes? Quando igitur circa hoc me examinans & interrogans, comperio gratum mihi fore & amicum si me hoc instanti & in hoc opere quod ago, mors subito occuparet; recte mihi ambulare videor, & hoc aliqualiter me recreat ac delectat. At dum comperio nolle me vt mors tunc veniret, & hoc me in opere, negotio, coniunctura, & occupatione distentum inuaderet; sed paululum adhuc exspectaret, donec ea quæ mente agito & molior, meque distrahunt, absoluam; non bonum id signum est, sed potius vt euidens argumentum habere debeo, de meo me profectu parum solicitum esse, vti bonum Religiosum decet. Nam, vt bene ait Thomas à Kempis, *Si bonam haberes conscientiam, non multum timeres mortem*: at cum tantopere eam metuas, signum id est conscientiam tuam in re aliqua te remordere, & rationes tuas vsqueadeo liqui-

Thomas à Kempis.

liquidas nō esse: *satius esset peccatū timeres quam mortem.* Oeconomus, qui bene rationes suas composuit, adeo non timet vt ratio dati & accepti à se petatur vt etiam optet & velit eam à se posci: at cuius rationes non satis bene constant, sibi metuit, si quando eæ à se exigendæ sunt, & quantum potuerit, ab iis reddendis se excusat, & semper procrastinationem petit.

Lib.4.c.5. Vita. R. P. N. Franciscus Borgia id bonum Religiosi omnis exercitium fore dicebat si quatuor & viginti per diē vicibus eo in statu se constituat, in quo esse vellet si mori ipsum contingeret; ac tunc demum fore vt bene se habeat, quando quotidie
1.Cor.15.31. dicere poterit, *Quotidie* (& hodie) *morior.* Vnusquisque ergo à semetipso rationes deposcat, ac frequenter se quoad hoc punctum examinet: si vero tunc videas minime te ad mortem dispositum esse, & nolle te ab eadem tunc occupari, in bono statu te ad conflictum illum ineundum, & aleam illam subeundam ponere satage, ac finge à Domino petere te, vt aliquot vitam tuam ad hoc diebus prorogeт; ipsum vero hos tibi dare, quare tempus illud datum vtiliter expende, & quā diu illud durat, ita viuere in eo allabora, ac si tibi statim esset moriendum. Beatus ille, qui talem vitam instituit, qualis ipse in mortis suæ hora volet inueniri.

Hoc inter omnia quæ proximo proponere pro concione solemus, vtilissimum est, vt videlicet taliter vitam instituant, quales in hora mortis suæ cupiunt inueniri, nec suam in futurum conuersionem & pœnitentiam differant.
Thom. à Kemp. Nam, vt ait venerabilis ille vir, *Dies crastina plane incerta est; & vnde scis te ad crastinum esse peruenturum?* Et Magnus Gre-
Homil. 12. in Euangel. gorius: *Qui pœnitentibus veniam spopondit, peccantibus crastinam diem non promisit.* Dicere vulgo homines solent, morte nihil esse certius, eiusdem vero hora nihil incertius. Magis etiam & amplius dicit Redēmptor noster Iesus apud Euan-
Luc.12.40. gelistam: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quo loco etsi de die iudicij ipse loquatur, nihil tamen obstat, quo minus etiam de hac hora hæc intelligamus: in ea siquidem particulare de vnoquoque hominum iudicium peragetur; quæque in eo feretur sententia, in vniuersali non retractabitur, at tantum confirmabitur. Dicit igitur Christus, horam illam non modo incertam esse, & te nescire quando ventura sit, sed etiam quo non putabis momento adfuturam; & forte tum, cum minus de ea eris sollicitus, & longe alia cogitabis. Atque hoc est quod Timotheo suo scribit Apostolus, *capit. 5. versicul. 2. Sicut fur in nocte ita veniet.* Et in Apocalypsi sua Ioannes, *capite tertio versiculo tertio, Veniam ad te tamquam fur, & nescis qua hora veniam ad te.* Fur vt veniat, eam exspectat horam, qua domestici minus de eius aduentu cogitant, quin etiam altum dormiunt. Hac eadem itaque comparatione docet nos Christus, quomodo caute nos gerere debeamus, ne nos ex improuiso & in cautos mors opprimat. *Hoc autem*, inquit, *scitote,* *Luc.12.39.*
quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam; at quia horam nescit, vtrum scilicet in prima vigilia, an nocte media, an demum sub auroram venturus sit; hinc semper vigilat solicitus ne domum is perfringat, suaque diripiat: sic & vos, inquit, semper vigilare & omni tempore paratos esse oportet, quia qua hora non putatis, mors aderit.

Notant hoc loco sancti Patres singularis cuiusdam misericordiæ Dei argumentum id esse, quod incerta & incognita nobis mortis sit hora, vt nimirum ita semper parati essemus, & nunquam non ad eam dispositi. Si enim certo homines nossent quando illa ventura esset, hæc illis securitas & certitudo maximæ esset negligentiæ, plurimorum peccatorum occasio. Si enim modo, quando & de ea sunt incerti, & horam eius ignorant, tam incaute negligenterque

August. in Psal. 144. in illa verba: Misericors & miserator.

Greg. Hom. 13. sup. Euan. & lib. 12. Moral. c.16.

viuunt,

ſciunt; quid tum demum facerent, cum cirent tam cito ſe morituros non eſſe. Ideo inquit ſanct. Bonauentura voluit Deus mortis diem nobis eſſe incognitum, vt res haſce temporales eo minoris duceremus, iiſque nos adeo non immergereremus, quod ſingulis eas horis, imo momentis, poſſimus perdere; vti diuiti illi auaro apud ſanct. Lucam cõminatus eſt Deus: *capit. 12. verſicul. 20. ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cuius erunt?* Sed vt corde & animo ad eas tantum anhelelemus, quæ perpetuo ſunt duraturæ. Æquum igitur erit, vt quæ aliis ipſi prædicamus, ea etiam nobis prædicemus inque vtilitatem nostram conuertamus, vti inſinuat Apoſtolus, *Qui ergo alium doces, teipſum non doces?* Vna de communiſſimis cacodæmonis tentationibus, quaque is hominibus plurimis imponit, eſt, quod claram hanc & manifeſtam adeo veritatem eos celet, ab illorum oculis eam ita remouendo, penitus vt illius obliuiſcantur, deque ea minime cogitent, iiſque perſuadendo ſatis illis tam ad hoc quam ad illud tempus ſupereſſe, poſtea fore vt ſe emendent, & vitam in melius commutent.

De profect. religioſ. lib. 1. c. 17.

Rom. 12. 21.

Eadem quoque tentatione non paucos Religioſos decipit, dum illos inducit, vt ſuam de profectu in ſpiritu curam ſemper de die in diem differant, ac dicant, poſtquam hæc aut illa ſtudia abſoluero, quando hoc officio defunctus fuero, vbi huic negotio finem impoſuero, tunc demum exercitia mea ſpiritualia, meas pœnitentias & mortificationes ſerio diſponere incipiam. Proh miſerum te! Si vero te in ſtudiis mori contingat, quid tibi proderunt litteræ, ob quas in virtute elanguiſti, niſi vt eæ ceu palea ſint & fœnum, quæ ceu pabulum in alia vita ignem tuum magis accẽdant, vt ait Apoſtolus, Ex illo igitur aliquam nobis vtilitatem ipſi trahamus, quod aliis, vt inde proficiant, ſuggerimus. *Medice cura teipſum*, hoc ipſe tibi remedium applica, quod alijs conſulis, cum non minus eo indigeas.

1. Cor. 3. 12.

Luc. 4. 13.

CAPVT VI.

Aliud ſuggeritur opera ſua bene faciendi medium; ſcilicet nonniſi in diem præſentem intentionem figere, nec vlterius.

QVINTVM medium, quod nos ad opera quotidiana bene perfecteque agenda, etiam permultum animabit & excitabit, eſt, vt tantum de præſenti die ſoliciti ſimus. Etſi vero hocce medium à ſuperiori minime differre videatur, ab eo tamen diſcrepat, vti è ſequentibus liquido patebit. Inter alia quæ permultos in via virtutis ſenes & languidos reddere ſolent, & inter tentationes, quibus hunc languorem inducere dæmon conatur, non poſtrema eſt ſequens hæc, quod ita ſcilicet eos ſecum faciat raciocinari, quid? Tene tot annis tam caute, tam circumſpecte, tam exacte omnibus in rebus poſſe viuere, ſemper vt te mortifices, & ſemper coerceas, & refrænes, velle tuam vbique etiam perpetuo abneges, voluntatem denique tuam omnibus in rebus compeſcas? Hocque diabolus vt rem valde difficilem & permoleſtam depingit, & hoc vitæ genus eſſe negat, quod eatenus & tam diu queat extendi; ita B. P. N. Ignatium, quando Manreſam ſe contulit, vt ibidem ſummam vitę auſteritatem ſectaretur, inter alias tentationes, quibus eum oppugnauit, hac de qua loquimur, non mediocriter exagitauit, dicens, Qui fieri poteſt Ignati, te vitam tam aſperam, atque hæc eſt, ſexaginta illis vitæ annis, qui tibi adhuc reſtant, ferre poſſe? Huic vero tentationi hocce quod tractamus medium diametraliter oppoſitum eſt. Neq; enim

Quintum medium. Præſens tempus curare.

Lib. 1. c. 6. vitæ.

enim necesse te est de multis annis multisue dieb. anxiũ esse, sed de vna illa duntaxat, quæ hodie præ manibus est. Est autem medium hoc debilitati nostræ infirmitatique quam maxime proportionatum. Quis non enim se animet, & non conetur vt vel vno die bene viuat, & allaboret quantum est ex parte sua, vt opera sua benefiant? Atque illud est, quod nobis in examine particulari B. P. N. præscribit, vbi etiam de vno medio die in alterum bona proposita nos concipere iubet, dicentes: Ab hoc tempore vsque ad prandium saltem modeste me geram, silentium seruabo, vel patientiam præferam. Hacque ratione facile & leue tibi redditur quod fortasse difficile ac durum foret, si absolute & generaliter sumeres, dicẽdo, Nunquam extra tempus loquar, aut semper me restricte, modeste, composite, & recollecte geram.

Hoc certe medium ille vsurpauit Monachus, de quo in vitis Patrum legitur, hic cum à gula ita tentaretur, & iam inde vsque ab exortu diei dirissima eum torqueret fames, itaque viribus deficeret languidus, vt ferendo non esse videretur, nec tamen sanctam monachorum consuetudinem non comedendi scilicet, nisi post tertiam à vespera horam, transgrederetur, hac cautela vtebatur, sicque seipsum summo mane alloquebatur, Etsi labores fame, parum est tamen ad vsq; tertiam diei horam eam pati, hæc vbi venerit, tunc demum comedere poteris, vbi vero iam hora tertia venisset, dicebat: Vim mihi iam inferam necesse est, & ante sextam non comedam. Sicut enim ad vsque tertiam cibo potui abstinere, ita & vsque ad sextam abstinere potero, atque ita se intermedio illo tempore gerebat. Hora sexta cum iam venisset, panem suũ aquæ immittebat, dicens, Interim dum panis maceratur, vsque ad noctem exspectem oportet: nam si hactenus ieiunus exspectarim, nolo ob duas vel tres, quæ adhuc restant, horas fratrum consuetudinem infringere.

Cum hora nona aduenisset, tandem aliquando, etiam dictio ante orationibus suis, cibum sumebat, multis id ipse diebus continuo cum fecisset, breuibus hisce interuallis ac spatiis sese deripiens; tandem die quodam cum sero se hora nona iam ad capiendam refectionem cõposuisset, tetrum & atrum quendam fumum è sportula, qua panes suos asseruabat, surgentem, & per cellulæ fenestram erumpentem, conspexit? qui erat haud dubie spiritus ille diabolicus, qui eum assidue tentabat, hinc illo ex tempore nunquam rabiosam & caninam illam famem, & falsos illos corporis defectus ac deliquia sensit: adeo quidem, vt & continuos duos sine cibo vllo dies traduceret, & vix famem sentiret. Ita scilicet, quam de hoste suo consecutus erat victoriam, & quam passus erat tentationem, Dominus dignatus est compensare.

Diximus autem, & non sine causa, medium hoc imbecillitati nostræ quam maxime proportionatum esse; quia id nos ceu infirmos & debiles paulatim tãdem quodammodo subleuat & erigit, ne labore longo deterreamur. At si generosi & feruidi essemus, ingentique erga Deum amore incensi, necesse nos non esset hoc adminiculo paulatim animari & confortari, vt sic labor & difficultas nobis minor videretur. Verus enim seruus Dei nec respicit longum tempus, nec multos annos, sed tempus omne quod Domino seruitur, illi nimis quam videtur breue, & labor paruus. Quocirca his eum adminiculis minime opus est paulatim ad altiora erigere. Egregie id declarat sanctus Bernardus; *Verus iustus*, inquit, *non ad annum, vel ad tempus diurnum, instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui*, sine vllo inquam termino, sed ardenti quadam voluntate. Audi vocem iusti dicentis, *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes*, legem & consilia *tua in æternum*; non igitur ad tempus iustitia eius manet,

Epist. 253. ad Abbat. Garinum.

Psal. 118. 93. & 112.

net, non aliquanto tempore, sed in sæculum sæculi. Et quia absolute ac sine vllo certo termino Deo famulari statuit, atque adhoc sese obtulit, nec limitando dixit, Ad annum aut triennium isthoc faciam; hinc & præmium eius interminabile erit, & in æternum duraturum. Sempiterna itaque iusti esuries sempiternam meretur refectionem. Atque hoc in sensu explicat Sanctus Bernardus illam Sapientis sententiam, *Consummatus in breui expleuit tempora multa:* id est, verus iustus in pauco tempore, paucisque vitæ diebus multos quodammodo vixit annos; tantum namque amat Deum, & tanto ei seruiendi tenetur desiderio, vt etsi centum atque etiam centies mille annos viueret, semper tamen magis ac magis illius se obsequio impenderet: hinc hocce ob desiderium ac propositum tantum meretur, ac si toto illo tempore ita viueret. Deus namque illum iuxta eius desiderium ac propositum præmiabitur. Hi sunt vere viri masculi formati, & fortes, ad instar Iacob, qui ob ardentem, quo Rachaelem suam prosequebatur, amorem, septem ac rursus septem annorum famulatum, quem eius habendæ ergo famulari debebat, flocci pendebat, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

Vbi supra.
Sap. 4. 13.
Gen. 29. 20.

CAPVT VII.

Aliud proponitur medium, assuescere scilicet bene perfecteque sua munia obire.

Sextum medium. Consuetudo bene operandi.

MAgnus ille & priscus Philosophus Pythagoras, discipulis & amicis suis ad virtutem adspirantibus, hoc quo hæc illis facilis & suauis redderetur, consilium suggerebat: Vnusquisque, inquit, vestrum optimam quandam vitæ rationem sibi seligat; nolite autem curare quod hæc laboriosa, salebrosa, difficilis initio appareat; postea namque consuetudine & vsu ipso facillima & suauissima fiet. Est sane medium hoc quam maximi momenti, & omnibus nobis vsurpandum, non tam quod id à Philosopho illo magno sit suggestum, quam quod ipsum Spiritus sanctus, vti modo ostendemus, consuluerit, & valde sit ad id quod spectamus, efficax & conueniens. Bonam, Deo laus, vitæ rationem iam selegimus, aut, vt melius dicam, ipse nos Dominus ad eam selegit. *Non vos*, inquit ipse, *me elegistis sed ego elegi vos.* Ob quam ipse gratiam sit in æternum benedictus, & in sæculum sæculi superexaltatus. Cæterum in hac ipsa vita & statu, in quo nos Deus Optimus Maximus posuit, habere locum potest & magis & minus. Potest namque perfectus Religiosus esse, potes & imperfectus & tepidus, prout tua futura sunt opera. Si ergo in eo statu proficere, & perfectionem assequi velis, assuesce omnia Religionis opera bene & perfecte agere; assuesce orationem & reliqua tua exercitia spiritualia serio & recte obire; assuesce in obedientia & regularum tuarum obseruantia exactus esse, assuesce parua ac minuta magnifacere; assuesce denique secretiori recollectioni, mortificationi, modestiæ, silentio; & non te terreat, quod aliquam in principio in his difficultatem sentias: postea namque per consuetudinem & vsum omnia non modo experieris facilia, verum & admodum suauia, dulcia, sapida, nec satiari gratiis Deo agendis poteris, quod hisce de rebus assuefeceris.

Ioan. 16.

Hanc nos Spiritus sanctus doctrinam in multis Sacræ scripturæ locis docet. In Prouerbiis quippe dicit, Viam *sapientiæ monstrabo tibi*, id est, ego te docebo sapere in cognitione Dei (id enim in Sacra Scriptura, teste Sanct. Bernardo, significat sapientia) sapientia scilicet est sapida Dei scientia. Docebo itaque te, inquit, viam & modum quo saporem & gustum è Dei cognitione, amore, & serui-

Prou. 4. 11.
Bernard.

seruitio capere addiscas. *Ducam te per semitas virtutis & æquitatis; quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Porro via hæc semitæ vocatur nomine, quod virtus in principio, ob nostram in malum propensionem, difficilis sit, & angusta quædam semita videatur, at postquam arctos illos tramites & angustias iam pertransierimus, viam quandam latam & spatiosam & commodam alacres ingrediemur; quin imo sine offendiculo ac remora vlla curremus. Sub huius metaphoræ ambagibus peregregie Spiritus sanctus ostendit, quamuis initio aliquam in hac virtutis ac perfectionis via difficultatem sentiamus, non propterea nos animis cadere debere; quia postea non modo difficultatem nullam, verum etiam magnam vice versa consolationem, voluptatem, & delectationem, vt dicturi postea sumus, experiemur. *Quia modicum laborari, inueni mihi multam requiem.* Idem etiam repetitur sexto Ecclesiastici capite, *In opere ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illis.* Idem quoque monet Sanctus Paulus, *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ*, & non facilis modo fit, sed & dulcis & sapida.

Eccl. 51. 35. Eccl. 6. 20. Heb. 12. 11.

Quod etiam in omnibus artibus & scientiis locum habere videmus. Constat enim quam tironi incipienti initio litterarum studia difficilia & amara sint, quam sæpe necesse sit violenter eum eodem adigere, & vt studeat compellere: Vnde etiam vulgo dicitur, litteras homini per sanguinem instillari. At postea per quotidianum exercitium & vsum assiduum, vbi quis aliquem in iis profectum fecit, & aliquid iam scientiæ acquisiuit, adeo illi hæc placere incipiunt; vt vnica & sola eius voluptas & recreatio sit studiis assidue intendere. Pari etiam modo se res in via virtutis & perfectionis habet.

Egregie id declarat sanctus Bernardus, explicans illa Iobi verba, *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Nosse, inquit, vis quid faciat consuetudo, quanta eiusdem potentia sit & vis, audi: *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas, iudicabis non adeo graue; paulo post & leue senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit*, vt dicere cum Iobo possis, Quod ante anima mea abhorrebat, & ne quidem bonis inspicere oculis poterat, sed horrorem mihi mouebat & auersionem; iam cibus alimentum, & esca mea est, tum dulcis, tum sapida quam maxime.

Lib. 1. Consider. ad Eugen.

Talia itaque sunt omnia, qualiter sese quis assuefecerit. Ideo nimirum difficile tibi ac molestum videtur, additiones, circumstantias, & documenta in oratione & examine præscripta obseruare, quia paruum eorum vsum & consuetudinem habes. Ideo tantam in imaginatione tua recolligenda, vt non statim ac experrectus fueris, orationi insistendum est, quocumque diuagetur, difficultatem sentis, quia nunquam tibi ad hoc violentiam intulisti, nec ei recolligendæ refrænandæue, ne quid aliud cogitet, quam id de quo instituenda meditatio est, assueuisti. Idcirco etiam silentium & solitudo tristitiam tibi ac melancholiam causantur, quia parum ea vsurpasti. *Cella* enim inquit Thomas à Kempis *continuata dulcessit, parũ frequentata amarescit*: quare eam frequenta, familiaremque tibi redde, & paulatim ea suauis & iucunda fiet. Idcirco denique sæculari difficilia & molesta videntur oratio & ieiunium, quod iis non assueuerit.

Thom. à Kemp.

Dauidi sua Saul arma circumdedit, vt iis intutus cum Philistæo duellum iniret; sed quia nullum armorum vsum & consuetudinem habebat, hinc cum eis procedere nequiit, sed protinus exuit. Postea vero cum arma sibi familiaria quotidiana eorum tractatione fe-

1 Reg 17. 38.

eisset, valde bene & commode cum iisdem confligere potuit. Quod vero hic de virtute & bono dico, idem est & de vitio & malo intelligendum: nempe, si à parua quadam consuetudine transuersum te abripi sinas, futurum vt malum id increscat, Maioresque indies vsu vires acquirat, & postea difficillime aliquot ei remedium queat adhiberi imo toto vitæ tempore tibi sit adhæsurum. Si iam inde à principio opera tua assueuisses bene agere, quam te iam opulentum & diuitem inuenires, quanto iam in gaudio & voluptate viueres, viso virtutem & bonum tam tibi facile & dulce redditum esse. Vide quam ille iucundam lætamque vitam agat, qui iurandi consuetudinem penitus aut non habet, aut dedidicit; vide quanta is facilitate & leuitate tot peccata mortalia euitet. Igitur iam inde ab hoc temporis articulo bonam consuetudinem indue: quia potius est serius quam nunquam. Et serio satage ordinaria illa, quæ facis opera, bene agere, cum tanti tua id referat, imo & ad hoc, siquidem necesse fuerit, particulare examen applica: nulla namque re melius tuum instituere examen poteris, atque ita fiet, vt bene ea agere tibi & leue & iucundum futurum sit.

CAPVT VIII.

Quantum Religiosi intersit, in via virtutis non segnescere aut delassari.

EX supra dictis haud difficulter intelligi poterit, quanti referat Religiosum in cæpta deuotione semper vegetum se conseruare, inque piis Religionis exercitiis continuo ingenti cum feruore procedere, atque adeo omnem à se teporem ignauiamque quam longissime excutere: si enim eam semel induerit, postea admodum durum ac difficile erit eadem emergere. Potest quidem efficere Deus, vt ad primos feruores suos & perfectiones denuo reuertatur; sed hoc miraculi & prodigij instar futurum est. Præclare hoc ostendit sanctus BERNARDVS, ad Richardum Abbatem Fontanensem, eiusque Religiosos, in quibus scilicet hoc DEVS miraculum fecerat, scribens: Cum enim hi eatenus tepidum & ignauum vitæ genus sectati essent, eos ipse admonitione sua ad vitam insigniter feruidam & perfectam traduxit, & in viros alios commutauit. Itaque summa quadam cum admiratione, animique sui gaudio hanc eis mutationem congratulatus, sic ait, *Digitus Dei est iste. Quis dabit mihi vt transeam & cum Moyse videam visionem* Exod. 3.
hanc magnam. Nec enim minus mira, nimusue iucunda ista promotio & miraculum est, quam id quod in rubo illo ardente, incombusto tamen & inconsumpto Moysis conspexit. *Rarissima auis in terris est, qui de gradu, quem forte in Religione semel attigerit, vel parum ascendat. Multo facilius reperies, multos seculares conuerti ad bonum, quam vnumquempiam de Religiosis transire è vita tepida & remissa ad melius*, vitamque feruidam ac perfectiorem. Cuius rei ratio hæc est: quod secularibus non tam continua & frequentia ad vitam bonam sint remedia, quam Religiosis. Hinc dum bonam aliquam concionem illi audiunt, dum repentinam & infortunatam vicini aut amici sui mortem conspiciunt, nouitas hæc terrorem quendam & admirationem in iis excitat, eosque ad vitæ emendationem & mutationem impellit? At si Religiosus, qui isthæc remedia tam continua habet & assidua, tantam, inquam, Sacramentorum frequentiam, tot spirituales exhortationes, tot

tot de rebus diuinis meditationes, tot de morte, iudicio, inferno, & gloria cœlesti agendi cogitandique exercitia; omnibus his non obstantibus tepidus & languidus sit, quæ haberi spes potest, vitam eum in meliorem mutaturum? Iam enim aures eius huiuscemodi assidue audiendo occalluerunt; atque ita, per quod iuuari ipse deberet, & alii mouentur, ipsum nihil penitus mouet, nec vllam in eius animo impressionem facit.

Epist. ad plebem Hipponens. 137. Hic item sensus est notissimæ huius sententiæ Sanct. Augustini; *Ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in Monasteriis ceciderunt.* Asserit quoque Bernardus, quam paucissimos illorum, qui in Religione ceciderunt & lapsi sunt, ad eum denuo post gradum & statum reuerti, in quo antea fuerunt, sed eos semper in peius ruere, ac deteriores fieri. Quos etiam, inquit, deplorat Ieremias Propheta, dicens, *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* quonam antiqua illa pulchritudo & decus euanuit? Nam *qui nutriebantur in croceis* & purpureis lectulis, qui, inquam à Deo in oratione tam raris & suauibus delitiis perfundebantur, quorumque omnis conuersatio in cœlo erat & cum cœlestibus, *amplexati sunt stercora*, & iam luto sese & cœno fœdissimarum voluptatum oblectant.

Serm. 3. in festo Apostol. Petri & Pauli.

Thren. 4. & 5.

Adeo, vt communiter loquendo, nulla aut parua admodum de illis concipienda spes sit, qui in Religiosa vita iam deficere & obtorpescere incipiunt. Quæ sane res maximopere omnes nos perterrere deberet. Rei porro huius ratio est illa, quam iam ante obiter indicauimus: quod nimirum illis hi remediis ac medicinis ægrescant & morbum contrahant, quibus melius habere, & vires suas aut restaurare, aut conseruare deberent. Si ergo per quod alij meliorantur & curantur, hi deteriorentur, & malam valetudinem contrahant, quomodo eos iuuari & proficere posse sperandum est? Infirmum, in quo nullum medicamenta quæ sumit effectum habent, sed qui per eadem adhuc peius habet, pro desperato & deposito habere potes. Hinc etiam est quod peccatum & lapsum Religiosi vulgo tanti faciamus, tantumque ea metuamus; in sæcularibus vero vix ea curemus.

Quando medicus in ægriente, debili & morbido aut virium deliquium, aut magnam aliquam pulsus debilitatem videt, parum ea curat; quia hæc ordinariam eius dispositionem non imminuunt, aut destruunt; at quando talia in homine robusto & bene sano notantur, vt malum & sinistrum signum ea habentur: tale enim symptoma nihil est aliud, quam malignus quidam humor prædominans, qui sit vel mortis, vel grauis cuiusdam morbi prognosticon. Eodem plane modo hic se res habet si enim sæcularis quis in grauia peccata incidat, non sunt ea talia symptomata, quæ vitam hanc tam negligentem, vtpote qui semel tantum per annum peccata confitetur, & inter tot peccandi occasiones huc illum impellentes habitat, multum deterant ac probrosam reddant: at si Religiosus aliquis tam frequenti Sacramentorum sumptione, tam frequenti oratione, tot sanctis exercitiis communitus & sustentatus, impingit, certum id est & virtutis insigniter attritæ, & infirmitatis radicatæ argumentum. Vnde est cur merito timeamus.

Verum non ideo dico, ait Sanctus Bernardus vt animum despondeas, præsertim si statim resurgere velis (quo enim conuersionem diutius differas, eo tibi ea difficilior erit) sed idcirco hæc scribo, vt non pecces, non cadas, nondeficias. Si tamen aliquis cadat, aduocatum bonum habemus Iesvm, qui *Vbi supra.*

qui potest quod ipsi minime possumus. *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed etsi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Nemo proinde desperet aut diffidat; si enim ex toto corde ad Deum se conuertat, misericordiam haud dubie consequetur. Si enim Petrus Apostolus etiam postquam tamdiu in Christi schola egit, & tantis ab eo fauoribus est cumulatus, tam grauiter cecidit, & post tam grauem lapsum, Domini inquam & Magistri sui abnegationem, ad tam sublimem & eminentem euectus est statum, quis desperet? An vero in sæculo, ait Bernardus, magis peccasti quam Sanctus Paulus? hic in Religione magis quam Sanctus Petrus? Hi tamen, quia commissorum eos pœnituit, & pœnitentiam egerunt, non modo veniam illorum sunt consecuti; verum etiam ad eminentem quãdam sanctitatem & perfectionem euecti. Hoc tu imitare, & non modo ad priorem statum, sed etiam ad maximam pertingere & redire poteris perfectionem.

1. Ioan. 2.

CAPVT IX.

Quanti intersit Nouitios nouitiatus sui tempus bene impendere, inque eo assuescere exercitia Religionis bene perfecteque obire.

EX hactenus dictis colligere possumus, quanti Nouitios referat tyrocinii sui tempus bene vtiliterque impendere, & eo durante consuescere Religionis exercitia bene & prout oportet exequi. Quod documentum iis omnibus etiam seruire poterit, qui iter virtutis iam ingredi incipiunt. Prima Magistri Nouitiorum in societate nostra Regula satis id nobis, breuibus licet verbis, declarat, quæ non nobis duntaxat, sed omnibus in genere Religiosis dicuntur: Nouitiorum profectus *rem esse magni momenti sibi commissam intelligat.* Cuius rei duæ rationes æque maxime substantiales assignantur, vt sic suos magister talis oculos aperiat, & quanti ponderis sibi sit negotium concreditum intelligant. Prima est, quia *ex prima Nouitiorum institutione* & educatione *pendet maiori ex parte eorundem* in posterum *profectus* & prouectio. Altera, quia ab ea tota *spes Societatis nostræ in Domino*, atque adeo bona Religioni omnis constitutio & solus dependet.

Vt vero particularius hasce rationes declarem, dico primo à prima illa institutione & habitu, quem quis in nouitiatu suo contrahit totum eius in posterum profectum aut defectum, communiter loquendo (vt superiori capite declarauimus) dependere. Si enim quis tirocinii sui tempore tepide & negligenter profectus sui spiritualis negotium egerit, tepidus & negligens tota vita manebit; neque enim putandum maiori eum postea cum feruore & accuratione processurum; quia non verisimile ac credibile illam mutationem & meliorationem post secuturam, quin potius credendum eum nequaquam mutandum.

Vt vero melius hoc appareat, particularius hic ipsum Nouitium alloquemur, rationibus prolatis ipsum conuincendo. Adsit ergo: Iam tempore tyrocinii tui multum tibi suppetit temporis, ad vni tuo in spiritu profectui serio attendendum, multaque tibi hic sunt media, quæ ad hoc non paruo adiumento esse queant huic enim rei soli Superiores tui sedulo inuigilant, atque hoc præcipuum eorum officium & partes sunt. Iam multa aliorum habes exempla, alii rei, præterquam huic soli, non intendentium.

Nam non mediocriter ad profectum animat & incitat, habitare & conuersari assiduo inter tales, qui de nul-

nulla re alia laborant; adeo vt quamuis quis sit vecordissimus & pigerrimus, si modo ante oculos suos alios in spiritu videat proficere, necessario suo debeat veterno egredi. Iam cor habes ab omni occupatione liberum, & nullius rei tractatione implicitum, quin (vt apparet) virtutis appetens.

Nullam item occasionem habes, quæ te in hac re impediat, quin imo multas, quæ ad hoc auxilio sint. Si ergo iam, quando ad hoc solum hic versaris, & alia res non sit cui intendas; non proficis, nec vllam tibi virtutem colligis, quid tum futurum, quando cor tuum oppignoratum negotiis, & in mille partes dissectum & distractum erit? Si modo in tanta à negotiis vacatione, in tantis commoditatibus, & alio quodammodo sumptus præstante, orationem & examina tua non bene peragis, additiones tuas negligis, & reliqua tua spiritualia exercitia segniter obis, quid erit quando sexcentis studiorum, & postea negotiorum, confessionum excipiendarum, & concionum habendarum curis distraheris? Si modo per tot exhortationes, colloquiaque spiritualia, per tot exempla, stimulos, & impulsus, non proficis, quid erit quando variæ ad non proficiendum occasiones & impedimenta ingruent, quæ te disturbent: Si modo, in ipso conuersionis tuæ initio, quando nimirum ipsa rerum nouitas maiorem in te deuotionem & feruorem debebat excitare, teporem præfers & torporem, quid erit postea, quando iam aures ad omnia quæ te mouere & adiuuare possent, occalluisse senties? Adhæc, si modo, quando passio nonnisi primum pullulare incipit, & praua inclinatio nondum potens & violenta est, quod adhuc suo in principio & ortu sit, eidem, ob paruam quam in eo sentis difficultatem, resistere negligas, nec audeas; quomodo postea ei resistes, aut expugnabis, quando iam radicata profundius erit, & magnas longo vsu & consuetudine vires acquisierit, quam exuere tibi morte grauius videbitur?

Egregio id declarauit exemplo Beatus Dorothæus. Quidam de priscis illis eremi Patribus in agro quodam Cypressis omnigenis, quarum aliæ maiores, aliæ paruæ, aliæ mediocris longitudinis erant, consito cum discipulis suis ambulabat: quorum vni mandauit vt harum Cypressorum vnam euelleret, & ecce mox is vnam facile, sed de minoribus, euulsit. Tum Abbas, Illam etiam (paulo maior, hæc erat) euelle: quam quidem alter euulsit, sed maiori contentione & labore, atque adeo ambabus manibus. Ad aliam vero quandam euellendam, socio opus habuit. Alias etiam, ne omnes quidem simul iuncti, euellere potuerunt. Tum senex, Ita plane se habet res, fratres, in animi passionibus extirpandis, principio namque, quando nondum firmas radices egerunt, facili eæ negotio edomantur & euelluntur, & vel minimus, quem adhibueris, conatus ad hoc sufficit; at postquam ipsa consuetudine longe lateque radices iam emisere & fibras, difficile tibi eas erit extirpare, magnis ad hoc opus erit conatibus, & ne sic quidem scio an eo poteris pertingere.

Hinc facile patebit, quam graui in errore & tentatione diaboli versetur is, qui suum profectum procrastinat, & postea se suas sperat passiones mortificaturum, & facile superaturum id, quod iam ob paruam ingruentem difficultatem aggredi ex inertia non audet. Si, quando minor est difficultas, eandem superare non audes, quomodo cum maior futura est, audebis. Si iam, quando passio tua adhuc lenunculus imbecillis est, metuas, & ignauescas, quid erit quando iam creuerit, & vasta cruentaque facta fuerit bellua? Quapropter id tibi persuadeas velim te, si iam initio intepueris & langueris, etiam postea tepidum & torpidum fore. Si modo bonus non fueris Nouitius, nec bonus disci-

discipulus non eris bonus veteranus, nec bonus magister. Si iam in obedientia & regularum obseruantia negligens fueris, postea multo etiam eris negligentior. Si iam in spiritualibus exercitiis torpidus & segnis fueris, eaque imperfecte ac velut frustillatim & & fragminatim obieris, tota etiam vita imperfectus & veteramentarius manebis. Videndum ergo vt bonam iam induas formam & plicam: illa namque tibi perpetua erit. In fermento apte beneque inserendo omnis sita pinsendi ars.

In specul. disciplin. Vnde Sanctus Bonauentura, *Formam, quam primo quis recipit, vix deponit, & qui disciplinam in noua conuersationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur.* Valde ægre quis se in senio applicat rei, cui in adolescentia non assueuit. *Prouerbium est,* & quidem prouerbium Spiritus sancti, ait Salomon, *Prou.22.6.* *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Vnde bene *De inan. vitæ fuga grad.1.* Ioannes Climachus, Periculosum cumprimis, & merito timendum quid esse docuit, si quis tepide & languide viam spiritus auspicetur: id enim certissimum futuræ ruinæ esse argumentum. Hac de causa permagni refert, aliquem à principio se virtuti & exercitiis spiritualibus bene perfecteque exequendis assuefacere. Quod vt omnes faciamus, hortatur nos Spiritus sanctus per Ieremiam, *Thren.3.27.* *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua:* qualis enim tunc fuerit, talis etiam postea manebit, virtusque ei& bona opera sic facilia fient, sin minus, magnam in iis difficultatem sentiet. *Eccl.25.5.* *Quæ enim in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?*

Ex prima hac ratione sequitur secunda: Si enim vniuersus Religiosi in posterum profectus à prima eius institutione & formatione pendet, sequitur & vniuersum Religionis bonum ab ea dependere.

Religionem quippe non constituunt nudi domorum aut temporum parietes, sed tota Religiosorum congregatio: & qui in nouitiatu versantur, sunt illi qui postea totam Religionem repræsentabunt. Hinc societati nostræ satis non fuit Collegiorum seminaria, in quibus nostri in litteris simul ac virtute proficiant instituere; verum etiam solius virtutis seminaria & scholas erexit, in quibus vni abnegationi & mortificationi proprie, & solum solidarum & verarum virtutum exercitio toti incumberent, vtpote potiori & maioris momenti fundamẽto, quam ipsæ sunt litteræ. Huic rei seruiunt domus probationis, quæ, vt ait P.N. Franciscus de Borgia, nouitiis sunt *Epist. ad Soc.* ceu Bethleem, quod interpretatur domus panis. In his namque panes bis cocti, & reliquus ille commeatus emitur, qui in nauigatione, & grauibus periculis, quæ nos maneat, vsui futurus sit. Hic nostra Messis & Augustus est, hic tempus abundantiæ, hic anni fertilitatis, quibus tibi in annos famis & sterilitatis de victu prospicere & prouidere debes, vti fecit Ioseph. Si hoc Ægyptii intellexissent, aduertissent, & cognouissent, non tam cito perfecto sua frumentum domo per venditionem eiecissent, quod deinde Ioseph congregabat, & in horrea regia recondebat. O si aduerteres quanti intersit, bene te prouisum, instructum & communitum domo probationis egredi; crediderim equidem non optaturum te cito ex eadem demitti; sed non mediocriter, dum ex ea dimitteris, doliturum, dum nempe consideras quam parum virtute & mortificatione instructus inde emigres. Hinc P. N. Franciscus, eos qui quam primum nouitiatu egredi aut cupiunt, aut gestiunt, satis ait indicare parum se sapere & non intelligere quam necesse sit bene se instructos inde emigrare, & ostendere parum se de reliquo itinere solicitos esse, cum tam parum curent, quod improuisi & commeatu destituti inde egrediantur. Quam vero

nos Beatus Pater noster putabat diuites & instructos è Nouitiatu egressuros! ita enim id ipse in constitutionibus nostris supponit. Cum enim duos nouitiis probationis & experimentorum annos assignasset, vt in illis suo hi profectui ita studeant, nullos vt alios libros tractare, & nulli studio, præterquam vni illi, quod ad maiorem sui abnegationem, & ad magis in virtute & perfectione crescendum dirigit, vacare fas sit; supponit eos inde tam spirituales & feruidas, tam mortificationis & recoliationis amantes, tam erga orationem & res spirituales animantes egredi, vt frænis eos quibusdam compescendos putet. Vnde ipsos, dum iam ad Collegia emittuntur, serio monet vt primos illos feruores tempore studiorum nonnihil temperent ac moderentur, ne scilicet tam assidui in oratione sint, neu tantopere se mortificent. Præsupponit itaque Pater noster, Nouitios tanta cum luce & cognitione Dei, cum tanto mundi contemptu, tam pios & deuotos, tamque interius erga spiritualia affectos Probationis domo exire, vt hoc monito & cautela eos coercendos & refrenandos putaret. Tu itaque talis inde exire satage, ac tempus illud tam pretiosum bene impende, quia fortasse tota reliqua vita tua tale tibi ad in spiritu proficiendum, & diuitias spirituales comparandas & coaceruandas non obtinget.

4. p. Constit. c. 4. §. 2.

Ne inutiliter illud tibi effluere sine, neue vnum eius punctum amitte. *Non defrauderis à die bono,* & particula boni doni non te prætereat.

Eccl. 14. 14.

Cum multis nominibus ad Deo assidue gratias agendas obligati sint, quos ipse in tenera ætate ad Religionem vocat, tum vero eo quam maxime, quod hæc sit ad virtuti & disciplinæ Religiosæ se tradendum accommodatissima & facile flexilis. Nam vt arbusculam in principio, quando adhuc tenella est, facile flectere, quocunque ducere & curuare potes, vt ex ea tandem insignis & procera arbor fiat: at, si eam libere crescere sinas, & ipsa postea in curuam, inflexam, & distortam arborem creuerit, ante eam frangas quam incurues qua forma etiam semper postea mansura est: ita perfacile est quempiam in ætate tenera quamlibet ad virtutem flectere, bonoque applicare, qui si à teneris huic assuefecerit, ipsum postea facillimum sentiet, atque in eo semper deinde perdurabit & perseuerabit. Si lana rudis adhuc & intexta tingatur, color, quem imbibit, nunquam deperit. Vnde Hieronymus, Quis ad primæuam albedinem reducet pannum coccineum, qui in lana tinctus sit? Et alius ille:

Epist. ad Lætam. lib. 2. Epist. 15.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu,

Horat. lib. 1. Epist.

Hoc etiam nomine Regem Iosiam dilaudat Sancta Scriptura, quod à puero Deum sequi cœperit, *Cum adhuc puer esset, cœpit quærere Deum patris sui Dauid.*

2. Para. 34. 3.

Humbertus vir sanctimonia illustris, & Fratrum Prædicatorum Magister Generalis, refert Religiosum quendam defunctum, post aliquot à morte suo dies, alteri Religioso familiari ante suo, illustrem & lumine cælesti refulgentem apparuisse, eique è cella euocato, ingentem hominum albis vestibus indutorum, & splendentium multitudinem ostendisse; qui quasdam in humeris cruces insignes habentes, supplicantium ritu ad cælum properabant: post paulo ostendisse illi & aliam processionem multo priori luminosiorem & pulchriorem, in qua quotquot procedebant, crucem suam pretiosam maxime & sublustrem manu gestabant, non vero humeris vti priores. Deinde & tertiam processionem in viso illi oblatam, duabus prioribus infinitis partibus etiam insigniorem; quas autem qui in eo agmine erant, habebant cruces, pulchritu dine & decore aliorum priorũ crucibus antecelle-

cellebant: & has ipsimet non in humeris, aut suis manibus gestabant, sed ducem quisque habebat Angelum, à quo & conducebatur, & crux gestabatur, ipsi vero eum læti & hilares sequebantur. Visionem hanc miratus Religiosus, eam petiit à socio, qui hanc sibi spectandam obtulerat, sibi declarari. Is ergo quamprimum eam declarans, primos, quos viderat cruces in humeris gestantes, ait esse illos, qui in ætate prouecta Religionem erant ingressi? secundos vero qui eas manu gestabant, eos, qui in iuuentute eam iniere; postremos demum, qui tam læte agiliterque incedebant, eos, qui in ætate puerili vitam Religiosam auspicati mundo valedixerant.

TRACTATVS TERTIVS

DE RECTITVDINE ET PVRItate intentionis, quam nostris in operibus habere debemus.

CAPVT I.

Nostris in operibus vana gloria inprimis fugienda.

NIHIL in Constitutionibus & regulis nostris magis nobis commendatur, repetitur & inculcatur, quam vt rectam in omnibus nostris operibus intentionem habere satagamur. Hanc enim ob caussam singulis prope paginis aut regulis verba illa, *Ad maiorem Dei gloriam*, vel hæc, *Maius Dei obsequium semper intuendo* (quod idem est) repetuntur. Adeo scili et B.P.N. hocce maioris gloriæ & honoris diuini desiderium, cordi suo profunde infixum habebat, & tam omnia sua ad hunc finem opera agere assuetus erat; hinc tam sæpe hoc ore scriptisque repetiit, atque identidem iterauit,
Mat.12.34. Luc.6.46. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Hoc quippe semper eius veluti symbolum fuit, hoc omnium eius operum anima quodammodo ac vita, quemadmodum in vitæ illius historia refertur. Vnde etiam merito eius imagini subscripta & addita hæc inscriptio, *Ad maiorem Dei gloriam.* Hæc eius insignia sunt, hæc eius epigraphe, hoc eius symbolum, in hoc denique vniuersa illius vita & omnia gesta velut compendiose continentur, adeo vt maioribus affici laudibus & præconiis in tam paucis verbis non posset. Hæc porro etiam nostra insignia, inscriptio & symbolum esse debent, vt velut legitimi bonique filii Patri nostro per omnia assimilemur.

Non sine ratione autem tantopere id ipse nobis commendat: quia omnis noster profectus & perfectio in operibus quæ agere debemus sita est: quo enim hæc futura sunt meliora & perfectiora, eo & nos meliores & perfectiores futuri. Tanto vero plus opera nostra habitura sunt bonitatis ac perfectionis, quanto nostra intentio rectior & purior, eorumque finis sublimior erit & perfectior. Hæc quippe est quæ suum operibus dat esse,

Matt. 6. 12. iuxta illud Christi in Euangelio, *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Per oculum porro hoc loco sancti intentionem vulgo intelligunt; vtpote quæ ante intendendo intuetur & prævenit id quod agere vult: per corpus vero ipsum designari volunt opus, quod statim post directam intentionem sequitur, quemadmodum vniuersum corpus ductores sequitur oculos. Dicit itaque Christus Dominus, omnem ab intentione quam habemus operibus lucem & splendorem accedere, &, si finis & intentio operis fuerit bona, bonum etiam fore opus, sin mala, etiam opus fore malum; si denique finis altus & perfectus, tale & opus futurum. Illud etiam indicare voluit Apostolus Paulus, dum ait, *Si radix sancta, & rami,* id est, qualis futura radix, talis erit arbor, eiusque fructus. Ex arbore enim radicem habente malam quis alius sperari fructus potest, quam verminosus & insipidus? at si radix eius sana sit & bona, bona quoque erit arbor, & fructum dabit bonum. Sic & operum bonitas & perfectio in ipsa intentionis, quæ est velut radix, puritate consistit. Hæc itaque quo sinceriora erunt ac puriora, eo futura sunt meliora & perfectiora. S. Gregorius in illa verba Iob: *Super quo bases illius solidatæ sunt,* scribit, quemadmodum totius ædificii materialis fabrica quibusdam inniti solet columnis, hæ vero suis basibus & fulcris; sic omnem vitam spiritualem virtutibus inniti, virtutes vero ipsas in pura rectaque cordis intentione fundari.

Gregor. lib. 38. Moral. c. 3.

Iob. 38. 6. Lib. 18. Moral. c. 23.

Vt autem in hoc ordinatim & recte procedamus, primo de malo fine, quem in operibus nostris euitare debemus, ne ea videlicet ob vanam gloriam aut alios respectus humanos agamus, tractabimus; deinde de bono rectoque fine & intentione, qua ea agenda sunt, loquemur. Primo namque à malo declinare nos oportet, ac dein quod bonum est agere, iuxta illa Prophetæ verba, *Diuerte à malo, & fac bonum.* Omnes vero sancti nos commonent, vt à vana gloria quam maxime nobis caueamus; quia, inquiunt, ipsa subdolus & subtilis quidam est fur, quæ incautos nos inuadere, & bona opera nostra deprædari solet: quæque tam clanculo & simulate in animam irrepit, vt sæpe ante quam sentiatur & percipiatur, iam nos deprædata sit ac exspoliarit. S. Gregorius eam esse dicit ceu furem fictum & dissimulantem, qui quidem viatori se per viam associans, eadem cum ipso via pergere se mentitur, postea tamen dum ille magis securus est, ac minus cogitat rem simul & vitam eripit. Equidem fateor, inquit sanctus ille Pontifex vltimo Moralium suorum capite, mihi, dum meam in horum librorum scriptione, quam initio habui, intentionem examinare incipio, vni Deo placendi causa laborem hunc omnem à me susceptum videri; quoddam tamen in eius progressu hominibus placendi desiderium, necnon vanam quandam in hoc delectationem & complacentiam adeo inaduertentur & clanculo, vt nesciam quo modo & via subirrepsisse & subintrasse comperio, hoc tamen videam, postquam iam prouectus in eo sum longius, quod opus hoc à puluere & palea vanitatis iam tam purum non sit, quam cum primum illud sum aggressus: noui quippe me bona illud intentione, & Deo pure placendi desiderio initio scribere incepisse, iam vero aduerto non tam id purum & defæcatum esse atque dum auspicaret. Illud siquidem hic nobis vsu venit, quod comedentibus. Comedere quippe incipimus ex naturæ necessitate & fame; tam vero subtiliter gula & delectatio deinde subingreditur, vt, quod ex necessitate ad naturam sustentandam, vitæque conseruationem cæpimus, id postea ex delectatione, voluptate, ac gustu perficiamus & absoluamus. Ita in hoc Religioso

Psal. 33. 15.

Cap. vlt. Moral. & lib. 9. c. 13.

gioso statu sæpe ipsum prædicandi officium, aut aliud quid simile cum intentione quidem animarum iuuandarum auspicamur; postea tamen ipsa subingreditur vanitas, & hominibus per id placere & gratificari, aut ab ipsis æstimari, magni fieri, ac celebrari quærimus: quæ illicia & præmiola vbi defuerint, tandem in eo aut segnescere, aut saltem non libenter, sed inuite illud agere videmur.

CAPVT II.

In quo malitia vitii huius vanæ gloriæ consistat.

Vitii huius malitia in eo proprie consistit, quod homo vane gloriosus se per gloriam & honorē euehere gestit, qui soli Deo proprius est. *Soli Deo honor & gloria*: quemque alteri ipse dare non vult, sed sibi soli reseruare, *Gloriam meam alteri non dabo.* Vnde sic Deum alloquitur Augustinus: *Quicunque laudari cupit per id quod tuum donum est, & in eo quod agit bonum, non tuam, sed suam gloriam quærit, hic fur est & latro, & dæmoni similis, qui tuam furari gloriam voluit.* In omnibus Dei operibus duo notanda sunt; primo fructus & vtilitas, deinde honor & gloria ex his operibus resultans, vt scilicet ipse operis auctor & artifex propter ipsum laudetur, & æstimetur & honoretur. In hac igitur vita Deus statuit ac vult, vt omnis operum suorum fructus cedat homini, at omnis gloria vni sibi. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, Et creauit Dominus omnes gentes in laudem, & nomen & gloriam suam*: hinc etiam omnia creata eius nobis sapientiam, bonitatem & prouidentiam assidue deprædicant & enarrant. Atque ideo etiam cœli & terra dicuntur plena esse gloria eius. Vnde dum quis in operibus bonis gloriam & honorem hominum quærit, eum, quem Deus in operibus bonis ordinem posuit, peruertit, Deoque iniuriam irrogat; dum scilcet cupit & satagit, vt homines, qui in Deo honorando & laudando semper occupari se deberent, in se vno laudando & æstimando occupentur; dum etiam vult & procurat, vt hominum corda, quæ Deus creauit vt essent vasa, quæ Dei eiusdem gloriam & honorem præ plenitudine eructarent, suo vnius honore & æstimatione repleantur. Hoc item est corda humana Deo furari, ac propria quodammodo domo & habitaculo ea expellere. Ecquæ igitur maior dari iniquitas potest, quam & honorem Dei, & hominum corda furari? & ore quidem dicere, vt Deum vnum respiciant, animo vero & corde velle, vt suos à Deo oculos auertendo, eos in nos conijciant? Verus humilis in nullius rei creatæ corde viuere cupit, sed in solo Deo, nec vt sui quisquam meminerit, at Dei solius; nec vt ipse hominum sermo sit, sed vnus Deus in omnium ore deferatur, suo denique omnes hunc solum corde excipiant & perpetuo retineant.

Vitii huius grauitatem & malitiam hæc etiam similitudo & comparatio liquido demonstrabit, si qua mulier coniugata sese comeret & ornaret, quo alii cuidam, præterquam marito suo, complaceret; nemo non videt, quantum hoc modo coniugi suo iniuriam irrogaret: Sic qui opera bona, quæ quædam velut sunt ornamenta, quibus animam nostram adornamus & insignimus, facit vt alii præterquam Deo, qui eiusdem sponsus & maritus est, placeat, insignem illi iniuriam faciet. Adhæc cogita, quam turpe foret & probrosum, si quis nobilis se ideo magni faceret, quod exiguum quendam leuemque in Regis illius gratiam laborem subijsset, qui ante nobilis huius causa magnam cum infamiam, tum laborem variis in casibus subijsset: quam vero etiam infame futurum, si nobilis

Marginalia: Cap. vlt. Moral. & lib. 9. c. 13. — 1. Tim 1. 17. — Isa. 42. 8. cap. 48. 11. — Cap. 13. soliloq. — Duo sunt in operibus Dei, Fructus & Gloria illum nobis concessit, hunc sibi reseruat. — Prov. 16. 4. — Deut. 2. 6. — Psal. 18. 2. — Isa. 6. 3.

bilis hic insuper apud alios sese ob hasce inanias & puerile hocce facinus Regis causa assumptum iactaret & gloriaretur? Quam hoc omnibus iniquum & indignum videretur! præsertim si & Rex sine vlla eius ope omnia hæc egisset, & vniuersum hunc laborem impendisset; tantillum vero id quod nobilis fecisset, nonnisi magno Regis cum auxilio & fauore, & auspicio, magnisque ante illectus beneficiis, & post eisdem acceptis præstitisset. Singula autem hæc sibi quisque nostrum applicare poterit, vt confundamur tum quod ob ea quæ agimus, nos magni faciamus, & euanescamus, tum vero magis, quod ob aliquod opus nos ipsi iactemus, & apud alios gloriemur; cum si quæ nostri causa Deus præstitit, & ea quæ eius ergo nos præstare tenemur, inuicem comparemus, pudor sit quod tam pauca agamus.

Vitii huius malitia inde etiam patet, quod Theologi & sancti illud inter septem illa vitia computent, quæ communiter mortalia nominantur, etsi magis proprio nomine capitalia dicantur; quod reliquorum peccatorum ceu capita sint & principia. Alii quidem octo *Climach. de vana gloria.* numerant vitia capitalia, & primum esse dicunt superbiam, secundum vanam gloriam: Verum communis sanctorum sententia, & quæ ab Ecclesia recepta est, nonnisi septem capitalia vitia recenset, hinc primum inter illa esse vanam gloriam, ait S. Thomas, superbiam vero om- *22. q. 132. art. 4.* nium septem esse fontem & radicem, iuxta illud Sapientis, *Initium omnis pec- *Eccl. 10. 15.* cati est superbia.*

Capvt III.

De damno, quod vana gloria secum trahit.

QVantum, & quod damnum vanæ gloriæ vitium secum trahat, manifeste nobis in Euangelio declarat Redemptor his verbis: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedē non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* *Matth. 6. 1.* Nolite imitari hypocritas illos Pharisæos, qui omnia sua eo agebant intuitu, vt ab hominibus viderentur, extollerentur, & æstimarentur: quia omnem operis vestri fructum amittetis, *Amen dico vobis, receperunt hi mercedem suam.* Voluisti ab hominibus magni fieri, & æstimari, hocq; te desiderium ad faciendum id quod fecisti, impulit; quare & illa tua futura est merces, tuum præmium, næ est quod amplius quid in altera vita speres. Ah miserum te, qui tuam mercedem iam recepisti, nec aliud habes quod speres. Vnde S. Iob: *Spes hypocritæ peribit*; eius *Iob. 8. 13.* inquam qui illo intuitu sua est operatus, vt ab aliis magni fieret & dilaudaretur. Egregie id declarat S. Gregorius; quia *Lib. 8. Moral. c. 28.* omnis æstimatio, & humanæ laudes & applausus, quorum intuitu se ad operandum applicuit, iam vna cum vitæ halitu, quem efflauit, euanuerunt. *Non ei placebit vecordia sua.* Quam te, ait Gregorius, deceptum & illusum inuenies tum, cum apertis tibi oculis & iam defæcatis, clare perspicies te eo, quo regnum cœlorum comparare potueras, nonnisi vanam quandam hominum laudem & inanem plausum, dicentium, Quam bene id dixit, quam egregium id eius facinus! comparasset! *Qui pro virtute quam agit, humanos fauores desiderat, rem magni meriti vili pretio venalem portat; vnde cœli regnum mereri potuit, inde minimum transitorii sermonis quærit.* Quæ maior illusio & fatuitas dari cogitarique potest, quam multum laborasse, permulta bona opera fecisse, & post se ab omni mercede vacuum reperire! Hoc est quod significare voluit Propheta Aggæus: *Ponite,* *Agg. 1. 5.* inquit, *corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eos in sacculum pertusum.* Quod postremum

strenuum ex alia versione sic legitur, *Misit eas in dolium perforatum*: in quod si quis vinum aut alium liquorem infundat, perinde facit ac si eum foras effunderet: Sic in vanæ gloriolæ captione idem quid est lucrari & perdere, struere & destruere: lucrum quippe & iactura hic in eodem sunt gradu. *Quare* ergo *appenditis argentum in panibus, & laborem vestrum non in saturitate*? Cum autem opera isthæc faciatis, cum sudetis, cum laboretis; tali illa modo facite, vt fructum ex iis aliquem capiatis, non vero vt illum penitus amittatis.

In Constitut. Monast. c. 11. *Tria damna vanæ gloriæ.* Tria proinde S. Basilius hinc colligit damna, quæ hæc vana gloria nobis adfert. *1. Corpus frustra atterit.* Primum est, quod nostrum nos illa corpus laboribus & operibus bonis faciat atterere, affligere, & delassare. *2. Præmio spoliat.* Secundum, quod tum illa nobis eripiat cum iam facta sunt, ac frustretur dum omni nos præmio & mercede dispoliat. Vitium quidem hoc, inquit Basilius, non facit vt minime laboremus (neque enim tam graue & damnosum foret, tunc præmio omni frustrari, cum nullum ante laborem insumpsissemus) sed exspectat donec ipsi nos defatigauerimus, & bona opera faciendo sudauerimus, ac tum demum illa nobis surripit, præmium & palmam iis debitam nobis infringendo. Quare bene ipsum piratæ assimulat in insidiis clanculo latenti, & exspectanti donec nauis, pretiosis iam mercibus onusta, portu sese efferat, ac tum demum ipsam inuadenti. Neque enim tunc piratæ nauem aggrediuntur, cum iam vacua portu egreditur, vt aliunde merces conuehat, sed exspectant tamdiu donec onerata & plena redeat. Sic fur hic noster, vana gloria inquam, obseruat & exspectat donec bonis operibus oneremur, ac tum nos adoriens, hæc ipsa nobis eripit. Nec vero satis illi est mercedem & præmium omne nobis extorsisse, verum etiam (tertium id damnum est) in causa est, *3. Supplicium meretur.* vt præmii & coronæ loco, supplicium ac tormenta promereamur. Bonum quippe in malum, virtus in vitium, propter vanum & malum illum finem, quem in ea spectas, transit: atque ita fit, vt è bono semine malum colligas fructum, & inde pœnam merearis & supplicium, per quæ cæleste gaudium ac præmium poteras promereri. Hæc porro omnia vana gloria tam blande, suauiter & tecte facit, vt non solum ob insignem hanc iacturam, quam subit, homo non contristetur & angatur, verum etiam ex ea voluptatem sentiat, atque adeo hæc etiam illi grata sit. Adeo quidem, vt quantumuis id ei apertissimis rationib. identidem demonstres, & reuera etiam ipse videat totum se succum suum perdere, ita tamen laudis & plausus humani œstro agatur, vt vnum eum concupiscere, & ab illo demendatus & fascinatus esse videatur.

Idcirco S. Basilius vanam gloriam *Ibid.* nuncupat, *dulcem spiritualium exspoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem*, inimicum suauem & saccareum, & amicam depauperationem. Inde est, inquit, quod hocce vitium tam multos suauitate & blanditiis, quas includit, inescet & illaqueet. Nam, vt ait, *dulce quid imperitis humana gloria est*, atque ideo est quod præ aliis hi decipiantur. S. Bernardus vero sic ait, *Time sagittam*: *Serm. 6. sup. Psal. Qui habitat.* *leuiter volat, leuiter penetrat; sed dico tibi, non leue infligit vulnus, cito interficit.* Nimirum *sagitta hac vana gloria est.* Ipsa puluisculus est & subtilis & exiguus, sed sublimatus.

S. Bachomius cum quodam in loco monasterii, cum aliis grauibus monachis consideret, ecce de monachis quidam duas paruas attulit storeas, quas ea die contexuerat, easque prope cellulam suam ex opposito S. Pachomii collocauit, vt eas ipse commode videre posset, sperans & existimans se ab eo ob diligentiam dilaudandum, quod cum regulæ præscripto quisque stoream quotidie vnam contexere iuberetur, duas ipse ea die texuisset. Intelligens porro vir sanctus

Grauis vanæ gloriæ Pœnitentia. sanctus id eum è vanitate fecisse, patribus qui apud se erant, suspirans & magno quodam doloris sensu ait: Videte quæso fratrem hunc, qui iam inde ab aurora ad noctem vsque cum laborarit & sudarit, vniuersum laborem suum diabolo consecrauit, plurisque hominum fecit existimationem quam Dei gloriam. Hunc ergo ad se cum vocasset, egregie eum corripuit, eique in pœnitentiam iniunxit, vt, cum ad orandum fratres conuenissent, ipse eodem ingrederetur, duas storeas humeris gestans, altaque inclamaret voce, Patres & fratres mei carissimi, orate quæso Deum pro misero hoc peccatore, vt mei misereatur, quod pluris duas hasce storeas quam regnum cœlorum fecerim. Præcepit adhæc, vt cum fratres ad refectionem sumendam collecti essent, ipse duas suas storeas similiter in humeris habens, toto mensæ tempore in refectorii medio consisteret. Neque vero hæc pœnitentia illi visa est sufficere. Postea namque eum cuidam cellulæ includi, & ab nullo mortalium eum visitari mandauit; sed vt in ea solus ad quinque menses ageret, nec aliud illi ad comedendum daretur quam aridus panis & aqua addito sale, ibidemque duas quotidie storeas solus contexeret, ita vt eas nemo videret, & quidem stomacho ieiuno. Quo è facto simul quoque ad vtilitatem nostram colligere ac discere possumus, quam grauibus veteres illi Patres pœnis in leues culpas animaduerterent; simul etiam quanta animaduersiones has subditi humilitate & patientia susciperent, quantamque ex iis vtilitatem caperent.

Capvt IV.

Vanæ gloriæ tentatio non solum inuadit eos qui primum incipiunt, verum etiam eos qui in virtute proficiunt.

Beatus Cyprianus de illa tentatione, qua cacodæmon Redemptorem nostrum Iesum secundo loco impetiuit, dum illi ad pinnaculum templi sublato dixit, *Si filius Dei es, mitte te deorsum,* agens, exclamat & ait, *O execrabilis diaboli malitia! putabat malignus, quem gula non vicerat, vana gloria superari*: vnde cum inducere conatur, vt per aera volare incipiat, quo ita toti populo in spectaculum esset & admirationi. Putabat scilicet dæmon tam sibi cum Christo Domino feliciter rem successuram, quam cum aliis ante successerat; & experientia nouerat, & iam sæpe probarat, ait Cyprianus se, quos aliis tentationibus superare non potuerat, postea per vanæ gloriæ & superbiæ tentationem expugnasse, atque ideo, postquam eum gula frustra tentarat, iam per vanam gloriam, velut acrius quoddam telum, remque expugnatu difficiliorem adoritur. Neque enim facile est (addit idem) laudibus & applausu hominum non delectari. Nam vt paucissimi sunt, quibus gratum sit male ab aliis audire & probris affici, ita etiam quam rarissimos est inuenire, quibus gratum non sit bene audire & laudari. Vnde manifeste videre est, hanc vanæ gloriæ tentationem non solorum incipientium & Nouitiorum esse; sed & aliorum satis veteranorum, & eorum qui perfectionis studio tenentur; quin imo illam horum magis propriam esse.

Cyprian.

Matth. 4. 6.

S. Nilus Abbas, qui Ioannis Chrysostomi fuit discipulus, refert veteres illos & rerum peritiam habentes Patres, aliter Nouitios ac tyrones, aliter veteranos instituere & formare consueuisse. Nouitios quippe docebant, vt temperantiæ & abstinentiæ assidue & in omnibus incumberent: qui enim à gula se vinci & transuersum abripi semel sineret, hunc à luxuria carnali haud difficulter supplantandum asserebant, nam qui resistere hosti imbecilliori nequit, quomodo resistet potentiori? Seniores vero commonebant, vt contra vanam gloriam & superbiam assidue maximeque decerta-

De interemption. Patrum qui erant in Sina, adfert Sur. 14. Ianuar.

certarent, ab eaque omnibus in rebus se ingerente sibi tota contentione cauerent. Quemadmodum qui per mare nauigant, eos quam cautissime euitare satagunt scopulos & breuia arenosa, quæ haud procul a portu sunt quem petunt; sæpe namque fieri videmus, vt qui feliciter in mari nauigarunt, in portu periclitentur: ita plurimi, cum totum prope vitæ cursum felicem habuerint, omnes quæ ingruebant tentationes expugnando & superando; postea in fine, quando haud procul à portu distant, superioribus confisi victoriis, & summa velut in securitate agentes, quod superbierint & negligentius se gesserint, triste fecere naufragium. Vt nauis, quæ tanto per mare circuitu rimas hactenus non egit, nec succubuit, sæpe in ipso portu deficit, & naufragium facit. Sic se res in hac vana gloria habet, ideoque eam sancti non inscite vocant *tempestatem in portu*: alii vero eam homini bene quidem compactam, instructam, & mercibus omnigenis onustam nauem habenti, sed hanc deinde terebro perforanti, per quam aperturam paulatim penetrans aqua eam fundum petere cogit, assimilant.

Vana gloria est Tempestas in portu. & Nauis perforata.

Hæc itaque causa erat, cur prisci illi Patres incipientibus & Nouitiis non præciperent vt à vana gloria sibi cauerent, quod hæc ipsis cautio minime necessaria videretur: quia qui iam nuper è mundo veniunt, & sanguine decurrente, peccati vulnera adhuc hiantia, & nondum penitus obducta habent; nimis quam multam sui humiliandorum & confundendorum materiam semper secum ferunt. Vnde his potius consulendum est, vt in abstinentia, pœnitentia, & sui confusione quam maxime se exerceant. Veteranis itaque, qui suæ delicta iuuentutis multis iam lacrymis & diuturnis suspiriis expiarunt, magna vitæ seueritate se Deo reconciliarunt, & serio hactenus virtutum exercitio incubuerunt, monita hæc necessaria iudico. Incipientes vero qui solidis virtutibus carent, at potius passionibus, malisque inclinationibus adhuc pleni sunt, quique nondum satis peccata sua, & quod Dei hactenus immemores vixerint, planxerunt, nullam penitus vana gloria sese efferendi, at potius magnam dolendi & erubescendi occasionem habent. Ita scilicet fieri deberet. Hinc itaque confundantur & se humilient oportet illi, qui cum plurima, ob quæ demisse de se sentiant, habeant, ob rem vnam quæ eminet, & quam egisse se putant, euanescunt & superbiunt. Quam itaque fœde decipimur! Si vel vna res mala in nobis inueniretur, sufficere deberet vt propter eam maxime confunderemur & humiliaremur: vt enim quid bonum dicatur, nihil desit oportet; vt malum vero, si vel vnum desit, satis est. In nobis vero contra se res habet; quia cum tot habeamus mala & errata, hæc ipsa ad humiliationem nostri non sufficiunt; at si vel vnum, quod bonum nobis esse videtur, habeamus, id nimis quam satis est ad superbiendum, & vt ab aliis æstimari & magnificari velimus. Vnde vanæ gloriæ malitia & versutia elucescet, cum ipsa nemini omnino, cuiuscunq; demum conditionis sit, parcat, & etiam sine vllo fundamento & causa hominem adoriatur. Vnde S. Bernhardus. *Ipsa est*, inquit, *in peccato prima, ad nos supplantandum, in conflictu postrema*, id est, post omnia demum expugnanda. Quapropter, fratres mei, inquit S. Augustinus aduersus hocce vitium vnanimiter omnes armemur, & ad ipsum superandum accingamur, vti Dauidem fecisse collegimus, cum dicimus, *Auerte oculos tuos ne videant vanitatem.*

De ordin. vitæ & morum instit. In psal. 118.

Psal. 118. 37.

CAPVT V.

Ante alios, ab hoc vanæ gloriæ vitio sibi maxime cauere debent illi, quibus ex officiò proximis opitulari incumbit.

TAmetsi omnibus in genere hominibus ex officio incumbat, hanc vanæ gloriæ tentationem à se penitus excutere, vti pluribus iam ante ostendimus; qui tamen vel ex officio, vel ex instituto singillatim animarum salutem procurare & promouere debemus, particulari quodam ab hac in parte circumspectam prouideque nos gerendos debito obstricti sumus. Nostra siquidem munia ac ministeria sublimissima, euidentissima, totique orbi quam maxime manifesta sunt; hinc quanto maiora ea & magis spiritualia sunt, eo ex vna parte maius periculum subest, & ex altera grauius nostrum peccatum foret, si nos ipsos in iis quæreremus, & hominum laudem & plausum captaremus. Ea siquidem re nos efferremus & gloriaremur, quam Deus ipse quam maximi facit & æstimat, ipsis inquam gratiis & donis spiritualibus.

Serm. 45. in Cantic.

Vnde S. Bernardus: *Væ qui bene de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem; si conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum; si alta sapientes, humilibus non consentiant.* Væ inquam illis, quibus datum est bene de rebus diuinis & spiritualibus tum sentire, tum loqui, sacras Scripturas intelligere, & cum plausu ad populum concionari, si id quod illis est ad animas Deo lucrandas, Deique gloriam & honorem extendendum ac dilatandum concessum, totum in seipsis quærendis, hominumque commendatione captanda impendant. Paueant

Osee, 2. 8.

quod in Propheta Osea legitur, *Dedi eis argentum, multiplicaui eis aurum quæ fecerunt Baal,* ex eo sibi honoris & gloriæ idolum conflarunt.

Lib. 22. Moral cap. 17.
2. Cor. 2. 17.

Huc S. Gregorius trahit illa Apostoli verba ad Corinthios scribentis, *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur:* cuius ipse loci duas expositiones ponit. Duobus, inquit, modis Dei quis verbum adulterare potest. Primus est, quando scripturam diuinam aliter intelligit & exponit, quam reipsa sonat, falsos & adulterinos eius sensus, proprii spiritus iudicio præcudendo; cum legitimus scripturæ maritus & auctor ipse sit Spiritus sanctus, & ille verus ac legitimus eius sensus, quem ipse Ecclesiæ per sanctos ac Doctores eius declarauit.

Adulteratio verbi Dei duplex.

Alter verbi Dei corrumpendi & adulterandi modus is est, qui ad propositum nostrum hic facit. Hæc inter verum legitimumque coniugem & adulterum differentia est, quod ille filios generare & habere intendat, hic vero suas duntaxat è concubitu furtiuo voluptates & delectationes spectet. Pari modo, qui per verbum Dei & officium quo fungitur, non tam quærit spirituales Deo filios gignere (is namque finis est, ob quem id institutum est, iuxta illud Apostoli, *Per Euangelium ego vos genui*) *1. Cor. 4. 15.* quam suam delectationem, propriam consolationem, & ob illud magnificari & extolli; is verbum Dei adulterare censendus est.

Vana gloria Spiritualis fornicatio.

Atque inde est quod sancti Patres vanam gloriam etiam spiritualis luxuriæ nomine appellent; ob magnam videlicet voluptatem quæ ex ea percipitur, quæ tanto ea quæ è corporea commistione capitur maior est, quanto anima corpori antecellit. Ne itaque verbum Dei adulteremur, nihil aliud in omnibus ministeriis nostris spectemus, quam purum diuinæ eius Maiestatis honorem & gloriam, secundum illam Christi Domini de seipso sententiam, *Ego non quæro gloriam meam, sed eius qui misit me Patris.* *Ioh. 8. 50.*

2. Reg. 12. 29.

Relatu dignum & à nobis imitandum facinus de Ioab exercitus Dauidici Præfecto narrat sacra Scriptura. Hic cum Rabat Ammonitarum metropolim, in qua proinde Rex ipse & proceres commorabantur, copiis suis vndequaque premeret, & eas ad angustias redegisset, vt ea iam iam potiturus videretur & occupaturus; nuncios ad Regem suum Dauid misit, quibus cum quo loco res essent certiorem fecit,

& vt

& vt ipse in castra quamprimum veniet, vrbemque inuaderet & expugnaret, commonuit. Cuius facti hanc ipse dat rationem, *ne, cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victoria.* Atque vt Ioab scripsit, sic & factum est. Hanc nos par est erga Deum in omnibus operibus nostris fidelitatem imitari, nec vnquam velle, vt fructus & animarum conuersio, bonusque negotiorum successus nobis, sed vni Deo omnia asscribantur. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Soli Deo, quia in cælis habitat, gloria omnis est attribuenda: ita namque cecinerunt Angeli dicentes, *Gloria in altissimis Deo.*

Psal.113.9.

Luc.2.14.

Sanctus Thomas Aquinas, vti in vitæ eius historia legimus, toto vitæ tempore nunquam sic à vana gloria fuit titillatus, vt ad culpam aliquam pertingeret: neue vmquam sibi vane ob excellentē scientiam, ingenium angelicum, aliaque dona & gratias à Deo datas complacuit, vel extulit. Beatus quoque Pater noster Ignatius, etiam multis antequā moreretur annis, ab omni prorsus tentatione ad vanam gloriam aucupandam liber fuisse legitur. Anima quippe eius adeo erat à luce cælesti, qua perfusus erat, illustrata, tāque sui ipsius cognitio & contemptus in eo vigebant, nullum vt vitium minus, quam hocce vanæ gloriæ vereretur. Hoc est quod ipsi debemus imitari, & erubescere & confundi, quod in rebus etiam vilibus & paruis ab inani vanæ gloriæ flabro nos abripi sinamus. Quid erit igitur, cum singularem quandam doctrinam tibi inesse, cum illustrem & celebrem te concionatorem euasisse, cum excellentem animarum fructum facere videbis; quid quando ob hæc ipsa à Principibus, Prælatis, atque adeo mundo vniuerso celebraberis & magnifies? Necesse proinde est, vt in rebus minutis hominum laudes & præconia parui facere, neue vllis humanis respectibus moueri assuescamus, vt postea illud ipsum in maioribus, cum necesse fuerit, facere nouerimus.

Lib.5.c.3. Vitæ B.P. Ignatii.

CAPVT VI.

Aliquot contra vanam gloriam remedia proponuntur.

SANCTVS Bernardus in Psal. *Qui habitat*, ser. 14. hunc versum eius, *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, exponens, ostendit, quemadmodum horum animalium alia dentibus, alia afflatu, alia vnguibus nocent, alia rugitu suo consternant, ita diabolum omnibus hisce modis hominibus, inuisibilem alioquin, nocere, atque adeo animalium proprietates diuersis tētationibus & vitiis, quibus diabolus nos oppugnat, accōmodat. Ad basiliscum vero cum venit, sic loquitur, De basilisco res mira & inaudita refertur taliter scil. cum visu suo homini venenum afflare eum vt occidat: quam dein ipse proprietatem vanæ gloriæ vitio scite adaptat, iuxta illa Domini verba, *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*: perinde ac si diceret, cauete ab oculis basilisci. Notandum vero, quod eum tantum regulus interficere dicatur, quem ipse prior conspexit; at si à te ipse prius conspiciatur, adeo tibi damnum ab illo non accedat, vt ipsemet tuo è conspectu emori dicatur. Sic à vana gloria nullos alios ait perire, quam qui cæcutiunt & negligentes sunt, eique se exhibere, & ab ea conspici gestiunt, ipsam vero prius in facie intueri non sustinent, consideraturi quam vanū & inutile quid sit vana gloria. Si enim hunc vanæ gloriæ basiliscum hoc modo primo intueremini, minime vos ille interficeret, nec vllum detrimentum inferret; quin potius vos ipsum penitus oppimeretis, ipsum & destruendo, & in fumum euanescere faciendo.

Psal.90.13.

Plin. lib 8.c. 21.& lib.29. c.4.

Matth.6.1.

Vana gloria est basiliscus.

Præuisa non nocet.

Non præuisa nocet.

Hoc itaque primum aduersus vanam gloriam remedium esto, vt scilicet primo nos hunc basiliscum intueri studeamus, attente inquam cōsideremus, & nobiscum examinemus, ipsam hominum opinio-

Primum remedium contra vanam gloriam.

pinionem & æstimationem præter pauxillum venti & vanitatis nihil esse; cum ea nihil nobis aut addat, aut demat, nec propterea futuri simus meliores, quod ab iis laudemur, neue etiam deteriores, quod nos maledicant & persequatur, Chrysostomus scribens super illud Psalmographi, *Quoniam tu benedices iusto*, egregie hoc declarat, & hæc ipsa Prophetæ verba, ad iustum, qui ab impiis exagitatur, & calumniis proscinditur, animandum, ne videlicet animum propter eas despondeat, sed eas & contemnat & rideat, peraccommoda esse asserit Quid enim illi omnium omnino hominum explosio & despectus noceat, si ipse Angelorũ Rex illi amicus sit, & eum laudet? Sicut è contra, si à Deo amice non habeatur, nec laudetur, nihil illi proderit, quamuis aalioquin totus terrarum orbis eum & laudet & deprædicet. Exempli loco adfert S. Iob, qui etsi in sterquilinio sederet, vlceribus putiscentibus, plagis, sanie, vermibus plenus, & ab amicis simul ac inimicis, nec non à propria coniuge vexaretur & rideretur, illis omnibus tamen longe erat beatior, scilicet, *quoniam Deus ei benedicebat*; nam maledicentibus licet & calumniantibus hominibus, bene de eo Deus sentiebat, hocque de eo testimoniũ dabat, *Erat vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Atque vnica hæc Dei de eo opinio eum vere virum magnum faciebat; hominum vero ludibria, & mundi totius explosio ne hilum quidem illi demebant. Concludit itaque Chrysostomus in id solum tota nos contentione & virib. incũbere debere, vt à Deo magnifiamus & æstimemur; nam ab hominibus magnificari, nihil nobis aut demere aut addere, proinde eorum ęstimationem parum nos morari debere. Dicebat Apostolus Paulus, *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, id est hominibus: iis placere non gestio, sed vni Deo, is namque meus est Iudex: *qui autem me iudicat, Dominus est.*

Eius cognitio. — *Psal. 5. 15.* — *Iob. 2. 3.* — *Iob. 1. 1.*

Aliud his adiungit S. Bonauentura: dicit enim, Noli indignari vel succensere iis, qui mala de te loquuntur, quod enim de te dicunt, aut verum est, aut falsum. Si quidem id verum est, haud mirum est id eos audere dicere, quod tu ausus es admittere; si vero falsum, nihil tibi nocere poterunt. Si nihilominus propterea ad iracundiam indignationemque conciteris, patienter id æquanimiterque feras, vti qui ferro sibi cauma inuri patitur: nam sicut cauterium plagam persanat, pari modo calumnia hæc occultam quandam quæ in te fortasse latet, superbiam curabit & auferet.

De informat. Nouitior. — *Si vera dicunt imputa tibi, Si falsa nil tibi oberunt.* — *Imo superbiam tuam sanant.*

Alterum, quod ad hoc permultum cõducet, medium nobis suggerunt S. Basilius, Gregorius, Bernardus, atque omnes in genere sancti scriptores, diligenter nobis cauendum esse, ne qua verba loquamur quæ in nostram laudem & commendationem possint tendere: *Nihil vnquam de te loquaris, quod laudem importet, quantumcumque sit familiaris ille cum quo loqueris, imo plus labora celare virtutes quam vitia.* Hac in parte valde exactus & circumspectus fuisse dicitur R. D. M. Auila: vnde si quando ad vtilitatem & ædificationem eius quicum loquebatur, aliquid ædificatorium piumque enarrandum putabat, quod sibi alias contigerat; id velut de tertio quodam referebat, ita vt alter de Auila illud dici minime intelligeret.

Serm. de exerc. monast. — *In formula honestæ vitæ.* — *Secundum medium Tacere de se ipso.* — *M. Auilæ humilitas.*

Episcopus quidam Hispaniæ de B. P. N. Ignatio, quem olim Parisiis cognorat, nobis narrauit, eum, cum de oratione apud alios ageret, eiusque vsum & doceret & suaderet, à nonnullis atque etiam à se rogatum, quomodo vero ipse orationem institueret, respondisse, Hoc non dicam, sed id tantum quod vos scire de ea opus est, hoc namque caritatis & necessitatis est, alterum illud vanitatis. Beatus quoque Franciscus ita se in hac parte caute gessit, vt non solum aliis patefacere non auderet gratias, & quibus à Deo perfundebatur delitiis, verum

Ferdinand. Tricio. Episc. Auriensis & postea Salmanticens. — *B. Ignatii modestia.* — *S. Francisci dissimulatio.*

rum etiam quoties ab oratione surgebat, tam se dissimilanter & moderate in verbis, tum in reliquo corporis gestu & compositione gerebat, vt videri ab aliis foris non posset, quod in corde eius latebat.

Tertium medium Occultare sua bona opera.

Tertio, satis nobis esse non debet, nihil dicere, quod in laudem & commendationem nostri cedat, sed insuper opera bona quæ agimus, supprimere & occultare omni ratione conari debemus, iuxta illud Domini in Euangelio monitum; *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid facit dextera tua* perinde ac si diceret, Neipse quidem eam erogans (si fieri posset) id nosse deberes. *Cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua*; id est, maiorem quam alias hilaritatem & serenitatem vultus, ac velut in die festiua, præfer, *ne videaris hominibus ieiunans.* Nam, vt docet Hieronymus, Palestinis, apud quos Dominus agebat, in festis diebus solemne erat caput inungere. Quod enim magna vitii huius subtilitas sit idcirco Redemptor tantopere ipsum iubet vt caueamus & declinemus, opera nostra in abscondito faciendo, ne omnem eorum fructum amittamus neue ea hic vanæ gloriæ fur nobis surripiat. Sic solent, inquit Gregorius, qui aliquo proficiscuntur, quas secum ferunt pecunias, occultare; si enim eas in apertum proferant & ostentent, iis prædo insidiabitur & deprædabitur. Atque huius rei occasione adducit, quod Ezechiæ Regi Iuda contigit: 4. *Regum* 20. *versic.* 17. quod enim hic domus suæ thesauros Regis Babylonii legatis ostendisset, hinc iidem postea ab iisdem ablati, & Babylonem auecti sunt. Huic quoque rei bene adaptes similitudinem illam quæ à gallina vulgo petitur, quæ quia ouo posito glocinat, ipsum amittit: ita quippe contingere iis, qui cum bonum aliquod opus fecerunt, quamprimũ ab aliis ipsum videri gestiunt, quin etiam quædam interdum proferunt verba, è quibus ipsum nasutus quis subolfaciat.

Matth.6.6. *Matth.6.3.* *Matth.6.17.*

Lib.2. Mora. c.9.

Verus porro Dei famulus tam procul ab hac vanitate abest, ait Sanctus Gregorius, vt satis illi non sit in eo opere, quod iam hominibus notum esse potuit, consistere, eoque contentus sit (quia facientem eius remunerationem & mercedem accepisse se iam putat) sed alia iis opera, quæ homines lateant, superaddere studeat: *Iam enim*, inquit, *de bonis suis quasi retributionem sibi factam æstimat, nisi eis & alia, quæ ab hominibus nesciantur adiungat.* Sanctus Hilarion, vt refert Hieronymus, tantam ad se hominum multitudinem assidue confluere, & ob plurima, quæ patrabat miracula, magni se ab omnibus fieri videns, maximopere dolebat, & suam infelicitatem indies deplorabat. Lacrymarum vero & tristitiæ insolitæ causam petẽtibus discipulis, respondebat Hilarion, Videtur mihi iam tum in hac vita, fratres, Deus rependere parua illa quæ ei præsto obsequia, quod tãti homines passim faciunt. Est hæc alia ratio, & *nouum* quoddam *medium* inprimis proficuum, ad isthoc à nobis vitium propulsandum. Caue ne ab hominibus magni fieri & æstimari velis, caue ne id quod fecisti fortasse boni, hac tibi mercede Deus in hac vita retribuat. Sic enim ipse facere solet, vti ex iis quæ diuiti epuloni ipse respondit, colligere licet, *Fili, inquit, recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Hæc item inter cæteras causa est, ob quas suadent sancti, vt singularitates & extremitates omnes remis velisque fugiamus. Quoniam enim extrema, præter communẽ consuetudinem & insueta sunt, hinc imprimis notantur, multisque cogitandi & obloquendi materiam præbent, *Qui facit quod nemo mirantur omnes.* Hæc porro quendam vanæ gloriæ & superbiæ spiritum producere solent; inde vero aliorum contemptus & despectus enasci.

Quartum medium Laus humana vilis merces bonorum operum.

Luc.16.25.

Singularitas omnis vitanda.

Gerson. & Galiel. Paris.

Quintum medium in apertis pura Intentio.

At, quoniam opera nostra bona non semper abscondere possumus, atque inprimis nos quibus ex officio incũbit per eadem proximum iuuare; *quintum* id *remedium*

medium esto, vt nostram in iisdem intentionem rectificare studeamus, cor videlicet nostrum ad Deum sustollendo, & omnes nostras cogitationes, verba & opera, vti mox ostendemus, ei offerendo & deferendo: cumque postea vana gloria subrepere tentat, dicamus ei vt suadet R. P. M. Auila, Serius venis, quia iam opus totum Deo dedicatum est. Vtile quoque fuerit respondere id quod alias S. Bernardus, quando illi prædicanti hæc vanæ gloriæ cogitatio incidit, Hem, quam bene dicis, Bernarde! respondit, *Nec propter te cœpi, nec propter te desinam.* Neque enim ob vanæ gloriæ metum bona sunt opera intermittenda, id namque grauissimus foret error & mera deceptio, sed aures nobis sunt ad laudum humanarum præconia obturandæ, vt eas nec audire, nec curare videamur: Ita porro nos Chrysostomus cum mundo agere vult, vt pater quispiam cum filio paruulo: parum hic curat vtrum ab eo laudetur aut vero vituperetur, & contumeliosis nominibus appelletur; quin potius ridet, quia puer est, & quid agat nescit. Sic nostrum est laudes mundi, & ea quæ homines dicent, parum morari: in hoc enim mundus instar pueri est, & nescit quid dicat. Plura etiam quo ad hoc dicebat magnus ille Indicę Orientalis Apostolus P. Franciscus Xauerius, nimirum, eum qui peccata & imperfectiones suas attente consideraret, & id quod vere ante oculos Dei est, si quando ab hominibus laudatur, cogitaturum ab illis se rideri, & laudes has & applausus vt veras contumelias & iniurias irrogatas habiturum.

Tom. 2. epist. fol. 59.

In vita S. Bern.

Vanæ gloriæ metu bona opera non omittenda.

Lib. 6. c. 15. vitæ.

Vltimum remedium (in quo etiam rem concludemus) est hæcce suiipsius cognitio, & est id aduersus hãc vanæ gloriæ pestem præsentissimum. si enim ipsum profunde penetraremus, & perfecte perspiceremus, videremus haud dubie, nihil nobis inesse ob quod vanè gloriemur, at permulta ob quæ cõfundamur & nos humiliemus: quia peccatis plenissimi sumus. si enim, nõ dico mala & peccata nostra, sed ea etiã opera, quæ nobis & optima ac iustissima videntur, bene & prout oportet consideremus & examinemus, minus quã multum vt plurimum nos humiliandi, erubescendi, & cõfusionis materiã & occasionẽ reperiemus. Vnde & S. Greg. quod & variis in locis repetit, sic loquitur, *Omnis humana* nostra *iustitia*, quidquid inquam cõmuniter nos à parte nostra & habemus & facimus si in diuinæ iustitiæ statera appensum, *districte* & in rigore *iudicetur, iniustitia esse conuincitur: si enim remota pietate discutimur, opus nostrum pœna dignum est quod remunerari præmiis prestolamur.* Ac propterea S. Iob semper se vereri, & timide ac circumspecte omnia sua agere testatur, ob culpas nimirum & imperfectiones quæ in illis, quando quis sedulo non aduigilat, nec super seipsum excubat, intercurrere seq; immiscere solent. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea.* Quæ cum ita sint, quid est quod superbiamus & inflemur? quid vana gloria efferimur? cum, si attente vesperi nos examinemus, & rationem tota die actorum exigamus, magnã in nobis miseriarum, peccatorum, & culparũ in loquendo, operando, cogitando commissarum multitudinem comperturi sumus, necnon plurima nos bona agere neglexisse, ac si quod per Dei gratiam bonum egimus, per nos, id vt plurimum superbia, vana gloria, socordia & negligentia, necnon aliis id genus næuis & imperfectionibus, quas nouimus, & multo etiam pluribus quas ignoramus, eas tamen subesse minime dubitamus, coinquinatum esse. Intra nosipsos itaque intremus, nosmetipsos quid simus inspiciamus, pedes nostros, ipsam inquam operum nostrorum turpitudinem intueamur, ac statim omnis vanitatis ac superbiæ, qui in cordibus nostris insurgit & inflatur, typhus detumescet.

Sextum medium Cognitio sui.

Lib. 9. Moral. c. 11. vt sæpe, inquit, diximus lib. 17. c. 10. lib. 9. c. 18.

Iob. 9. 18.

CAPVT VII.

De bono fine & intentione: quam in operibus nostris habere debemus.

OSTENDIMVS iam quomodo in iis quę agimus, vanitas & omnes intuitus

tus

tus humani fugiendi sint; atque hoc est à malo diuertere: iam de fine & intentione quæ in iisdem habenda est, maiori inquā Dei honore & gloria, tractabimus. Huic proposito adaptat S. Ambrosius id, quod naturalium rerum scriptores de aquila scriptum prodidere; eam scilicet experiri volentem pulline futuri degeneres, an vero aquilina stirpe digni, hosce vngue suspensos in aere, salaribus radiis exponere consueuisse; quos qui oculo irretorto, & non conniuente obtutu intuentus, eos vt legitimos agnoscere, in nidum referre, educare, & esca conquisita vt prolē minime spuriam nutrire: at quos ad solare iubar conniuere perspicit, eos vt degeneres præcipites ex alto deiicere. Pari modo in hoc apparebit, an veri legitimique Dei filii simus, si verum iustitię solem, qui Deus est, fixe intueamur, ad ipsum scilic. quidquid agemus dirigendo, sic inquam vt vnicus omnium operum nostrorum finis & scopus sit Deo placere & gratificari, atque in iis sanctissimam eius agere voluntatem. Optime his quadrat, quod Redemptor Iesus in Euangelio dixit, *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror & mater est.*

Lib. 5. Hexā. c. 18. & lib. de Salom. c. 2.

Lib. 9. Moral. c. 11. vt sæpe, inquit, diximus lib. 17. c. 10. lib. 9. c. 18.

Lib. 9. 18.

Matt. 12. 50.

Vide Patr.

Quidam de priscis illis eremi Patribus, ad singula quæ auspicabatur opera, paulisper tacitus subsistebat, rogatus vero quid ageret, respōdebat, Opera ipsa ex se nihil valent, nisi bono fine & intentione fiant; proinde, quemadmodū sagittator, vt scopum feriat, parumper ante subsistit, oculos colligens & in illum visu collineans; sic ego antequam opus bonū aggrediar, ipsum ordino, & intentionem meam ad Deum, qui omnium operum nostrorum scopus & finis esse debet, dirigo. atque hoc est quod tempore illo ago, quo ante opus me quietum videtis subsistere. Hoc autem & nos agere oportet. *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Atq; vt iaculator, quo melius & certius scopū feriat, oculum sinistrum occludit, & solo dextro collimat, quo sc. visus sit collectior, & ne hinc inde varia intuēdo sparsus distrahatur, itaq; à scopo aberret: simili modo sinistrum respectuum humanorum & terrenorum oculum occludere, at dextrum duntaxat, bonæ sc. rectaque intentionis, aperire nos necesse est: atq; ita fiet vt scopum hunc, & ipsum eius centrum, cor inquam Dei, simus tacturi. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.*

Cant. 8. 6.

Cant. 4. 9.

Vt vero clarius loquar, & ad particularia singillatim descendam, dico, nos actualiter omnia nostra opera ad Deum referre & dirigere conari debere. In hac vero oblatione locum habet Maius & Minus. Principio ergo, mane cum lecto surgimus oēs quas eo die habebimus cogitationes, loquemur verba, & agemus opera, Deo offerre debemus, eum rogare vt hæc omnia ad honorem & gloriam suam admittere dignetur, vt, cum postea vana gloria se ingesserit, vere respondere possimus, Sero venis, iam alteri hoc opus dedi. Præterea satis nobis esse non debet, actualiter Deo, dum mane surgimus, offerre & ad eum referre quidquid eo die acturi sumus; sed etiā assuescamus oportet nullum penitus opus per diem auspicari, quantum quidem possibile est, quod non ante actualiter ad maiorem Dei gloriam retulerimus. Sicut faber murarius & latomus, dum quid construunt, semper amussim & perpendiculum ad manum habent, & ad singulos lapides, atque etiam laterculos, quos collocant, ipsum consulūt; pari modo nos, quidquid agimus, ad hanc voluntatis & maioris gloriæ Dei libellam & normam dirigamus & componamus oportet. Atq; vt etiam fabro satis non est, semel in initio amussim adhibere, sed tamdiu eam applicat, donec tandem saxū recte locetur: sic minime nobis sufficere debet, semel sub initium, opera quæ facimus, Deo dedicasse, sed etiam interea dum iis occupamur, taliter ea faciamus oportet, vt semper ea Deo offeramus, dicentes, Propter te Domine hæc ago, quia id ipse mihi præcipis, quia hæc est voluntas tua.

CAPVT VIII.

Declaratur, quo modo actiones nostras magna rectitudine & puritate intentiones facturi simus.

RERVM spiritualium magistri declaraturi, quomodo opera nostra quam perfectissime & purissime facturi simus, scita hoc similitudine ostendere solent. Sicut, inquiunt, Mathematici semper abstrahunt à materia, id est, materiã ipsam parum curant, sed de solis corporum quantitatibus & figuris laborant; de materia ex qua illa constant, siue aurum ea sit, siue argentum, vel alia quælibet, nihil omnino dicentes, quod hæc ad eos nequaquam pertineat: ita Dei famulus in iis quæ aget operibus, id potissimum spectare debet, vt Dei voluntatem faciat, ab omni materia præscindendo, non intuendo inquam, ea ne ex auro sit, vel creta, id est non respiciendo an huic officio applicetur, an illi; vtrum hoc ei mandatur, an aliud: in eo namque profectus & perfectio nostra sita non est, sed in solo Dei beneplacito faciendo, eiusque gloria in eo quod acturi sumus, quęrẽdã. Egregie hoc ostendit S. Basilius, idque iuxta Apostoli Pauli doctrinam: *Victus ac ratio viuendi hominis Christiani vnum scopum sibi propositum habet, nempe gloriam Dei; siue enim cibum capessitis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite,* inquit in Domino verba faciens Paulus. *Orat. de ingluuie & ebrietate. 1. Cor. 10. 31.*

Interim dum Christus Dominus, ex itineris labore defatigatus & defessus cum Samaritana muliere loqueretur, discipuli in oppidum proximum abiere cibos empturi, quod prãdii hora iam effluxisset, & esset serius: quos cum attulissent & dixissent, *Rabbi manduca*, respondit ipse, *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Tum quærere illi inter se cæpere, *Nunquid aliquis attulit ei manducare?* sed Dominus, *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Hic itaque in omnibus, quas acturi sumus, rebus, noster debet esse cibus quando enim studiis intendis, quando confitentibus das aures, quando doces, quando ad populum verba facis, cibus tuus non debet esse ea quæ è doctrina, studendo, prædicando capitur voluptas: hoc enim pacto ex auro faceres lutum. at cibus, voluptas, & delectatio tua esse debet, quod per ea Dei voluntatem exequaris, cupientis vt tunc isthæc facias. Idem quoque tibi debet esse cibus, quãdo domesticis officiis occuparis. Adeo vt eundem cibum & refectionem habeat ianitor, & infirmorum curator, quem cõcionator & professor; ac proinde tam tuo ipso cõtentus esse debes officio, quam ipse suo: quia satisfactionis huius causam, quæ est voluntatem Dei facere, tam habes tu quam ipse. Neque enim, instar boni Mathematici, in materiali quod agis opere, manere debes sed in hoc quod per ipsum voluntatem Dei facias. Quapropter semper cum in ore, tum in corde hæc habeamus verba oportet, Propter te, & propter gloriam tuam, & quia ita cupis, hoc facio. Nec ante hoc intermittere exercitium aut quiescere debemus, quam eo perueniamus, vt ita opera nostra faciamus, *sicut*, vt ait Apostolus, *seruientes Domino, & non hominibus*: & donec taliter ea faciamus, vt semper in iis actualiter, Deum amemus, & animo lætemur, quod per eadẽ Dei voluntatem faciamus: adeo vt dum quid operaturi sumus, amare potius quam operari videamur. *Ioan. 4. 31. Ephes. 6. 7.*

Obuia quidem, sed egregia similitudine id declarat P. M. Auila. Mater, dum filio aut marito peregre venienti lauat pedes, simul illi famulatur & diligit, gaudens, exultans, & voluptatem capiens ex eo quod illi hic impendit obsequio & refocillatione. Vtinam ita opera nostra facere nobis daretur! Vtinam in absconditum hunc in agro thesaurum, adeo quidem ex vna parte manifestum & patentem, ex altera vero ita tectum, absconditum, & occultum, incideremus! *Tract. 6. c. 4. & tract. 8. c. 4.*

Quam

Quam tunc spirituales essemus, quam in spiritu & rebus interioribus proficeremus! Hæc vera & certissima chymica est, ad purissimum ex ære & ferro aurum cõflandum: licet enim opus ex se sit vilissimum, hoc modo fit sublimissimum maximique valoris Demus igitur posthac operam, vt quidquid egerimus, purissimũ sit aurum, tũ adeo id facile, & vix vllo negotio facere possimus. In Sanctis Sanctorum, & templo Salomonico omnia erant vel ex auro, vel auro cooperta: sic omnia nostra vel esse debent amor Dei vel propter amorem Dei facta. *3. Reg. 6. 19. & 21.*

Capvt IX.

Occupationes exteriores in causa non sunt, cur aliquando distrahamur, & parum proficiamus, sed quod eas non prout oportet, peragamus.

Ex eo quod iamiam diximus, facile patebit, causam, cur aliquando per exteriores occupationes distrahamur, & in spiritu non proficiamus, non tam in ipsis consistere occupationib. q̃ in nobis ipsis, quod aliquam nobis ex illis vtilitatẽ capere & eas prout deberemus, agere nesciamus. Nemo proinde rei huius culpam occupationibus suis asscribat, sed sibi vni, qui fructum ex iis colligere nescit. Nucem frange, neque enim exterius comeditur putamen, sed interior nucleus. Si in exteriori operis superficie & cortice hæreas; hic tibi & corpus offendet, & spiritũ extinguet. Quod intorsum latet, nucleus & medulla, ipsa inquam Dei voluntas, tuus sit cibus oportet. Considerationis itaque dentibus hanc testam frange, exteriorem corticem abiice, & intro ad medullam penetra, sicut grandis illa Ezechielis aquila, qua interiora petẽs cedri, medullam eduxit, in cortice superficiali minime subsistẽs. *Holocausta medullata afferã tibi* In hoc scilicet hærere debes, hoc Deo offerre, atque ita fiet, vt anima tua proficiat & semper accrescat. Martha & Maria sunt sorores, vna non turbet, nec impediat aliam sed inuicẽ adiuuent. Oratio conducit & iuuat, vt exterior actio bene fiat, & actio facta prout par est orationi adminicula præstat; quasi inuicem sorores. Si itaque in actione turbarum te & inquietum sentis, causa est, quod Maria, oratio inquam, te non adiuuat. *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Turbatur Martha, quod soror Maria ipsam non iuuet. *Dic ergo illi vt me adiuuet.* Da operã & cura vt Maria, quæ est oratio, tibi opituletur, & videbis turbationem omnem statim cessaturam. *Luc. 10. 40.*

Sancta illa Ezechielis animalia suam singula manum sub ala habebant: vt hinc discamus, viros spirituales manum actionis sub ala contemplationis continere, vnam ab alia non separando, quod inter operandum contemplentur, & contemplando operentur. Sic veteres illos Ægypti monachos tradit Cassianus, quamuis manibus operarentur, mentẽ tamen semper in Dei contemplatione intentã habuisse; manibus quidẽ officiũ Marthę, corde vero Mariæ partes adimplendo. Præclare hoc ostendit Sanctus Bernardus his verbis: *Hoc maxime curant spiritualibus exercitiis dediti, taliter se circa exteriora occupare, vt deuotionis spiritum non exstinguant; vnde licet extrinsecus bonorum operum exercitiis fatigentur in corpore, intrinsecus tamen reficiuntur in mente.* Adeo vt exterioribus occupationib. interior recollectio & deuotio minime impediatur, at potius adiuuetur; illæ enim intellectum penitus non occupant, sed ita liberum esse sinũt, vt interim nihilominus de Deo rebusque diuinis cogitare possit. Vnde quidam de antiquis nostris Patribus, vir admodum spiritualis, dicere solebat, duobus hominum generibus se in hoc statu Religioso inuidere: primo Nouitiis, quod nulli alii rei præterquam vni suo in spiritu profectui vacẽt & intẽdant: deinde fratrib. domestica officia obeuntib. quod liberam & exoneratã studiis & curis hi mentẽ habeant, ad die tota orationi intendendum. *Serm. ad solitar.* *B. Hieron. Natalis.*

Refert Climacus se in quendam cuiusdam

dam Monasterii coquum incidisse, qui e-sto magnis multisq; occupationibus di-stineretur (erat enim ingens Monacho-rum in eo Cœnobio numerus, vtpote qui ad triginta supra ducentos facile pertin-geret, præter hospites peregre in dies ad-uentantes) animum tamen intus mire recollectum habebat, & in Deo defixum, insuper donum lacrymarum obtinuerat. Quem admirans Climacus, sciscitatus est quomodo tanta & tam assidua in occupa-tione & actione tantam sibi mentis quie-tem parare potuisset! qui primũ tergiuer-satus, tandem acrius eo vrgente, respon-dit, Nunquam me credidi hominibus ser-uire, sed Deo, semperq; me indignum cẽ-sui, cui requies vlla & operis intermissio concederetur Insuper mihi ignis hic ma-terialis quotidie ob oculos versans, assi-due mihi lacrymas excutit, deque ignis æterni acerbitate meditari cogit.

Sanctam Catharinam Senensem pa-rentes (vti eius in vita refertur) importu-nioribus precibus ac nimis vrgebant vt matrimonium iniret: adeo vero hæcce eorum increuit persecutio, vt omnem ei locum secretum & cubiculum, in quo mentem cum Deo coniungeret, ademe-rint, eamque domesticis ministeriis oc-cuparint, seruam etiam quandam, quam habebant, à culina amouerint, inque eius locum filiam surrogarint, vt hoc pacto il-li ad orandum, & reliqua sua spiritualia exercitia obeunda commodum & tem-pus & locum eriperent. Sed ipsa, à Spiritu sancto edocta, secretum quoddam intra cor suum conclaue, & cellam spiritualem sibi construxit, secumq; statuit nunquã ea egredi. Quod & præstitit, adeo quidem, vt, cum in primo quod habebat, cubiculo aliquando quidẽ intus ageret, aliquando tamen eo egredi cogeretur, hoc spirituali conclaui nunquam egrederetur: primum illud parentes illi abstulerint, secundum hoc auferre nemo potuerit. Cogitatione quippe sibi fingebat, patrem suũ Domini nostri Iesu Christi matrem, Deiparæ Vir-ginis; fratres & reliquos domesticos, Apo-stolorum discipulorum Domini personã repræsentare. Itaq; magna quadam cũ hi-laritate & diligentia ministerium iniun-ctũ adimplebat: in culina quippe famu-lares hasce partes agens, semper de spon-so suo Iesu Christo cogitabat, ei se famu-lari existimans, Deique præsentia vbique fruebatur, cumq; eo in sancto sanctorum versabatur. Vnde & ipsa postmodũ sæpe confessario, multis temporalibus & exte-rioribus occupationibus distenta, vel ali-quo proficisci coacto suadebat, vt cellam sibi quandam intra cor construeret, è qua nunquam exiret. Idipsum & nos imite-mur, & officia ac occupationes exteriores adeo nõ nos distrahant, quo minus sem-per orationi intendamus, vt ad eam non mediocre etiam subsidium sint allaturæ.

Capvt X.

Quam fructuosum & vtile sit, eo quo diximus modo opera sua agere.

Opera eo quo dictum est modo facta, dicũtur opera plena: quique eo mo-do viuunt, dicuntur in scriptura sacra, vt ait S. Hiero. & Gregorius, viuere dies ple-nos, & pleni dierum esse; & quidem, etsi pauxillo tempore vixerint, & iuniores de-moriantur, iuxta illud Sapientis, *Cõsum-matus in breui expleuit tẽpora multa.* Quo-modo vero quis paruo tempore diu viue-re, & simul multos explere annos queat? Nostin' quomodo? Faciendo opera plena, & dies plenos viuendo. *Et dies pleni inueni-entur in eis.* Secundus hic locus elucidat primũ. Iam inde ab exortu diei ad vesperã vsque, & à vespera in auroram diei sequẽ-tis, bonus Religiosus & Dei seruus ple-num viginti quatuor horarum diem vi-uit, quod eum totum diuinæ voluntati adimplendæ impẽdat. Comedere quippe, interquiescere, necessariũ corpori som-num indulgere, non sunt illi sicut opera, quib. nõ mereatur: sed omnia illa ad ma-iorem Dei honorem & gloriam refert ac dirigit, & ideo eadem obit, quod hæc ab ipso fieri Deus velit, neque enim comedit

In illud Isaiæ c.38.10. Ego dixi in di-midio.
Lib. 35. Mor. super illud Iob 42. Mor-tuus est ple-nus dierum.
Sap. 4.13.
Psal. 72.10.
Plenus dierũ quibus.

adVo-

ad voluptatem ex cibo captandam, vbi bruta & pecudes; atque adeo ſuam in hiſce rebus conſolationem & recreationem non quærit, vt etiam iis carere vellet, ſi id vellet Deus, idque eius beneplacitum eſſet. Vtinam Domine ſine cibo, ſine ſomno, ſine his recreationibus & animi relaxationibus homo poſſet viuere! Vtinam te ſemper amare! Vtinam ad haſce corporis miſerias recurrere opus non haberet! *De neceſſitatibus meis* & miſeriis his *erue me*, vt ſemper tui amore, ſemper in te occuper. Sed video id non eſſe præſentis vitæ: cæterum miſeriam hanc patienter iuſtus fert, & non ſine dolore. Petamus à Iobo & Regio Propheta, quomodo ſe in hiſce corporalibus neceſſitatibus geſſerint. Ille dicet, *Antequam comedo ſuſpiro.* Hic vero, *Potum meum cum fletu miſcebam.* &, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtatum meum rigabo.* Ipſum & nos facere oportet, & lacrymari ſi quando cubitum concedimus, ac dicere, Ah Domine, anne neceſſe me eſt tam diu hic eſſe, vt non recorder tui? *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt!* quamdiu hæcce mea captiuitas durabit? quando ab hoc exilio liberabor? quando ſeruitutis huius iugum à collo meo excutietur? *Educ*, quæſo, *de cuſtodia animam meam.* Quando tandem, Domine è carcere corporis huius me eripies, vt totum me dem tibi? Ah quando id fiet? Quamdiu illa hora differtur? Hæc ſcilicet ſunt opera plena, & dies pleni; atque hoc pacto iuſtus, etſi breuiſſimo tempore, diu viuit, paucique vitæ dies, multi ſunt anni meritorum. At qui bene non eſt operatus, nec vitæ ſuæ dies debite impendit, tametſi longo tempore vixerit, multorumque ſit annorum, dierum vacuus mori dicitur. *Habui menſes vacuos;* quod dies & annos vitæ incaſſum ac ſine vllo merito effluere ſiuerit: vnde dicere non immerito poteſt, *Dies annorum meorum pauci & mali ſunt.* S. Hieronymus ſuper illa Ezechiæ Regis ex morbo ſuo iam conualeſcentis

Pſal. 24. 17. — *Iob. 3. 24.* — *Pſal. 101. 40.* — *Pſal. 6. 7.* — *Pſal. 119. 5.* — *Pſal. 141. 8.* — *Vacuus dierum quis.* — *Greg. lib. 35. Moral. c. 15.* — *Iob. 7. 3.* — *Gen. 43. 9.*

apud Iſaiam verba, *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, notat, ſanctos & iuſtos dies ſuos complere, vti Abraham, de quo legimus, *Mortuus eſt in ſenectute bona, & plenus dierum*; ſceleratos vero ſemper in medio dierum ſuorum mori; imo ne eatenus quidem pertingere, prout teſtatur Propheta, dicens, *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*: quod vitæ ſuæ annos ſine vllo merito & in vanum effluere paſſi ſint. Inde eſt quod centum annorum peccatorum *centum annorum puerum* Scriptura vocet, eumque maledicendum pronuntiet. *Quoniam*, inquit, *puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*, eo quod non vt vir, ſed pueri inſtar vixerit. Hinc peccatores mors ſemper immaturos & præcoces tollit: propterea veniente iam morte hi optando dicere ſolent, Vtinam mihi vel annus vnus ad pœnitendum concedatur! Eodem prorſus modo in tepidis & torpidis Religioſis ſe res habet: qui eſto à multis annis Religioſum habitum induerint, paucos tamen vitæ religioſe ductæ dies habebunt.

In Chronicis Minorum, Religioſus quidam ſanctus rogatus ab alio, quot in Religione annis vixiſſet, reſpondit, Ne vno quidem momento, quod reſponſum cum alter miraretur, nec intelligeret, ſubintulit Dei famulus, Non ignoro, me ab hinc ſeptuaginta & quinque annis Minorum habitum induiſſe, at quanto tempore operibus Religioſus fuerim, plane ignoro. Faxit autem Deus, vt nullus noſtrum id in veritate poſſit dicere, quod ſanctus ille vir dicebat ex humilitate. Neque enim tam multi Religionis & vitæ ſpectandi ſunt anni, quam bona vita. *Multi*, inquit à Kempis, *numerant* annos conuerſionis, ſed ſæpe exiguus eſt fructus emendationis. Potiores ſunt pauci bonæ vitæ dies, quam multi tepidæ & negligentis, quia coram Deo non tam numerantur & æſtimantur anni vitæ, quam anni bonæ vitæ, vti nec multi anni Religionis, ſed ii duntaxat, qui-

Iſa. 38. 10. — *Geneſ. 25. 8.* — *Pſal. 54. 24.* — *Iſa. 65. 20.* — *3. part. lib. 8. c. 27. hiſtor. Minor. de F. Gerhardo de Florent. Laico.*

bus quis vt bonus ac feruidus Religiosus vixit. Præclarum huius rei exemplum suggerit Scriptura sacra. De Saule quippe sic ait, *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel*, cum tamen certum sit quadraginta ipsis eum annis regnasse. Ita quippe Acta Apostolorum testantur, *Et exinde postulauerunt Regem, & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de Tribu Beniamin, annis quadraginta.* Quomodo ergo in libris Regum Israel nonnisi biennio is regnasse dicitur? Ratio est, quia in Annalibus & Chronicis Dei, alii eius non numerantur anni, quam quibus bene vixit; vnde nonnisi biennio vniuersim regnasse dicitur, quod illo solum tempore regnarit vt bonum Regem regnare decuit. In euangelio quoq; ii, qui post alios laboratum in vineam venerunt, esto nonnisi vna laborassent hora, præpositi tamen fuere iis, qui summo mane ad laborem accesserant; ea siquidem hora tantum, vel etiam amplius, promeruere, quam alii qui diei totius in vinea pondus & æstum tolerarant. Ad hanc itaque regulam dimetire, & te hinc dispice, quanto tempore hac ratione in Religione vixeris.

1. Reg. 13. 1.

Act. 13. 21.

Egregie id declarat Eusebius Emissenus dicens: *Solemus*, inquit, *annos nostros & temporum spatia, quibus nunc viuimus, supputare, non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti. Illum tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine vlla regulæ transgressione duxisti, illum diem vixisse te computa, qui puritatis & sanctæ meditationis habuit lucem.* Ex his igitur diebus, si potes, annos conspicito, & secundum hoc tempus, quo Religionem inisti metiri stude, & time ne idipsum tibi dicatur, quod Episcopo Sardensis Ecclesiæ in Apocalypsi dictum legitur: *Scio opera tua*, inquit Deus, quæ licet ignorent homines, mihi tamen ad liquidum patent: *quia nomen habes quod viuas, & mortuus es*; Christiani quidem nomen habes, sed non opera; Religiosi diceris nomine, à Religiosi tamen operibus nimis quam procul distas, opera tua non coincidunt cum nomine, quod geris. *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo*, sed vacua; non inquã plena Deo, sed eo vacua, at teipso plena. In iis siquidem omnibus teipsum quæris, tua scilicet commoda, honorem & æstimationem propriam. Super nos ipsos ergo excubemus (*esto vigilans*) demus operam vt opera nostra & dies plena sint, vt sic in pauco tempore viuamus diu, multumque coram Deo promereamur.

Homil. 9. ad Monachos.

Apoc. 3. 1.

Capvt II.

Pluribus rectitudo & puritas intentionis, quam in operibus nostris habere debemus, declaratur.

Ex eo quod consuli solet iis qui cum proximo agunt, quonam nimirum modo suis in operibus & ministeriis quæ obeunt, sese gerent, euidenter perspicitur, quam pura nostra esse debeat intentio in iis quæ agimus, quamque nude simpliciterque in his Deus nobis quærendus sit. Est hæc communis Ecclesiæ, Doctorum, ac Patrum gloriosorum Hieronymi, Gregorii, & Chrysostomi doctrina, vti suo loco videbimus. Si quando opus auspicaris, vt aliquod ex eo proximo commodum, tum generale tum priuatum sequatur, in fructum & bonum operis successum tuos præcipue oculos non intendas, sed vt per ipsum Dei Opt. Maximi voluntatem perficias. Vnde, cum confitentibus aures damus, cum verbo Dei populum pascimus, cum in schola alios docemus, non tam curare debemus, vt ii quibuscum agimus, quorum confessiones excipimus, quos pro concione docemus, conuertantur, vitam emendent, & fructum aliquem inde capiant, quam vt hoc in opere diuinam voluntatẽ adimpleamus, ipsumq; quam possumus rectissime, ad sic Deo placendum, peragamus. Felix quippe talis operis

ris successus, vt nimirum quis alius per id vitam emendet, & fructum ex concione nostra reipsa & effectiue consequatur, non ad nos, sed ad Deum spectat, efficere. *Ego plantaui*, inquit Apostolus, *Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit.* Id est, plantare & rigare ipsi possumus, vti hortulanus, sed vt arbusta crescant, arbores fructum proferant, non hortulani est, sed Dei solius. Animarum fructus est, vt peccato emergant, ad Deum conuertantur, in virtute crescant, in perfectione proficiant; hoc vt fiat, Deo curæ est. neque enim operis nostri valor & perfectio ab eo dependent. Hanc itaque intentionis puritatem nostris in operibus habere procuremus necesse est: ita namque intentio nostra purissima futura est, summaque animi pace perfruemur: nam qui suis in operibus sic se gerit, minime turbatur, quando successus & fructus, quem hoc suo opere spectabat, aliquo incidente casu ei aut interturbatur, aut impossibilis omnino redditur: quia finem & consolationem suam nequaquam in eo collocabat, sed vt Dei voluntatem per ipsum exequeretur, ipsumque quam poterat optime, ad Deo complacendum, perageret. At si dum concionaris, confitentes audis, vel alia cum proximo negotia tractas, in fructum & vtilitatem, ex bono hoc opere secuturam, oculos potissimum conijcis, & ea præcipuus tibi sit in operando finis; tunc si casu aliquo desiderii tui effectum præpediti contingat, maxime turbaberis, quin & aliquando non modo omnem animi pacem, sed & patientiam amittes; quin & vlterius progredieris.

1. Cor. 3. 6.

Scito id exemplo vel similitudine ostendit B. P. N. Ignatius. Nostisne, inquit, quomodo nos in nostris erga proximum ministeriis gerere oporteat? perinde, inquit, atque Angeli custodes erga illos, qui sibi Dei iussu custodiendi traduntur: quibus etsi, quantum possunt, consulant, moueant, tueantur, gubernent, illuminent, & ad bonum agendum opem ferant; si tamen hi libero suo arbitrio abutantur, si rebelles, & ad monita inspirationes que contumaces, nullatenus propterea aguntur, non contristantur, nullam penitus molestiam sentiunt, nec quidquã de beatitudine, qua Deum intuentes perfruuntur, deperdunt, sed illud Ieremiæ identidem repetunt, *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Sic nos omni quidem qua possumus ratione procurare necesse est, vt proximum è statu peccati educamus, & illi aliquatenus prosimus; si tamen postquã officio nostro ea qua oportet accuratione functi fuerimus, ipse infirmus in morbo suo maneat, nec curari sustineat, non est quod animi pacem amittamus, aut pusillanimes simus.

Lib. 5. cap. 2. vitæ.

Angeli custodes nostra socordia non anguntur.

Ier. 51. 9.

Discipulis à prædicatione læto hilarique animo redeuntibus, quod miracula patrassent, & dæmonia expulissent, respondit Redemptor, *In hoc nolite gaudere: gaudete autem quod nomina vestra scripta sint in cœlis.* A successu rei, etsi æque prospero, atque hic Apostolorum, gaudium nostrum pendere non debet; at vide potius num talia facias opera, ob quæ nomen tuum libro vitæ inscribi mereatur, vide num facias ea in officio tuo, quæ te facere oportet; & in hoc gaudiũ ac consolationem tuam tantum collocare debes: nam alii illi successus, conuersiones, & miracula ad nos minime pertinent, &, quod tibi dabitur præmiũ & gloria, non secundum successus admetietur, sed prout opus tuum fuerit, siue conuertantur homines, siue non. Quod clare ex ipso contrario patebit: quid enim tibi profuerit, vt ait Christus in Euangelio, multum in proximo fructum fecisse, & vniuersum orbem prædicationibus & functionibus tuis conuertisse, si ipse te non gessisti vt oportet, si salus tua periclitatur? Pari itaque modo, si modo quod debes feceris, etsi nullus alioquin hominum conuertatur, non propterea minus tuum futurum est præmium. Infelix profecto esset Apostolus Iacobus, si ab hac re ipsius præmiũ dependisset, & suum ipse in ea gaudiũ collocasset; quia nonnisi septẽ

Luc. 10. 20.

aut nouem in vniuersum in tota Hispania Christo asseruisse dicitur. Nam propterea minus quam reliqui Apostoli non promeruit, nec minus iis Deo placuit.

Adhæc, aliam magnam consolationem, quæ ex iis quæ diximus consequitur, habemus: videlicet, quod à Deo rationem non poscemur, an multum fructus fecerimus, an parum; vt ne quidem rogandi simus, an prolixam concionem habuerimus, & lectionem prolixam. Hoc quippe Deus nobis non præcipit, nec in eo nostrum meritum situm est: at id Deus solum iubet, & à me exigit, vt faciam à parte mea quod possum secundum talentum quod ab eo accepi, vt si parum receperim, parum præstem; si multum, multum. Atque hoc ipsi sufficit: *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo,* cui parum, parum etiam exigetur. Egregie id pertractat Chrysostomus, de talentorum parabola loquens. Rogat, quænam sit causa, quod seruus qui duo tantum talenta superlucratus erat, eodem honore afficiatur, quo is qui quinque superlucratus fuit? Patrefamilias enim rationem talentorum inter seruos distributorum repetente, is (vt in Euangelio refertur) qui quinque acceperat, accedens ait, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum,* cui deinde Dominus, *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Accedens autem is qui duo acceperat, dixit, *Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.* & iisdem illi, quibus quinque superlucranti Dominus verbis respondit, & idem omnino præmium est pollicitus. Quænam huius rei est causa? Respondet Chrysostomus: *Merito,* inquit, *augmentationem & imminutionem non vel huius diligentia, vel illius negligentia fecit, sed concreditorum quantitas.* nam priori quinque data talenta sunt, quibus eadem adaugere, & alia quinque superlucrari posset; alteri vero duo tantum data. *Nam quoad diligentiam ambo pares fuerunt, proinde & eandem mercedem & dignitatē nacti sunt.* Est hoc inprimis vtile, & maximam nobis consolationem adferens, quod omnibus id rebus, officiis & ministeriis adaptari possit; si enim hic tantundem laboret, & eandem diligentiam in re sibi commissa adhibeat, atq; ille in sibi commissa, tantum haud dubie promereri potest quantum ille, etsi tantum reipsa non præstet. Verbi gratia: si tantum ego laborem in male & parum ad adplausum concionando impendam, quantum tu in plausibiliter, fieri potest vt tantum ego hoc opere meo, quantum tu tuo, & fortasse etiam amplius, promerear. Sic etiam in studiis se res habet, etsi ille studiosus sit stupidus, tu vero subtilis; ille parum addiscat, tu multum; fieri potest vt plus ille promereatur sua parua scientia, quam tu tua magna. Id item in omnibus officiis manualibus locum habet: nam etsi meum ego ministerium tam exquisite non exequar, ac tu tuum; & vires ac talentum meum eatenus non pertingant, quatenus tuæ, fieri tamen potest, vt plus ego meo promerear pauxillo, quam tu tuo multo. Atque hinc discent tam illi vana gloria non insolescere, quam hi animum non despondere ac deficere.

Luc. 12. 48. — *Homil. 41. sup. Genes.* — *Matt. 25. 21.* — *Non fructus operibus sed diligentia operantis à Deo spectatur.*

Idem quoque sentit S. Hieronymus in eandem parabolam scribens: *Illum qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, Dominus simili recipit gaudio: neque enim considerat lucri magnitudinem, sed studii voluntatem,* diligentiam, caritatem, qua opus peragitur. Vnde Saluianus, *Oblata Deo non pretio, sed affectu placent.* Aque hoc est quod significat paucis his verbis Gregorius, *Deus non respicit quantum, sed ex quanto,* plus animum, quam opus: atque ita fit vt plus quis Deo placere possit minus faciendo, quam alius quislibet plus agendo, si modo maiori opus suum fecerit affectu. In quo Dei nostri magnitudo inprimis relucet: nullum enim opus, quantumuis maximum, coram oculis eius magnum est, si amor, quo fit, non sit magnus. Qui enim bonis nostris opus non habet Deus, illi nec di-

Lib. 1. ad Eccles. Cathol. tom. 3. Biblioth. SS. Patrum.

uitiæ, nec aliud quidlibet potest accrescere. *Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Aliud vero non quærit, aut æstimat, quam vt ametur, & nos ex parte nostra serio agamus quantum agere possumus. Cernere id ad oculum est in duobus nummulis, quos vidua illa apud Euangelistã in gazophylacium templi coniecit. Cum enim haud procul ab eo Redemptor Iesus sederet, videbat Pharisæos & opulentos suas in id eleemosynas mittentes, quorum hic quidem argenteum, ille vero aureum forsan obtulerit, cum vero & paupercula quædam venisset vidua, & æra minuta duo in arcam templi demisisset, ad suos discipulos conuersus Redemptor palam ait, *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt*, & quidem non tantum, quantum possent, *hæc vero de pecunia sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum. Quod* vero, inquit Chrysostomus, *in vidua fecit, idem in docentibus*, prædicantibus, studentibus, aliaque ministeria & officia obeuntibus *operabitur.* Neque enim in his tam respiciet quid agant, quam voluntatem, affectum, & diligentiam qua ea agent.

Non fructus operibus sed diligentia operantis à Deo spectatur.

Iob. 35. 7.

Marc. 12. 43. Luc. 21. 3.

CAPVT XII.

Aliqua proponuntur signa, è quibus colligatur, vtrum quis sua pure agat propter Deum, an vero seipsum in iis quærat.

BONVM quoddam signum dat B. Gregorius, è quo quis perspiciat vtrum in iis quæ circa proximum peragit ministeriis, pure Dei gloriam, an autem seipsum quærat. Vide, inquit, num, dum alius quispiam egregie concionatur, omnes ad se pertrahat, multumque in animabus fructum faciat, non minus gaudeas, quam si hoc ipse ageres: si enim non gaudeas sed nescio quam displicentiam, tristitiam & inuidiam inde contractam præferas; euidens argumentum est, pure te Dei gloriam non quærere. Atque ad hoc confirmandum adfert illud Iacobi Apostoli: *Quod si zelum amarum habeatis, & contentiones sint in cordibus vestris, non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Non est is zelus gloriæ & honoris Dei; sed zelus tuiipsius, & vt non minus honoreris & extollaris, quam alius ille. Si enim Dei gloriam, & non tuam quæreres, gauderes multos id genus operarios inueniri, & quod ipse potes & nosti facere, id & alios facere. Vti de Mose Scriptura refert; dum enim Iosue quibusdam prophetantibus resisteret, ipse velut iratus ei aiebat, *Quid æmularis pro me? qui, tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Sic seruus Dei dicat oportet, Vtinam omnes ad vnum zelosi & ardentes sint prædicatores, multumque iis de spiritu suo Dominus det, vt hoc pacto magis honor & gloria illius dilatetur, & sanctum eius nomen toto terrarum orbe agnoscatur & sanctificetur!

Lib. 22. Moral. c. 24.

Pura intentionis signum primum gaudere de aliorum felici successu.

Iacob. 3. 14.

Num. 11. 29.

Egregium hac in parte exemplum scribitur de R. P. M. Ioanne de Auila. Is primum Soc. Iesu à Deo per B. P. N. Ignatium excitatam audiens, & institutum & finem eius intelligens, lætus aiebat, hoc ipsum esse, quod tanto ipse tot annorum desiderio ac conatu perficere studuisset, sed huc se pertingere non potuisse: proinde sese puero assimilabat, qui in imo monte consistens, graue quoddam pondus in ipsum subuehere quidem desiderabat, ac totis viribus suis ad hoc connititur; sed ob earum imbecillitatem id perficere nequit; at postea veniens gigas, hoc ipsum pondus, quod puer sustollere non potuit, corripit, & sine vllo negotio ac difficultate, quocumque loco voluerit, collocat. qua similitudine sese Auila ex humilitate puero, B. vero P. N. Ignatium valido gignanti comparabat. Quod vero ad propositum & scopum nostrũ facit, id est, quod tam ipse hoc opere per

Lib. 4. vit. B. Ignatii. c. 27.

per Ignatium perfecto gauisus sit & lætatus, quam si suis auspiciis Societas fuisset excitata. Nihil quippe in hoc ipso aliud desiderabat, quam puram Dei gloriam & animarum salutem. Quod qui faciunt, illi boni & fideles sunt Dei ministri, qui, vt ait Paulus, *non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Verus quippe Dei seruus tam sincere vnam Dei gloriam & honorem, & animarum salutem desiderare debet, vt cum hæc per alios peragi volet Deus, tam ipse gaudeat & contentus sit, quam si opera & auspiciis suis fierent. Vnde bonum id nonnullorum Dei seruorum fructus spiritualis & conuersionis animarum percupidorum exercitium est, sic Deum rogare, Vtinam Domine hic ad te conuertatur, hæc anima ad obsequium tuum transeat, vtinam fructus aliquis edatur, & quidem eius opera, quem ad hoc ipse applicare dignaberis! Ego enim nihil omnino mihi cupio asscribi. Hoc scilicet est in veritate & & sinceritate ambulare, vt non nostrum honorem & æstimationem, sed maiorem Dei gloriam & honorem quæramus.

Idem & de spirituali tum nostro, tum fratrum nostrorum profectu dicendum est. Dum enim quis fratrem magis magisque in Spiritu proficere, & in virtutum studio quotidie progredi, se vero in extremis hærere videt, & propterea contristatur, & animo deijcitur, is pure maiorem Dei gloriam non quærit. Nam etsi verus Dei seruus ex intimi cordis penetralibus dolere debeat, quod Deo tantum non seruiat, quantum aut deberet aut posset; inde tamen non sequitur eum, si videat alium magis quam se proficere, propterea contristari aut animo deijci debere; at potius quædam animæ eius dolenti & afflictæ quod Deo adeo negligenter seruiat, alleuiatio & solatium esse debet, quod videat, quamuis ipse præ negligentia non faciat quod debet, non deesse alios, qui quod ipse facere desiderat, abunde præstent, Deum & glorificando & seruiendo. Hæc porro quæ nonnullos occupat tristitia & pusillanimitas, ex amore proprio, aut ex aliqua superbia, aut latente quadam inuidia enascitur: Si quis enim serio maiorem Dei honorem & gloriam quærit, & propter eam ei seruire cupit, certum est magnam ei lætitiæ & gaudii occasionem fore, cum alios in virtutum & perfectionis studio multum & continuo progredi cernet, etsi ipse alia ex parte doleat & erubescat, quod tanto feruore & zelo obsequio eius se non dedicet.

Secundo, quando ita suum Religiosus officium imperataque à superioribus exequitur, vt non curet vtrum hoc sibi vel aliud præcipiatur; huic officio applicetur, an alii, sed tam hoc quam illud sibi complaceat; euidens id argumentum est, pure propter Deum sua ipsum exequi. Propterea namque hanc æqualitatem & indifferentiam omnibus in rebus habere studet, quod vnam Dei implere voluntatem satagat, nec in exteriori operum materia sistat. Si autem tam libenter humilia ac laboriosa ministeria non obeat, quam honorifica & aspera, signum euidens id est, ipsum non pure propter Deum id facere, sed seipsum, & consolationem & commoda propria in eo sectari. Vnde præclare vir ille pius: *Si desiderii tui causa esset Deus, gauderes, quo is cumque demum modo id ordinaret.*

Secundum signum puræ intentionis est indifferentia.

Thom. à Kempis.

Tertio, signum est non sincere propter Deum, sed ob respectus aliquos humanos Religiosum sua agere, quando ea quæ agit, & laborem omnem ~~suum~~ a superiore vult comprobari, rataque haberi vt is nimirum, vel aperte dicat, bene cum suo functum esse officio, aut signo saltem aliquo ac nutu illud sibi placere significet; & si nihil horum adfuerit, animum despondet & abijcit. Si autem pure tua propter Deum ageres, parum hæc inania curares, imo ne quidem ea intueri sustineres: sed potius confundi & erubescere deberes, quando quid tibi superior ostendit, tibi persuadens, eum propter imperfectionem & infirmitatem tuam taliter tibi condescendere; necnon de teipso conqueri ac dicere, Ah miserum & infortu-

Tertium signum puræ intentionis nolle à superiore laudari.

infortunatum me, qui tam in virtute sum debilis & flaccidus, vt his me necesse sit adminiculis animari & suffulciri!

Pratum spirituale. Abbas Ioannes iunior Thebæus, Abbatis Ammonis discipulus, vt in Prato spirituali traditur, duodecim ipsis annis cuidam de veteribus illis Patribus ægrotanti seruiuit: qui etsi opus suum sedulo & nauiter exequeretur, quotidieque ingentem laborem susciperet, nullo tamen est blando aut suaui à sene verbo compellatus, sed semper asperius habitus. Ergo cum iam senex ad vitæ extrema redactus esset, & multos eremitas, qui se inuiserant, circumstantes sibi cerneret, humilem ac patientem discipulum suum ad se euocat, eumque manu apprehendens tertio ait, Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum, Dominus maneat tecum; ac Patribus ipsum de meliore nota commendans, atque in filium tradens dixit, Non est hic homo, sed Angelus; quia etsi toto illo duodecennio. quo mihi ægrotanti seruiuit: nullum vnquam ex me amicum verbum acceperit, nihilominus semper mihi & libentissime & diligentissime seruiuit.

CAPVT XIII.

Quomodo in rectitudine & puritate intentionis crescere & proficere debeamus.

BEATVS Pater noster Ignatius singulari quadam ratione ac particularius nobis declarat, quomodo in hac intentionis rectitudine & puritate semper magis magisque proficere & vlterius progredi debeamus: *Omnes, inquit, rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res particulares omnes id semper in eis sincere spectantes, vt seruiant & placeant diuinæ bonitati propter seipsam, & propter caritatem, & eximia beneficia quibus præuenit nos potius, quam ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, quamuis hinc etiam iuuari debeant.* *3. p. Constit. c. 1. §. 26. & Reg. 17. Summarii.* Multi sunt Dei quærendi & seruiendi modi. Seruire Deo metu pœnarum, est Deum quærere, & quidem bonum; quia seruilis timor bonus est & Dei donum: vnde ipsum etiam à Deo Propheta postulabat, *Confige timore tuo carnes meas.* *Ps. 118. 120.* Si quis sic diceret, aut animo cogitaret, si non esset infernus, aut si castigari non metuerem, Deum offenderem; hunc Theologi timorem malum & peccatum esse docent: ex hoc enim colligas malæ eum voluntatis esse. *Timor Dei malus.* At timore pœnarum & mortis, & rigidi iudicii Deo seruire, & à peccando abstinere, laudabile est & salutare. Idcirco etiam sæpe nobis hæc sacra Scriptura ab oculos ponit & comminatur. *Timor seruilis bonus.*

Secundo, Deo seruire ob præmium gloriæ quam speramus, est etiam Deum quærere, & bonum, atque etiam melius quam primum. *2. Melior Mercenarii spes.* Melius quippe est sua agere spe premii & gloriæ, quam supplicii infernalis metu. Atque ita Moysen fecisse testatur Apostolus: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi aspiciebat enim in remunerationem.* *Hebr. 11. 24.* Et Psalmographus de se aiebat, *Inclinaui cor meum Domine ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem,* quam promisisti. *Ps. 118. 112.*

Omnia hæc bona sunt, vnde his etiam iuuari nos oportet, sed vlterius etiam progredi B. P. N. vult, animum sublimius efferre, & ad altiora aspirare. *Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* *2. Cor. 12. 31.* Satis namque illi non est, vt Deo qualitercumque seruiamus & quæramus, sed alium multo excellentiorem & sublimiorem modum nobis ostendit: *3. Optimus amor filialis.* Vult vtique nos Deo seruire & quærere propter Deum, pure, propter seipsum, propter infinitam eius bonitatem, eo quod sit is qui est: qui summus & eminentissimus est gradus.

In reg. fusior. Egregie rem hanc pertractant gloriosi Ecclesiæ Patres, Basilius, Chrysostomus, Gregorius; & eos qui spe premii à Deo dandi ei seruiunt, Simoni Cyrenæo assimilant: nam vt hic ad crucem Domini ferendam mercede à Iudæis conductus erat; sic hos ob præmium quod sperant; Deo seruire, & crucem Domini gestare. Docent quoque non debere nos anxie de remuneratione laborare, aut sordide more ingratorum seruorum mercedem supputare, hoc enim mercenarii potius esse & conductitii, vnicum stipendium spectantis, quam serui grati. Nos vero tali modo Deo seruire non debemus, sed, vt veros filios decet, ex puro amore. Magna, inquiunt, est inter obsequium quod reddit seruus, & id quod famulus conductitius, & id quod filius differentia; seruus quippe metu supplicii & flagrorum domino suo seruit; conductitius propter stipendium & mercedem, quam ab eo sperat; &, si in obsequendo nauus & impiger sit, non id alio intuitu facit, quam quod ab eo compensari & mercede maiori donari speret: at filius ex puro amore patri suo famulatur, seduloque cauet in eum delinquere, non tam timore supplicii, quia id filius, præsertim dum iam ætate grandior est, non metuit; nec tam spe præmii quod ab eo exspectet, quam ex puro amore. Proinde bene moratus filius, etsi pater pauper sit, nullasq; filio opes relicturus, ei tamen obsequenter seruit, & honorem defert, quia id ipse meretur, eo quod eius sit pater; denique nimis quam abunde obsequium & laborem sibi putat compensatum ac præmiatum, quod illi aliqualiter satisfaciat & placeat. Hoc nos modo Deo seruire Patres hi volunt, nempe non timore pœnarum vt faciunt mancipia, nec intuitu mercedis & stipendii quod speremus, vt mercenarii & qui in diem conducti; sed vt veri filii, cum hanc nobis gratiam præstiterit Deus, vt eius filii simus. Vnde Ioannes Apostolus ita scribit, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur & simus*; & vere Deum vocare nobis liceat patrem, & filium eius fratrem. Si ergo filii simus Dei, illum, vt filii, amemus & seruiamus, eum vt patrem, & talem quidem patrem, honoremus ac reuereamur, ex puro inquam amore, & vt Patri nostro cœlesti placeamus, & quia id ipse meretur eo quod sit is qui est, solum denique ob infinitam eius bonitatem, tametsi infinita etiam corda & corpora haberemus, quæ eius amori & obsequio possimus impendere.

Serui. Mercenarii. Filii.

Horum trium dispar affectus.

1. Ioan 3. 1.

Quocirca bene ait Chrysostomus: *Si omnino dignus fueris agere aliquid quod Deo placeat, & aliam adhuc præter hoc ipsum quod placere meruisti, mercedem requiris; vere ignoras quantum boni sit placere Deo. si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres.* Quod enim maius desiderare aut spectare possimus bonum, quam Deo placere ac satisfacere? Vnde Apostolus, *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Et S. Bonauentura, *Considera quod ipse benefactor tuus Deus ita tibi benefaciat, vt nihil à te repetat; nec te, nec aliqua creatura indiget*, nec vero solum nihil è nobis ipse commodi recipit, verum etiam nonnisi magno sub sumptu nobis benefacit, cum sanguinem & vitam eum necesse fuerit impendere. Simili modo nobis Deus amandus & seruiendus est, pure scilicet, & sine vllo commodorum propriorum intuitu. Ipsæ quoque virtutes & dona supernaturalia, non tam in vtilitatem & rem propriam, quam pure propter Deum, & ad maiorem eius gloriam, vt scilicet habeamus quid, quo Deo magis placere & grati esse possimus, nobis desideranda sunt. Ipsa denique gloria cœlestis non alio respectu nobis petenda est: adeo vt, cum cœleste animæ præmium, quod illi ob bonum quod egerit dabitur, proponemus, vt hoc eam pacto ad bene operandum animemus, ipsum vltimus finis & scopus noster esse non debeat, sed Deo magis

Lib. 2. de compunct. cord.

Eph. 5. 1.

tom. 2. opusc. in fasciculario c. 6.

magis propterea seruire & honorare velle nam quo plus gloriæ habuerimus, eo etiam Dominum magis honorare & glorificare poterimus.

Hoc itaque verus est amor caritatis, & verus ac perfectus amor Dei, hoc quoque est pure Deum & maiorem eius gloriam quærere: alia vero omnia aliud non sunt, quam quærere & amare nosipsos. Euidentius id quoque patebit ex differentia, quam inter amorem perfectum (quem amorem vocant amicitiæ) & amorem concupiscentiæ, Theologi & Philosophi Morales constituunt: quod ille amicum amet propter amici & virtutis bonum, & nullo ad propriam vtilitatem & commodum respectu: ad amor concupiscentiæ locum tunc habet, quádo quis non tam propter seipsum, quam ob commodum & vtilitatem, quæ ab eo in amãtem deriuatura speratur, amatur. Sicut amat qui opulento & potenti alicui famulatur, quod ab eo se beneficium aliquod sperat accepturum. Nemo vero non videt hunc perfectum amorem non esse, sed amoris proprii multum ei permixtum: nã hoc non tam est amicum amare, quam teipsum, & proprium emolumentum & vtilitatem. Sicut panem & vinum amore concupiscentiæ amare te dicimus, quia non tam ea amas propter ipsa, quam propter te, & in rem tuam. Atque hoc est amare teipsum. Hoc porro modo Deum amant & seruiunt, qui illi aut timore pœnarum, aut spe præmii dandi seruiunt: huic porro amori amoris proprii multum intermixtum est, nec pure sincereq; Deus sic amatur. Ita id significauit ipse Redemptor Iesus apud Sanctum Ioannem: cum enim illustri miraculo quinque hominum millia, non annumeratis mulieribus & pueris, quinque panibus & duobus pisciculis in agro pauisset, magna eum ideo hominum multitudo sequebatur, quibus ipse ait, *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis*; non quia me vt Deum habetis, sed quia commodum vestrum quæritis. At o*peramini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, ipsum inquam Christum pureque voluntatem Dei facere. Quam porro bene ille Dei seruus, de quo Gerson, diabolo respondit! Cum enim vitæ austeritate singulari esset, & in oratione assiduus, dęmon tot opera bona illi inuidens, & ab his eum distrahere cupiens; ei persuadere conatus est, illum de prædestinatorum numero non esse, dicens, Quid te tantopere affligis & emaceras? neque enim saluaberis, nec gloria donaberis. Tum ille, Equidem propter gloriam Deo non seruio, sed quia ipse est qui est. quo telo retusus dæmon, ilico confusus recessit.

Amor Amicitiæ & concupiscentiæ.

Amor concupiscentiæ amat seipsum.

Ioan. 6. 26.

Bernardus etiam plus exigit, vultque ita nos in operibus quæ agimus, omnis commodi & emolumenti obliuisci, & ab eo alienos esse, vt ne satis quidem ei sit filiali nos amore Deo famulari, sed vlterius etiam ascendere & longius progredi velit. *Amant*, inquit, *quidem filii, sed de hæreditate cogitant, quam dũ verentur quoquomodo amittere*, aut meliorari à patre sperant, *ipsum à quo exspectatur hæreditas, plus reuerentur, minus amant. Quare suspectus est mihi amor, cui aliud adipiscendi spes suffragari videtur: infirmus est, qui forte spe subtracta aut extinguitur aut minuitur; impurus est qui & aliud cupit. Purus autem amor mercenarius non est: purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.* Id est, qui purum amorem habet, non est necesse vt se spe præmii ad Deo famulandum & pro eo laborandum animet, imo tametsi sciret nullam omnino sibi post omnem laborem mercedem dandam, non propterea aut in laborando defatigaretur, aut ab eo desisteret, nam non tam emolumenti intuitu, quam ex puro amore laborare cœpit. Quis ergo erit amor hic tam sublimis & perfectus, vt filialem etiam transcendat & excedat? amor scilicet sponsæ erga sponsum, ait Bernhardus. Nam *verus* & perfectus *amor seipso contentus est, habet is præmium, sed id quod amatur*, & amatum amare,

Serm. 23. sup. Cantica.

Amor verus sibi ipsi præmium.

Lib. de dilig. Deo c. 3.

Amor sponsæ perfectissimus, eoque diligendus Deus.

eius est merces. Talis porro est amor spōsæ, vt quæ aliud non quærat, nec spectet, quam amare; nec sponsus aliud, quam amari *Nec is*, inquit, *aliud quærit, nec illa aliud habet*, hoc agit, & aliud nihil. Hoc itaque modo, ait Bernardus, nos Deum, qui amarum nostrarum sponsus est, amare par est, vt videlicet ideo eius amore inardescamus, quia ipse est is qui est, & ipse tota nostra voluptas sit & oblectatio. Hoc amore amans contentus est, *is per se ei sufficit, is per se placet, & propter se: ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum: fructus eius vsus eius, amo quia amo, amo vt amem.*

Serm. 86. in Cantica.

Addit his præclare Chrysostomus: Nolito putare, quod præmium & commodū tuum non attendas, idcirco ipsum minus futurum aut indignus, quin imo tibi persuadeas velim, ipsum propterea illustrius & maius fore: nam quanto minus lucrari cupieris, tanto magis lucraberis. Certum est namque, quo opus aliquod ab omni emolumenti prætensione alienius fuerit ac remotius, eo ipsum & purius ac perfectius futurū; quia tunc nihil amoris proprii eidem permistum erit, ac consequenter magis meritorium futurum est: *atque*, inquit Chrysostomus, *eo tibi maior futura merces est, quo ab omni mercede & vtilitatis spe es remotior, & purius Deo placere cupieris; & quo à spiritu mercenarii distabis longius, eo præmium futurum amplius.* Neque enim tibi, vt mercenario, stipendium persoluet sed vt filio, qui ex asse oēs patris sui thesauros hæreditaturus est. *Si autem filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes &* fratres *autem Christi* erimus; quia vna cum ipso in sortem veniemus, patris nostri qui in cælis est, bona & facultates hæreditantes & possidentes. Filia Pharaonis præmium quidem & stipendium persoluebat matri Mosis, vt proprium ipsa filium educaret; at hoc mater non tam præmii & mercedis pecuniariȩ intuitu, quam ex puro quo ipsum prosequebatur amore faciebat.

Homil. 5. in Epist. ad Rom. circa finem.

CAPVT XIV.

De tribus perfectionis gradibus, per quas ad magnam intentionis puritatem, & feruentem perfectumque Dei amorem ascendemus.

Ex communi omnium sanctorum Patrum, ac speciatim S. Bernardi doctrina tres perfectionis gradus colligere possumus, per quos ad magnam quis intentionis puritatem, & ingentem perfectissimumque Dei amorem queat pertingere.

Tres gradus perfectionis in Puritate intentionis & vero amore Dei.

Primus est, quando solum vnius Dei gloriā spectat & quærit, adeo vt in omnibus quȩ agit, vnica eius & omnis voluptas sit in Deo, atq; adeo omnium rerum mūdanarum obliuiscatur. Vnde S. Bernard. Certum; inquit, habere signum cupis, nū ardenter Deū ames, & in hoc amore magis magisque proficias, prout quidem in hac vita id cognosci potest? Vide nū quid extra & præter Deum sit, quod te consolari & recreare possit, atque inde cognosces, quantum in Dei amore profeceris & creueris. *Certe quamdiu*, inquit, *possum ex aliena qualicumque re consolationem vel iucunditatem concipere, nondum audeo dicere, dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum tenere.* Atque hoc etiam denotant illa S. Augustini verba, *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Amor porro hic tam singularis & excellens non erit, quam fuit sanctȩ illius Reginæ, quæ in pomparum ac magnificētiȩ regalis medio constituta sic Deum cōpellabat, *Domine tu scis, quod nunquam læta sit ancilla tua ex quo huc translata sum*, vel corona, vel maiestate, vel apparatu regio, vel ferculis Assueri, vel vlla re alia quā regia suggerit, *vsq; in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.* Is demum perfectus & singularis amor est.

tract. de interiori domo c. 69.

Primus spectare. Omnia terrena præ Deo despicere.

Li. 10. Confes. c. 29.

Esth. 14. 18.

S. Greg. in illud Iob, *Qui ædificant sibi solitudines*, scribens, Hic, inquit, sibi solitudines ȩdificauit, qui ita ab omnib. creaturis liber & dissolutus est, & ita omnem erga

erga terrena quælibet affectum & amorẽ perdidit, vt, quamuis inter vniuersas quæ in mundo sunt recreationes atq; oblectationes versetur, semper tamen quasi solus sit quia nullæ plane eũ reficiunt, vel consolationem adferunt. Quod enim omnẽ voluptatem suam in solum Deum defixã habeat, hinc nullam illi res vlla creata societatem adfert, aut delectationem. Hoc ipsum etiam in mundo quotidie experimur. Cum enim quis amicum habet, erga quem toto affectu ac desiderio feratur, si is ab illo abfuerit, etsi alioquin plures alii apud ipsum agant, nescio quam solitudinem sentire, & plane solus esse videtur, quia vnus is erat, qui illi voluptatem afferre poterat. Sic qui omnem secum affectum & delectationem in solo Deo posuit, & noxium erga creaturas amorem exuit, etsi inter multos homines agat; & in medio omnium quas mundus habet recreationum & voluptatum versetur, solus agit; quod hæc ipsum neutiquam reficiant; at solus is, quem amat. Qui, inquit, Gregorius, huc peruenere, magnam in anima sua quietem & tranquillitatem sentiunt: nihil siquidem est quod eos vel angat, vel inquietet: hinc nec aduersis turbantur, nec prosperis euanescunt, aut efferunt, neu vana quadam lætitia & delectatione ab eadem efferuntur Nam vt erga nullam rem quæ mundi est, amore & affectu rapiuntur, ita nec earum vicissitudine, mutationibus ac successibus mutãtur & inquietantur, aut de statu mentis abripiũtur, neue vllo modo ab eis dependent, quod eas parui pendant. Nostin', inquit Gregorius, quis huc peruenerit, quis hanc sibi solitudinem construxerit? Is, qui dicebat: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Nihil quippe aliud homini tam in cælo quam in terra requirendum aut desiderandum est, quã tu solus Domine. Et nunc quæ est exspectatio mea, nonne Dominus? Huc quoq; peruenerat Abbas ille Siluanus; nam dum is ab oratione surgebat, tam illi terrena omnia vilia, parua, & contemptibilia videbãtur, vt oculis manus opponeret, ne ea videre cogeretur, & se ipse alloquens, diceret, Occludimini oculi mei, occludimini, & mũdi huius pulchra nolite intueri. nihil quippe is habet; quod vel visu dignum sit. Idem quoque de P. B. N. Ignatio scriptũ est: quoties enim corde ad Deum sublato cælum intueretur, è tenero affectu exclamabat, *Hẽ quã sordet terra, dũ cælũ aspicio!*

Tres gradus perfectionis in Puritate intentionis & vero amore Dei.

tract. de interiori domo c. 69.

Gregor. vbi supra.

Primus spectare. Omnia terrena præ Deo despicere.

Li. 10. Confess. c. 29.

Esth. 14. 18.

Psal. 26 4.

Psal. 38. 8.

li. 1. c. 2. Vitæ.

Secundus gradus esse potest is, quem S. Bern. habet in tractatu, quem de amando Deo conscripsit: quando videlicet homo non modo exteriora omnia, verum etiam seipsum obliuiscitur, nõ aliter se amãdo, quã in Deo, per Deum, & propter Deum. Adeo quippe nostri ipsorũ, necnõ omnis cõmodi proprii & vtilitatis debemus obliuisci, Deumq; tã pure perfecteq; diligere, vt ob bona quæ de manu eius accepimus, cũ gratiæ, tũ gloriæ, non tam lætandum & gaudendum nobis sit quod in nostrũ ea bonum & vtilitatẽ cedant, q̃ quod hoc pacto volũtas & beneplacitũ Dei adimpleatur. Sic Beatos in cælo facere constat, vtiq; plus de volũtatis diuinæ adimpletione, quã de gloriæ qua fruũtur, magnitudine gaudeates: tantum quippe & tã pure hi Deum amãt, ita in eũ trãsformati sunt, tã voluntati eius vniti, vt, quã possident gloriam, & beatam quæ eis obligit, sortem, non tam possidere velint ob bonũ quod ipsis inde sequitur, nec ob delectationem ex ea emergentem, quam quod placeat Deo hanc ipsis concedere, & hæc eius sit voluntas Hoc, ait Bern. modo nos Deũ diligamus oportet, vti fecisse liquet eum qui dicebat, *Confitemini Domino quoniam bonus:* non enim ait, *quoniam mihi bonus est*, sed tantum, *quoniam bonus.* Non amat, nec laudat Deum quoniam sibi bonus est & benefactor, vti alius ille faciebat, de quo ipse canit, *Confitebitur ei cum benefeceris ei*; sed ideo eũ amat & celebrat, quia bonus est in se, quia est is qui est, denique propter infinitam eius bonitatem.

Secundus gradus seipsum præ Deo despicere.

Psal. 117. 1.

Psal. 84 19.

Tertius & supremus perfectionis & amoris diuini gradus, vt ait Bernardus, est, *quando iam quis operatur, non vt ipse Deo placeat, sed quia placet ei Deus, vel quia*

Tertius gradus Operari, non vt placeat Deo, sed quia tibi Deus & opus tuum Deo placet.

quia placet Deo quod operatur: adeo vt solum Dei voluntatem, beneplacitum, & delectationem in opere suo spectet, suiipsius vero penitus obliuiscatur, nec plus seipsum hic æstimet, quã si in mundo non esset, nec vnquam fuisset. Huic purissimus & perfectissimus Dei amor est; Bernard. de dili. Deo c. 7. *amor iste mons est, & mons Dei excelsus, reuera* Psal. 67. 16. *mons coagulatus, mons pinguis*, abundans, fertilis, & magnam atque eminentem quandam perfectionem continens. Hæc namque intelligitur per vocem *mons* Dei, res scilicet valde excellens, & admodum Psal. 23. grandis. *Quis* vero *ascendet* in hunc *montem Domini* tam altum? Psal. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Ah me miserum (ingemiscit Sanctus Bernardus) quod in hoc vitæ exilio penitus mei obliuisci nequeam! Rom. 7. 24. *Infelix ego* Isa. 38. 14. *homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Domine vim patior, responde pro me.* quanto totus moriar mihi, & solum viuam tibi? Psal. 119. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus* Psal. 41. 3. *prolongatus est! quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ah, quando ab hoc exilio eripiar? quando totus tibi Domine vniar, & per amorem in te transformabor? quando penitus à meipso alienabor, quando obliuiscar mei, quando vnus tecum fiam spiritus; vt iam nihil in me, & propter me amem, imo ne quidem meipsum, sed omnia in te, & propter te? *Te enim quodammodo perdere tamquam qui non sis, & omnino non sentire teipsum, & à temetipso exinaniri, & pene annulari, cælestis est conuersationis, non humanæ affectionis.* Atque Psal. 70. 16. ita dicebat Propheta, *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.*

Quando itaque seruus bonus & fidelis intrabit in gaudium Domini sui, & ab vbertate amoris eius inebriabitur, tunc ita in Deum absorpti & transformati erimus, vt nostri ipsorum omnem simus memoriam 1. Ioan. 3. 2. depositur: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* tunc inquam Deo similes erimus, & creatori suo creatura plane cõformis erit. Nam, sicut in Scriptura Deus omnia propter se & gloriam suam cõdidisse dicitur: ita tunc ipsi pure Deum, non aliter vero nosipsos, neu quid aliud, nisi in Deo, amabimus. *Delectat sane non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas; quam quod eius in nobis, & de nobis voluntas adimpleta videbitur.* Omne deniq; gaudium nostrum non tam in voluptate & gaudio nostro, quam in gaudio & oblectatione Dei situm erit. Atque hoc demum est *intrare in gaudium Domini.* Matt. 25. 21.

Quapropter bene exclamat S. Bernardus: *O amor sanctus & castus! ô dulcis &* De diligen. Deo. c. 7. *suauis affectio! ô pura & defæcata intentio voluntatis! eo certe defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur: eo suauior & dulcior, quo totum diuinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est*, & in Deum transformari, & quod Ioannes ait, Deo similem esse. Tres porro idem Bernardus, ad declarãdum quo modo tunc defæcandi, & in Deum transformandi simus, adducit similitudines. Sicuti, inquit, gutta quędam Similitudo prima. aquæ in magnum vini dolium conjecta, omnem suam naturam, proprietatem, & qualitatem amittit, & vini colorem & saporem induit; sicut item ferrum in fornace candefactum & ignitũ, non iã Secunda. ferrum videtur esse, sed ignis: Deniq; sicut aer à sole illustratur, ita in claritatem & Tertia. splendorem trãsit, vt ipsamet claritas esse videatur: ita nos in cælesti beatitudine omnem penitus proprietatem & qualitatem humanam amittemus, & plane deificabimur, & in Deũ transformabimur: nã quidquid ibi amabimus, erit Deus, & propter Deũ. *Alioquin quomodo erit*, vt ait Apostolus, *Deus omnia in omnibus, si in homine de homine quidquam superererit?* Nihil ibi erit nostrum, quia omnis nostra gloria 1. Cor. 15. 28. & voluptas, erit gloria & voluptas Dei, non nostra. *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum.* Psal. 3. 4. nec in nostro tunc bono & gaudio quiescemus, aut sistemus, sed omnis nostra requies & gaudium in solo futurum est Deo. Etsi vero hic in terra viuentes, eatenus pertingere neque-

nequeamus, oculos tamen in illud coniiciamus oportet; quia quo longius progrediendo, ad id accedemus propius, eo maior nostra futura perfectio est & vnio cum Deo. Quare ita rem omnem vir sanctus concludit: *Hæc est, ô Pater, in nobis voluntas Filij tui, hæc pro nobis oratio eius ad te Patrem suum*, cum ex hac vita decederet, vt, sicut ipse vnum tecum est, ita & nos tam cum ipso, quam tecum in vnione perfecti amoris idem simus, *vt scilicet amemus te propter te. & nos nonnisi in te. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu sancto, hoc est silentium in cœlo.*

Lib. de amore Dei, c. 4. — *Ioan. 17. 21.*

TRACTATVS QVARTVS.

DE VNIONE ET CHARITATE fraterna.

CAPVT PRIMVM.

De pretio, valore, & excellentia charitatis & vnionis fraternæ.

Psal. 132. 1.

ECCE *quam bonum*, inquit Psaltes, *& quam iucundum habitare fratres in vnum!* quàm decora pulchraque est vnio & conformitas fratrum! Hieronymus hunc Psalmum exponẽs, Religiosis in vna Religione & congregatione viuẽtibus eum proprie conuenire asserit: *Vere bonum, vere iucundum: vnum fratrem hic in mundo dimisimus, & ecce quantos in Religione*, qui nos ament, & melius quam fratres carnales, erga nos affecti sint, *inuenimus. Frater meus sæcularis*, inquit, *non tantum me amat, quantum meam substantiam.* Atque hoc est, quod consanguinei & cognati præcipue spectant, nos amando: suum nimirum duntaxat quærũt commodum, ob id vnũ nos consectantur, ob hoc item nos inquietant, & hoc si desit, parum nos curant & quærunt. Non est id proinde verus tui amor, sed proprii emolumenti studium. *Cæterum fratres spirituales, qui sua vtique negligunt*, & propter Deum deseruere, *aliena non quærunt*; nam non ambiunt substantiam, sed animam. atque is demum verus est amor. Vnde bene Ambrosius: *Maior est fraternitas Christi quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.*

Fratres sæculares non Te, sed sua quærunt. — *Serm. 9.* — *Act. 4. 32.*

Arctam hanc Religiosorum vnionem coniunctionemq; egregie depingit sanctus Basilius: Quid, inquit, dari fingique potest iucundius, quid beatius, quid felicius, quid admirabilius, quam *homines ex diuersis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo in vnum veluti coaluisse, vt in pluribus corporibus vnus modo esse animus videatur, vicissimque plura corpora mentis vnius instrumenta cernantur.* Atque hoc est, quod nonnisi magna cum admiratione in vita B. P. N. Ignatij legimus, & velut miraculum, quod in Societate nostra Deus est operari dignatus, suspicimus, tantam scilicet inter homines adeo diuersarum nationum, & natura & statu, tum indole, ingenio, & conditione ab inuicem dispares & differentes vnionem & conformitatem: quamuis enim in rebus naturalibus toto cęlo distent, gratia tamen & vir-

Cap. 19. Const. monast. — *Lib. 5. vitæ, c. 13.*

tutes, & dona supernaturalia eos mire conformes & vnos efficiunt. Atque hoc est, quod indicare his Propheta verbis voluit: *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* [Psal.67.7.] Tam late porro hocce beneficium, quod Deus (quę eius bonitas & misericordia est) in hoc nobis contulit, patet, vt nō solum ipsi, qui in hac Religione velut domestici agimus, eo gaudeamꝰ; sed etiam ad exteros, magna cum illorum ædificatione & emolumento, nec nō magna Dei nostri gloria, huius odor spargatur ac se diffundat. Vnde etiam multi Societatem ineuntium, dum quid eos ad hanc præ alijs Religionibus capessendam mouerit & induxerit, rogatur, illa, quam in ea notant, vnione & fraternitate maxime se permotos fuisse respondent. Bene autem hæc concordant cum eo, quod in superiora illa Psalmographi verba, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum!* scribit Augustinus: *Verba, inquit, ista Psalterij, iste dulcis sonus, ista melodia etiam Monasteria peperit,* iuuenes parentibus valedicere, facultates relinquere, & in Religionis portum confugere compulit. Hæc tuba est, quæ eos conuocauit, & è varijs mundi partibus in vnum corpus sociauit, sibi persuadentes, hanc fratrum ad inuicem vnionem & charitatem cœlestis cuiusdam vitæ speciem esse. Hæc Monasteria primum produxit, Religiosas domos repleuit. Illa charitas etiam ceu magnes est, quæ omnium hominum corda ad se attrahit. Vnde etiam inter tria illa, quæ coram Deo & hominibus probata esse, ait Sapiens primum locum occupat concordia fratrum. [Ecclesi.25.1.]

In Societate Iesu viget fraterna charitas.

Duo charitatis huius præcepta habemus. Primum est, Maximum & primum illud Dei ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, ex totis viribus nostris diligendi, mandatum; [Matt.22.38.] secundum vero huic simile, vt proximum diligamus sicut nosmetipsos. De secundo hoc præcepto in præsens tractabimꝰ, quia ipsum est, quod hanc vnionem & fraternitatem, de qua loqui statuimus, facit. Hæc autē animorum & cordium vnio, charitatis huius & amoris effectus & proprietas est: nam, vt ait Magnus Dionysius, vnum alteri iungendi & colligandi vim habet; [Cap.4. de diuin.nom.] vnde etiam ab Apostolo dicitur vinculum perfectionis, [Coloss.3.14.] vtpote quæ ea, quæ ab inuicem diuulsa sunt, connectit & combinat, & è multis voluntatibus vnam tantum conflat, & efficit, vt quod mihi volo, etiam alijs velim, tantumque eis boni optem, quantum mihi ipsi, & amicus sit alter ego, & ego alter ipse, & ambo nonnisi vnum quid. Vnde etiam Augustinus dictum eius comprobat, qui amicum *animæ dimidium* suæ, id est, animam in duo corpora dispertitam, appellabat. [Lib.4. confess. c.6.]

Vt vero charitatis & dilectionis huius erga proximum valorem & excellentiam, quantique à Deo ipsa fiat, videamus, ab vltimis illis CHRISTI verbis supra indicatis incipiamus. [Matt.12.38.] Notat autem bene circa hæc Chrysostomus, Dominum IESVM, magno & primo illo mandato, de amore Dei iam dato, statim subiunxisse, [Hom.25 sup. epist ad Rom.] secundum de amando proximo mandatum primo simile esse. Nota, inquit, miram Domini nostri bonitatem & benignitatem: etsi enim homo infinito quodam interuallo à Deo distet, tali eum nihilominus amore à nobis diligi vult, qui sit amori, quo diligendus est Deus, quam proximus ac simillimus: atque ideo eandem prope in amore ꝓximi, quam in amore Dei, mensuram præscripsit. Deum quippe iubet vt ex toto corde & tota anima diligamus; proximū vero sicut nosmetipsos. Atque sicut, dum cuipiam in mundo beneuolumus, eumque etiam atq; etiam alteri commendare cupimus, dicere solemus; Hunc si dilexeris & foueris, me diliges: Ita, inquit Chrysostomus, hic dixisse videtur Christus, dum ait: *Secundum autem simile est huic,* id est, si ames proximum, amabis Deum. atque hoc est, quod Petro alias ait: *Si diligis me, pasce oues meas;* [Ioan.21.17.] perinde ac si diceret, Si ames me, curam gere meorum; hinc enim patebit, vtrum diligas me.

Vult

Vult præterea Dominus, vt eodem proximum amore diligamus, quo ipsum amamus. atque hoc est nouum illud mandatum, quod Christus nobis præscripsit, dicens: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: vt enim Christus nos pure per Deum, & propter Deum dilexit; sic & à nobis proximum per Deum & propter Deum amari cupit. Ideo vero id, inquit Augustinus, nouum mandatum appellatum, non solum quia noue nobis fuit à Christo explicatum, & noue verbo & exemplo commendatum, verum etiam, quia vere quidam nouus est amor, quem à nobis hic exigit. Amor quippe naturalis in carne & sanguine, in respectibus humanis, & proprijs & particularibus commodis fundatus, admodum vetus & antiquus est: & amore hoc inuicem diligunt non tantum boni, sed & mali; nec soli homines, sed & animalia. Dicit enim Sapiens: *Omne animal diligit sibi simile*: sed amor, quo proximum & fratres nos diligere iubet Christus, nouus est, quia spiritualis & supernaturalis debet esse, vt scilicet proximum propter Deum, & eodem, quo Deum amamus, amore diligamus Atque ideo Theologi & Patres docent, vnam eandemque charitatem & virtutem esse, qua Deum diligimus propter Deum, cum ea, qua proximum propter Deum; & addunt, quemadmodum, dum Deum diligimus, ipsa Theologia quædā virtus est, id est, diuina, & quæ Deum in scopum & obiectum habet: ita quoque hanc Theologicam & diuinam esse, quando diligimus proximum, quia eum amamus propter Deum (id est, quia infinita Dei bonitas digna est, quæ propter seipsam ametur) & quia propter illam proximum etiam diligimus.

Ioan. 13. 34. *Tract. 65. in Ioan.* *Lib. 4. confess. c. 6.* *Amor carnis antiquus.* *Amor spiritus nouus.* *Eccl. 13. 29.*

Nihil denique in sacra Scriptura reperiemus aut studiosius inculcatū, aut pluribus verbis commendatum, aut sæpius repetitum, quam hoc vnionis & fraternæ charitatis præceptum. Vnde etiam ipse Redemptor IESVS, iamiam ex hoc mundo discessurus, hanc in vltimo illo Cœnæ sermone, semel atque iterum identidem commendauit. Nam cum dixisset: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, ilico denuo subiungit; Hæc vltima mea voluntas, & *hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Vt hinc scilicet videamus quantopere, vt hoc cordibus nostris insculptum & impressum esset, voluerit: sciebat enim, quanti nostra hoc interesset, atque adeo vniuersam legem, ac reliquorum præceptorum obseruationē & adimpletionem ab hoc vno dependere, iuxta illud Apostoli: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Hinc quoq; dilectus ille eius discipulus hanc doctrinam videtur hausisse; quam adeo profunde cordi suo insculptam habuit, vt præter hāc in Epistolis suis Canonicis aliud nihil tractare videatur, quod illā ex Domini sui vberibus suxerit. Quin etiam, vt de eo refert Hieron. cum iam ita senuisset, vt Ecclesias & collectas per se adire non posset, sed ad eas inter discipulorum brachia deferretur, aliud nihil in iisdem inculcabat, quam, *Filioli, diligite inuicem.* quam iteratam toties doctrinam cum discipuli vix sine nausea audire possent, dicebant: Magister, cur semper idem hoc nobis inculcas, ac repetis? respondit (vt ait Hieronymus) dignam Ioanne sententiam; *Quia præceptum Domini est, charissimi, & si id solum fiat, sufficit. Omnis enim lex in vno sermone impletur, Diliges proximum sicut teipsum*, & hanc si obseruemus, omnes obseruabimus.

Ioan. 15. 12. & 17. *Rom. 13. 8.* *Hiero in com. ad Gal. 6.* *Gal. 5. 14.*

Minutim hoc & sigillatim examinans Augustinus, ait: *Tantum pondus præcepti in ea sententia Dominus constituit, vt diceret: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nec vero Christus Dominus hic stetit, sed & vlterius progressus est: nam in illa quam ad Patrem fudit oratione, quam decimoseptimo Euangelij sui capite refert Iohannes, non solum charitatem hanc signum & notam esse vult, è qua eius esse discipuli cognoscamur, sed etiā tanta omnes inuicem vnione & fraternitate coniungi, vt hæc vna satis sit, ad

Lib. 83. quæst. q. 9. 71. *Ioan. 13. 35.*

mundo fidei ac Religionis nostræ veritatem, & Christum Iesum, vnigenitum Dei Filium esse, persuadendum. Quod quam maxime D. Chrysostomus ponderat: *Non pro discipulis meis*, inquit, *tantum rogo* te, Pater æterne, *sed & pro eis, qui credituri sunt per verbũ eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quia tu me misisti.* Anne vnionis & fraternitatis huius excellentia altius extolli, & magis exaggerari queat, cum vna ipsa satis sit, & satis esse debeat, vt mundus fateatur ipsam quendam Filij Dei in mundum aduentus effectum esse, vtque ipse doctrinam eius & Christianam Religionem gratanter & vltro suscipiat.

Homil. 8. in Ioan.

Quam quæ dico vera sint, quantique ponderis, colligi potest ex eo, quod S. Pachomio contigit. Hic enim cum adhuc Gentilis in castris Constantini Magni militaret, & necessario ad vitã commeatu ita deficiente, vt fame prope emoreretur, vna cum comilitonibus quibusdam oppidum quoddam ingressus esset, tam copiose in eo & hilariter tanta caritate omnia vitæ subsidia sibi vidit suppeditari; vt admiratus Pachomius quæreret, quænam gens ea foret tam ad benefaciendum propensa? Audiuit eos Christianos esse, quibus pro more esset peregrinos omnes passim recipere, iisque quo possent modo succurrere, & benefacere. Quo audito, statim se ipse ad institutum illud vitæ amplectendum interius permoueri sensit: quare manib. ad cœlũ sublatis, & Deum in testem aduocans, Christianis spopondit accessurum. Fuit illi itaque caritas hæc, vt se conuerteret, sibiq; illam veram fidem & Religionem esse persuaderet, motiuum & occasio.

Baron. tom. 3. p. 144. & apud Metaphrast. 14. Maij.

Addit porro Redemptor & aliud, permagnæ nobis omnibus consolationi futurum: *Et cognoscat*, Pater, *mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.* Vnum de præcipuis signis, è quo colligatur, peculiari quodam Deum affectu erga congregationem aliquam ferri, eamque amore quodam eximio, singulari, priuilegiato, & quasi Filium suum vnigenitum diligit, diligere, est, quod ei hãc vnionis & mutuæ fraternitatis gratiam ac donum cõcedat, quemadmodum eum illã in primitiua Ecclesia dedisse & communicasse videmus iis, qui primitias spiritus habebant. Quare bene S. Iohannes ait: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Et Dominus ipse testatur: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* quid futurum igitur, vbi tam multi in eius nomine, & ex amore eius, congregabuntur? Itaque vt tam amplis bonis gaudeamus, vtque euidentissimum hocce pignus, quod Deus inter nos versetur, nosque peculiari quodam affectu prosequatur, habeamus, demus omnem, quam possumus, operam, vt charitatem & vnionem hanc semper integram vegetamque conseruemus.

Ioan. 17. 23. *1. Ioan. 4. 12.* *Matt. 18. 20.*

CAPVT II.

Quam hæc nobis vnio & charitas necessaria sit; & quædam eius conseruandæ media proponuntur.

APOSTOLVS Paulus Colossensibus scribens, ad omnigenas quidem virtutes eos cohortatur, ad charitatem tamen quammaxime: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, & virtutes omnes conseruat & animat; nec non Apostolus Petrus in prima sua Canonica: *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.* Vnde perspicere licet, quanti hæc charitas & vnio sit momenti, cũ Apostoli hi & Ecclesiæ Principes tam eã studiose cõmendent, vt dicant *ante omnia* & *super omnia* eam esse comparandam: vt eam pluris semper quam reliqua omnia faciamus.

Coloss. 3. 14. *1. Pet. 4. 8.*

Principio quidem, quam ea omnibus in genere Religiosis sit necessaria, facile inde perspici potest, quod nulla penitus sine vnione & animorum conformitate sub-

subsistere possit Religio; nec solum Religio, imo ne quidem congregatio vlla aut communitas esse queat, in qua non aliquis vnionis & ordinis vigeat modus. Aufer quippe ipsam à multitudine quapiam connexionem & vnionem, quid illa erit, nisi mera quædam Babylon, confusio & turbatio? Et prouerbio dicitur, *Vbi est multitudo, ibi est confusio*, quando nimirum multitudo ordine & vnione caret: nam si ordinata ea & vnita sit, quædam potius hierarchia est. Omnes proinde congregationes & Respublicæ, tametsi barbarorum aliqua semper vnione & ordine inuicem colligantur; vt nimirum ab vno omnes capite, aut multis Rempublicam ac regimen repræsentātibus, dependeant. Hoc & in ipsis animalibus cernere est: nec solum in apibus; in illis quippe naturalis instinctus, quem ad regimen politicum habent, inprimis est admirabilis, verum & in lupis, leonibus, alijsq; feris. quod enim speciei suæ quæque conseruationem quærāt, hinc semper aliqua inter se vnione connectuntur; nam si ab inuicem dissentirent ac diuiderētur, tandem perirent, & esse paulatim desinerent. Ipsos etiam Dæmones, etsi spiritus sint dissensionis & zizaniorum, vel ipso Christo teste, minime credendum est, hac ipsa de causa ab inuicem dissentire, & inter se diuidi. *Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius?* (Luc. 11.18.) Atque in rei huius confirmationem adducit aphorismum & principiū illud in politicis adeo certum & vsitatum, (Ibid.) *Omne regnum in seipsum diuisum*, exterioribus opus non habet inimicis, vt destruatur ac pereat, sed ipsum à suis membris ab inuicem diuulsis *desolabitur, & domus supra domum cadet.* Vnde etiam Plato docet, nihil afferri posse Reipublicæ periculosius, quam discordiam & dissensionem; nihil econtrario dari vtilius, quam mutuam ciuium inter se pacem & consensionem. Idem S. Hieronymus de religiosa congregatione, & quidem maiori efficacia, asserit: (In regul. monach.) *Hæc* (charitas) *Religiosos, hæc monachos facit: sine hac cœnobia sunt tartara, habitatores sunt dæmones*; quis enim dirior & exosior dari tartarus queat, quam cum semper corpore illos coniungi, & inter se quotidie agere oporteat, animo tamen ac voluntate ab inuicem dissentire? *cum hac* (charitate) *vero sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli*: quod iam tum in hoc mundo ea pace & quiete frui incipiant, qua illi in cœlo potiuntur. Confirmat id ipsum Basilius: *Hi*, inquit, *vita diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur: nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuersia.* (In Constit. monast. c.19.) Sanctus Laurentius Iustinianus denique nulla re in terra melius cœlitum & cœlestis illius Hierusalem vnionem congregationemq; ait repræsentari, quā Religiosorum in amore & charitate vnitorum cōgregatione & collectione. Hæc quippe vita angelica est, vita cœlestis; & vere *Dominus est in loco isto, neque est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* (Gen. 28.16.)

Sed à necessitate generali ad particularem veniendo, ostendamus iam, quantopere nobis Socijs hæc animorum vnio & fraterna charitas necessaria sit. Beatus noster Pater de medijs, quibus Societas & conseruanda, & in bono suo spirituali profectura sit, agēs, hanc vnionem & fraternam ad inuicem charitatem, permagnum ad hoc, ait, præ alijs rebus pondus allaturam, & insigni adiumento futuram. Et præter rationes generales, quæ vnionem hanc cuilibet & qualicunque Religioni ac communitati necessariam esse conuincant, sunt aliæ particulares, è quibus videre sit hac nobis magis quam alijs opus esse. Quarum prima sit hæc, quod Societas quidam manipulus sit ex ijs cōflatus militibus, quos Ecclesiæ suæ in eo, quod aduersus mundum & tartareas potestates ipsa suscepit bello, in subsidium & suppetias, vtque multas cœlo animas assereret, his vltimis temporibus Deus submisit. hoc etiam instituti nostri forma & ratio à nobis exigit, hoc etiā est, quod in bulla confirmationis & erectionis Societatis nostræ omnibus proponitur: (Bulla Iulij 3. anno 1550.) *Quicunque*, inquit Pontifex, *vult sub cru-*

tis vexillo Deo militare, & soli Domino & Ecclesiæ ipsius sponsæ seruire, &c. Hoc quoque ipsum Societatis nomen per se indicat: militũ quippe eã turmam sonat, hinc tympana pulsamus, vexillum in altum erigimus, copias, quæ aduersus inimicos crucis Christi generose decertent, colligimus, si vero acies hæc optime vnita, & bene ordinata fuerit, vt nimirum bellatores omnes vnum velint & spectẽt, ipsas etiam petras durissimas perfringet, ipsam vero nihil lædet aut dissoluet. Atque inde est, quod Ecclesiam ipsam Spiritus sanctus aciei bene ordinatæ, & ob condensationem omnibus terribili comparet. nihil enim hanc potest perrumpere, nullusque ad eam aditus patet; vnus quippe miles alium defendit: at vbi semel eius franguntur & turbantur ordines, nihil ea debilius, hosti irrumpenti cedit, statimque dissoluitur & profligatur. Dauid Rex indicaturus hostes se suos deuicisse, ait: *Diuisit Dominus inimicos meos coram me, sicut diuiduntur aquæ:* atque hinc etiam montem, in quo hæc dispersio contigit, *Baal pharasim*, id est, locum diuisionis, appellauit Adeo vt idem omnino sit vincere, quod dispergere ac diuidere, & idem locus diuisionis, quod locus victoriæ. Vnde qui de re militari scribunt, multitudinem, quę inordinata sit, ad victimam tendere potius, quam ad pugnam, docent. Nihil siquidem in castris ac disciplina militari exactius aut studiosius obseruatur, quam vt acies & ordines non frangantur, dissoluanturve, sed semper integri, vniti, ordinati conseruentur; sequentes ad anteriores attendant, & suam quisque stationem tueatur.

Cant. 6.3.

Vegetius.

Charitas fraterna nõ communitati modo, sed & singulis prodest.

Nec vero solum commune totius exercitus, sed etiam priuatum militis vniuscuiusque bonum ab hac ordinum debita conseruatione dependet: nam perditis & solutis ordinibus, etiam miles ipse profligabitur ac peribit. Eodem plane modo in hac nostra Societate, & hac bene ordinata acie continget: si enim vniti simus, alter alterum serio iuuemus, & in vnum simul omnes scopum collimemus, vniuersos hostes nostros profligabimus, à nullo vero ipsorũ vincemur aut lædemur. Nam de hac fratrum vnione Sapiens ait: *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et alio loco: *Funiculus triplex*, aut multiplex, *difficile rumpitur*. Parui illi funiculi, è quibus neruus arcus maioris contortus est, paruæ, aut fortasse nullius singulatim sumpti sunt duritiei, & potentiæ, iunctos vero & simul tortos videmus durissimam ferri laminam adducendo incuruare. Tales haud dubie ipsi erimus, si vniti simus, & vnius omnes animi.

Prou. 18.19.

Eccl. 4.12.

Ad hanc animorum concordiam Religiosos animans Basilius, considerare eos iubet, quanta vnanimitate & consensu Machabæi illi bella Domini bellarent. Scriptura quoque in libris Regum, de copioso illo exercitu, è trecẽtis bellatorum millibus constante, loquens, egressos eos ait *quasi vir vnus* quod vnam omnes voluntatem & intentionem animi haberẽt; atq; inde fiebat, vt & hostibus suis terrori essent, & illustrissimas de eisdem victorias referrent. Simili ergo modo nos spiritualia bella Domini pugnare oportet: & sic insignem functionibus nostris in proximo fructum faciemus, & hostibus nostris terribiles erimus: quin, vt idem Basilius addit, ipse non dæmon timebit, neque nos aggredi audebit, de victoria quippe desperabit, tot simul bellatores robore & animo ad se expugnandum ita coniunctos videns; nec vllum nobis inferre se damnum posse credet.

In const. mon. c. 18.

1. Reg. 11. 7.

Cur hæc nobis præ alijs vnio maxime necessaria sit, hanc B. N. P. rationem, velut prægnantissimam, ponit: *Vnio*, inquit, *& conformitas mutua diligentissime curanda est, nec quæ ei aduersantur, permittenda, quo iuncti inuicem fraternæ charitatis vinculo, melius & efficacius possint se diuino obsequio & auxilio proximorũ impendere.* Alio vero loco sine vnione hac Societatem aut conseruari, aut dirigi, aut eum, propter quem instituta est, finem, consequi posse negat. Constat. n. nos, si ab inuicem diuisi ac disiũcti simus, aut animis dissentiam[a], nõ modo finẽ instituti nostri (qui est animas

3. p. const. c. 1. §. 18. & reg. 42. summar.

8. p. const. c. 1. §. 1.

mas Deo parere) non assecuturos, verum etiam fore, vt ne nos ipsos quidem regere & conseruare possimus. Si enim milites, qui vniri deberent ad cum hoste certandum, se inuicem oppugnare & impetere inciperent, vsq; adeo eum nõ vincerent, vt seipsi potius conficerent & destruerent. Vnde apposite Propheta: *Diuisum est cor eorum* (bellantiũ) i. se mutuo impetiuere, *hinc interibũt*. Et monet Apostolus, *Quod si inuicem mordetis & comeditis*, id est, si sint inter vos diffidiæ, inuidia, & murmurationes, *videte ne ab inuicem consumamini.* Atque hoc vnum est, quod in Religione nos timere oportet; non autem externos inimicos, non persecutiones, non oblocutiones, quæ excitari nobis in mundo queant; nullum quippe hæc damnũ nobis inferent aut noxam. Quare apposite suos Religiosos alloquens Bernard. *Quid ergo* inquit, *à foris vos conturbare aut contristare poterit, si intus bene estis, & fraterna pace* & charitate *gaudetis?* atq; ad hoc propositum adfert illud Apost. Petri: *Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Quandiu nos erimus, qui esse debemus, quamdiu inuicem vniti, & fraternæ charitatis vinculo connexi erimus, nulla nobis deforis insurgens contradictio aut ꝑsecutio damnũ inferet, vel hilum nocebit; quinimo maioris in spiritu profectus & incrementi erit occasio, inque amplius bonũ nostrũ cedet. Quemadmodũ atroces illæ tyrannorũ Ethnicorumq; persecutiones, vti in historia ecclesiastica legere est, Ecclesiæ non magis nocuerũt, quã viti ipse putator: nã pro vno palmite, quẽ præsecabant, alij plures longe feraciores suppullulabant. Vnde scite Martyr ille tyranno insultans respondebat, tanta Christiani sanguinis effusione vsque adeo Ecclesiam illum non destruere, vt eius agrum hoc, velut aqua fœcundissima, irrigaret: quo frumentum latius proueniret, & magis multiplicaretur.

Ose.10.2. — *Serm.29.in Cant.* — *1.Pet.3.13.*

Laudantur in libris Machabeorum Romani concordiæ mutuę & vnionis nomine: *Committunt vni hominum magistratum suum per singulos annos, & omnes obediunt vni, & non est inuidia neque zelus inter eos.* Qui quandiu ita inuicem coniuncti & vniti fuere, mundi totius imperium obtinuere, & inimicis omnibus præualuere; at postquam ciuili inter se concertare bello cœperunt, tota vis illa protinus dilapsa est. Vnde ortum habuit hoc prouerbium: *Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.*

1.Mach.8.16.

Præter hanc est & alia particularis ratio, cur in Societate maxime vnio hęc colenda sit; quam B. P. N. in octaua Constitutionum parte proponit, quod nimirum in Societate particulares quædam difficultates & impedimenta sint, quæ hanc nos vnionem cõsequi impediant, ac proinde necesse esse melius eam solidiusque firmare, & quædam aduersus impedimenta hæc & obstacula remedia quærere. Impedimenta vero, quæ in Societate eam impediant, B. N. P. eo loco ad tria capita reuocat. Primum est, quod Societas ita per totum sit orbem terrarum sparsa ac diffusa, inter fideles æque ac infideles agens; atque ideo, quod tam procul ab inuicem eius membra distent, difficilius se mutuo posse cognoscere, inuicem colloqui, cõmunicare, & vniri; & pręsertim quia tã diuersas nationes, inter quarum plurimas etiam naturalis est contrarietas, & ab inuicem auersio, sinu suo ipsa complectitur. neq; enim adeo facile est, auersionem illam homini innatam, & quæ vsu deinde ipso in eo inualescit, exuere, & alienigenam non vt alienigenam, sed vt filium & fratrem Societatis intueri & amplecti.

8.p.const.c.1. §.1. & in declarat. — *Impedimenta tria fraternæ charitatis in Societate cauenda.*

Altera difficultas est, quod potissima Sociorum pars litteris vacare debeat: scientia aũt inflat, & efficit, vt homo magnũ quid de se præsumat, alios vero deprimat & paruifaciat; quin etiam nescio, quam iudicij duritiem ac præfractionem causatur. Vnde etiam S. Thomas homines doctiores minus deuotioni deditos esse quã simpliciores & indoctos asserit. Quare merito timẽdum videri, ne doctrina hæc in causa sit, cur nõ ita fraterne vt oportet se ament & coniungantur, vnoquoque suam

S.Thom.2.2. q.82. art.3. ad3.

suam

suam opinionem sequi & tueri, eminere alijs, proprio iudicio niti, honoremq; & æstimationem sibi ambire satagête, quod magnæ discordiæ & diuisionis causa esse solet.

Tertia difficultas & impedimentum, & quidem non exiguum est, quod hi ipsi futuri sint viri magni nominis, & egregijs talentis instructi, qui magna apud Principes, Magnates, Respublicas, & Capitula familiaritate auctoritateque valebunt: Ex his autem familiaritatibus & fauoribus diuersæ sequi solent partialitates & factiones; ipsa quoque inde enasci singularitas, immunitas, exemptio, & à communi viuendi norma exceptio. quæ vnionem & concordiam fraternam non mediocriter deterunt.

Remedia ad fraternam charitatem conseruandā.

Quo ergo maiores sunt morbi & mala, eo etiam acriora adhibenda remedia & cautiones. Vnde etiam eo loco remedia ad hisce difficultatibus occurrendum B. N. P. præscribit. Primum, & reliquorum omnium fundamētum est, vt in Societate non detineantur vel cooptentur illi, qui vitia sua & passiones edomare nō statuerint: qui enim indomiti sunt & immortificati, nec disciplinā, nec ordinem, nec vnionem ferent. Hinc, qui doctrina præstabit, inflabitur, aliquas præ alijs cōsectabitur immunitates, cæteris præferri volet, reliquos parui ducet, Principis aut Magnatis alicuius beneuolentiam captabit, habere cupiet, qui sibi famuletur, è quo statim factiones ac dissensiones nascuntur. Quo quis in Societate doctior erit, ac maioribus dotibus instructus, nisi simul virtutib. excellat, & bene sit mortificatus, eo magis timendum, ne ab eo incipiat domus vnio dissolui, & postea ipse negotium vniuersæ congregationi sit daturus. Vnde non ineptæ litteræ & præclaræ in homine immortificato dotes, acuto gladio in manibus furiosi cuiusdam constituto comparantur; quem is, dum fibrat, tam se quam circumstantes vulnerabit. At cum doctrina excellentes, mortificatione & humilitate etiam excellent, nec seipsos, *sed quæ Iesu Christi*, vt loquitur Apostolus, *quærent*; tunc multa vigebit pax & vnio, omniaq; optatissime efflorescent. suo namq; exemplo non parum excitabunt, & ad sui sequelam prouocabunt. Hoc scilicet præcipuum remedium est, quod solum si bene seruetur, concordiæ fouendæ sufficiet.

Arcēdi à Societate homines immortificati, quantumcunque excellant.

Phil. 2. 21.

Sed præter hoc, etiam alia particularia remedia B. P. O. suggerit, ibi ad impedimenta, quæ diximus, tollenda. Nam ad id, quod è defectu mutuæ communicationis & cognitionis, quem locorum afferre distantia solet, enascitur, tollendum monet, vt se inuicem per litteras ædificatorias, pro Societatis vsu, compellent, per quarum reciprocum commercium se inuicem norunt, & ad eandem vitæ normam & modum, in quantum nationum id fert diuersitas, sectandum animentur. Quod ad vnionem fraternā permagnum momentum adfert.

P. 8. Const. c. 1. §. 9. & p. 10. §. 6.

Litteræ charitatem fraternam promouent.

Aliud etiam priori non inferius, eodem loco ad vnionem hanc conseruādam remedium ponitur: vt videlicet obedientia quam exactissime seruetur. Ipsa namque Religiosos arcte inter se combinat, copulat & vnit, & ex multis voluntatibus vnam, ex multis iudicijs vnum componit. Propria namque voluntate & proprio iudicio ex omnibus singillatim subditis sublato (quod per obedientiam fit) vna tantum communis voluntas & iudicium, Superioris scil. manet, qui omnes subditos sibi vnit; qui, vbi Superiori suo vniti fuerint, etiam sibi inuicem vniti erunt, iuxta illam Philosophorū regulam: *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Et quo subditi Superiori suo magis vniti erunt, eo etiam inuicem sibi magis vnientur. Obedientia siquidem & disciplina religiosa, & regularum obseruantia runcina est, quæ omnes complanat & æquat, ac proinde mirum causatur ordinem & vnionem.

8. p. Constit. c. 1. §. 5. & p. 10. § 9.

Obedientia charitatem nutrit.

Ægyptij veteres hieroglyphicis suis vnionem & concordiam significaturi, lyram multis instructam neruis pingebant, qui, quod cum neruo principe consonarent, eiq; attemperati essent, suauissimam quan-

Lyra symbolum charitatis.

quandam edebant harmoniam: pari modo communitas religiosa, è tot cordis cum corda primaria, superiore, inquam, attemperatis constans, dulcissimã quandam edit consonantiam & symphoniam. Sed vt in lyra, si vel vna corda dissonat, cum ea aut relaxatur, aut plus nimio intenditur, omnis illa musica concordia & harmonia perit ac dissoluitur; ita si in Religione vel vnus inferior dissonet, & cum Superiore suo non consonet, in causa is erit, vt omnis vnionis huius concordia, concentus, & harmonia destruatur. Atque inde nonnulli occasionem sumpsere dicendi vocem *concordia à corda* deriuari; sed ij rectius deducunt, qui à *corde* eam (omnibus scilicet vnum & idem cor habentibus) efformant, secundum id, quod in Actis Apostolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.*

Concordia à corda dicta, imo à corde.

Act. 4.32.

Quemadmodum, vt ait Bernardus, ideo nauis aquam bibit, quod aut rimosa sit, aut tabulæ inuicem non bene connexæ sint, vel pice oblitæ; ita vnica, cur Religio pereat, & destruatur, causa est, quod Religiosi inuicem amoris glutino, & charitatis fraternę vinculo non bene connexi & colligati sint. Idcirco R. Pater noster Generalis Claudius Aquauiua, in ea, quã de vnione & charitate fraterna scripsit, epistola, tantopere eam nobis commendat, tantoq; nos eius studio vult teneri, perinde ac si totum Societatis bonum (vti reuera depẽdere asserit) ab ea vna dependeret. Ideo etiam Christus Iesus Redemptor noster, in illa oratione, quam vespera passionis suæ, discipulis supremam valedicens ad Patrem habuit, quam ardentissime nobis illam, tanquam ad conseruationem nostram maxime necessariam, ab eo postulauit, dicens; *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos.* Quibus in verbis obiter, & velut per transennam, notanda illa, quam ponit, comparatio est: Vt enim filius natura vnum quid est cum patre, ita nos amorę & dilectione vnum quid esse cupit. Atque hæc nostra futura custodia, & conseruatio est.

Ioan. 17.11.

CAPVT III.

Aliquot è sacra Scriptura depromuntur rationes, è quibus, quantopere ad charitatem & vnionem fraternam habendam obligemur, ostenditur.

IOANNES Euangelista cum vehementem, quem Deus erga genus humanum amorem habuit & ostendit, Filium suum vnigenitum ei dando, declarasset, infert & concludit: *Charissimi, sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Petere hoc loco à nobis quis non immerito posset, quomodo ex eo, quod ita nos Deus dilexerit, Apostolus amorem erga proximos inferat & concludat; nam inde non aliud inferre debuisse videtur, quam vt Deum ipsi feruide diligeremus, cum sic ipse nos dilexerit prius. Facile huic dubio respondere est. Primo, ideo hoc modo Apostolum locutum esse, vt hinc amoris erga proximum excellentiam, quantique eum Deus faciat, videremus. Sic cum apud Matthæum quidam legisperitus à Redemptore Iesu petijsset: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* & Dominus respondisset: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est primũ & maximum mandatũ*; ilico sine vlla vlteriori interrogatione subiungit: *Secundũ autẽ simile est huic; Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Tantum de primo mandato, Domine, te legisperitus ille sciscitatus erat, cur autẽ tu illi secundi mentionem infers? Vt hinc nimirum disceremus, quanta sit amoris erga proximum dignitas & excellentia, quantique eum faciat Deus.

1. Ioan. 4.11.

Matt. 22.36.

Secundo, quia amor Dei & proximi sunt velut duo annuli inuicem innexi & inserti, quorum vnus sine alio è digito tolli nequit, at nonnisi ambo simul. Similiter amor Dei & proximi semper sibi

mutuo coniunguntur & vniuntur, atque ideo hic sine illo esse nequit: nam vno & eodẽ charitatis amore tam Deum, quam proximum propter Deum amamus; ac proinde amari a nobis non potest Deus, quin simul ametur proximus, nec proximus amore charitatis diligi, quin eadem opera ipsum amemus Deũ: proximi quippe amandi ratio & norma Deus est. Quocirca Apostolus, denotaturus nos proximum amando, Deum simul etiam amare, statim subiungit: *Si diligamus inuicẽ, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Vt autem ostendat, in amore Dei ipsum amorem proximi includi, addit: *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dei erga homines amor, ac quantopere ipse velit eos à nobis diligi, nimis quam clare & euidenter patet ex eo, quod amare Deum non possimus, quin simul proximum amemus; nec proximum offendere, quin etiam offendamus Deum. Si quis Rex ita suum famulum d ligeret, vt quoties hunc quis offendere aut necare vellet, semper se Rex ante eum poneret, ictum aut telum excepturus; adeo vt nullatenus famulus tangi lædive balista aut gladio posset, nisi ipse Rex ante læderetur aut offenderetur; an non is extremus huius amor foret? Idem porro Deus cum hominibus agit: semper siquidem ita se ante homines collocat, vt offendere proximum nequeas, quin pariter ipsum offendas, vt ita proximo inferre damnum caueas, ne hunc offendens Deum offendas. Vnde per Prophetam suum ait, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Adeo vt, dum proximum lædimus, lædamus Deum; dum proximum amamus, amemus Deum; dum proximum diligimus, & Deum. Quia ergo amor Dei & proximi semper coniunguntur, & vnus alteri includitur, nec ab inuicem commode disiungi aut dispesci queunt, merito vtrumlibet è duobus amoribus inferre & concludere Iohannes potuit: vnum enim stabiliens simul etiam alium à nobis exigebat; porro expresse amorem erga proximos hinc intulit & conclusit, non autem Dei; quia ipsa Dei amandi obligatio & debitum principium est per se notum, & nimis quam manifestum: principia autem supponi solent, at non probari, sed tantum conclusiones. Vnde proximi amorem inde expresse conclusit, quia hanc alius fortasse conclusionem inde non elicuisset.

1. Ioan. 4. 12.

Ibid. v. 21.

Zach. 2.

Tertio respondeo, Ioannem in ea Epistola non tam loqui de amore, qui aridus & sterilis sit, quam de feraci, fructuoso, vtili, qui opera bona & benefacta secum trahat; vnde ait: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate:* is namque verus amor est. Declaraturus autem, hæc opera bona Deum poscere, vt proximo & fratribus impendamus, (iuxta illud Oseæ, quod in Euangelijs etiam citatur, *Misericordiam volo, & non sacrificium*) ideo expresse amorem erga proximos inde elicuit & intulit. Sicut si quis creditor absens suo debitori per epistolam sic scriberet: Quod mihi debes, velim id meo nomine Petro aut Paulo, qui apud te præsens est, persoluas; est id quippe res mea, & eam vt persolutam habebo: pari modo Ioannes, creditoris nostri, cui tantum amorem, tantaque beneficia debemus, nomine nobis edicit: *Si sic Deus dilexit mundum*, tantumque nos illi debemus, *& nos debemus alterutrum diligere*; in proximum namque Deus debitum, quod ipsi debemus, trãscripsit. Quam fratri tuo facis charitatem aut beneficium, Deo id præstas, & hoc ipse recipit quasi sibi præstitum. Ipsemet enim Dominus ait: *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Est hoc & aliud, & quidem efficax ad fratres nostros diligendos, beneq; ijs fa iendum, motiuum; ita namq; fiet, vt quãuis, si illorum personam intueamur, nihil nos illis debere credamus, in Deum tamen oculos conijciẽdo, & quantũ illi debeamus, atq; adeo suũ illũ ius in ꝓximos trãstulisse ac cessisse cogitãdo, illi plurimũ nos debere, & seruos illius deuinctissimos esse, cõfessuri simus, Quare egregie R. P. M. Auila,

1. Ioan. 3. 18.

Ose. 6. 6.
Matt. 12. 7.

Matt. 25. 40.

C. 96. in Audi filia.

Quan-

Quando, inquit, tua tibi caro suggeret, Quidnam huic debeo, vt illi benefaciam? quomodo eum amabo, qui mihi malum ante intulit? Respondeto: Audirem equidem fortasse te, si amoris mei causa ipse proximus solum esset; at, cum ipse Christus eius amandi causa sit, qui bonum & veniam proximo impensam, velut sibi factam admittit ac reputat, cur amorem & benefacta mea impediat, quod proximus is sit, qui est, aut malum mihi quod voluerit, irroget, cum non tam ipsum spectem, quam ipsum Christum? Quamobrem bene & ex ingenti Dei erga nos amore Apostolus amorem in proximos infert. Vt autem melius hocce nos moueret, & hunc amorem persuaderet, in præmissa & propositione, (è qua isthanc conclusionem elicuit) incarnationis Filii Dei mysterij mentionem fecit: *Quoniam Filium suum vnigenitum misit Deus in mundum:* (1. Ioan. 4. 9.) Vt meminerimus scilicet & consideremus, Deum quodammodo cum hominibus consanguinitatem conaraxisse, ac proinde iam proximos vt Dei consanguineos & Iesu Christi fratres intueamur, & eos vt tales diligamus.

Capvt IV.

Qualis nostra cum fratribus vnio esse debeat.

(In reg. breu. q. 175. homil. 35. ex 50.) Basilivs & Augustinus, illustria Ecclesiæ nostræ sydera, egregie nobis, qualis esse debeat vnio, quam cum fratribus nostris colere debemus, illa, quam Apostolus adfert, similitudine & metaphora à corpore humano, & membrorum eius inter se conformitate & vnione, petita declarant. Videte, inquiunt, quænam sit inter corporis nostri mẽbra vnio & conformitas, quomodo vnum alteri obsequium & opem præstet; oculus pedi, pes manui; quomodo manus caput tueatur, &, si quis pedem tuum proterat, ilico lingua vigilans dicat: Caue, quia pedem offendis; quomodo item omnia parti debiliori vnanimiter opem ferre allaborẽt: vti videre est, dum vel vulnus aliquod acceperis, aut alio quopiam malo laboras, quomodo vnumquodque, quod sibi necessarium est, alimentum sumat, quod autem superest, alteri elargiatur. Quid de illa passionum ac dolentiæ conformitate, quam medici vocant sympathiam, vt scilicet dolente & languente stomacho, doleat & patiatur caput, & membro vno sanitati restitui incipiente, totum corpus gaudeat & exultet? Ait Apostolus: (1. Cor. 12. 22.) *Pro inuicem solicita sunt membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Quod Augustinus examinat, dicens: *Ecce pes calcat spinam; quid tam longe ab oculis, quam pes? Longe est loco, sed proximus affectu charitatis.* Mox ergo, vt spina pedi inhæsit, illam oculi quamprimum inuestigant, quamprimum ad eam corpus se inclinat, quamprimum lingua sciscitatur, vbinam sit, quamprimum denique manus ad eandem educendam se applicat. *Sani* tamen sunt *oculi, sana est manus, corpus, caput, lingua, sanus est & pes*, illo tantum loco excepto, qui ob spinæ insidentis aculeum dolet: itaq; *pro inuicẽ solicita sunt membra, & cõpatiũtur omnia mẽbra*, donec pes persanetur; vbi aũt iã is psanatus est, omnia congaudent, & ei veluti congratulantur. Ita nos cum fratribus geramus oportet, vt nimirum ita pro inuicem soliciti simus ac laboremus, ac si nostra res ageretur, & ita bono alieno gaudeamus, & malo doleamus & compatiamur, ac si proprium bonum malumve id foret.

In his duobus potissimum amorem & charitatem mutuam Basilius Magnus elucere ait, (In reg. breu. q. 175.) vt nempe proximorum nostrorum afflictionibus & laboribus, cum spiritualibus, tum corporalibus contristemur & compatiamur, bono vero eorum ex corde gaudeamus: idq; ex mente Apostoli, dicentis: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentib.* (Rom. 12. 15.) Quamobrem, vt bene obseruat Climachus, (Cap. 4.) si quis examinare volet, quo erga proximũ amore & charitate feratur, videat num illo peccãte ploret, in gratiis vero & charismatibus illius

 spiri-

ſpirituulibus gaudeat. Hoc namq; optimum amoris noſtri in proximum examen & indicium eſt. Quare bene ſancta illa virgo de ſeipſa dicebat: Maiorem anima mea ſemper gratiam recepit, dũ proximi planxi & ploraui peccata, quam dum propria. Non quod ob proprias quis culpas magis dolere & plangere non debeat, quam ob alienas; ſed auxetica hac exaggeratione oſtẽdere tantum voluit, quam hocce erga proximum charitatis exercitium Deo gratum ſit. S. Bernardus porro duo hæc charitatis exercitia eſſe ait, ceu duo ſponſæ vbera, inter quæ ſpõſus Chriſtus requieſcat: *Inter vbera mea commorabitur.* Et ſuum ambo proprium lac habent, inquit mellifluus ille Doctor, ſuper mel dulce & ſapidum; vnum quidem lac congratulationis & exhortationis, alterum conſolationis.

Angela de Fulgin, c.70.

Serm.10. in Cant.

Cant.1.12.

Verum in hac ſancti Pauli comparatione conſideranda quidem hinc eſt membrorum diuerſitas, & differens illorum conditio & qualitas; quia aliud membrum ſunt oculi, aliud pedes, aliud denique manus, quorum ſingula ſuum, & id quidem diuerſum officium habent: illinc vero tanta illorum vnio & coniunctio, vt ſuo vnumquodque illorum officio & munere contentum ſit, nec alteri ſuum, tametſi dignius & eminẽtius, inuideat. Quod ipſum & nos imitari par eſt: quiſque ſuo contentus officio eſſe debet, neue inuidere alijs altiora officia ac miniſteria habentibus. Ad hæc nunquam membrum vnum ſuperius, aliud deſpexit inferius; ſed ipſum magnifacit, adiuuat, & qua poteſt tuetur & cuſtodit: ita qui altioribus miniſterijs præſunt, deſpicere non oportet eos, qui viliora officia & miniſteria obeunt; ſed eos magni æſtimare, adiuuare, & non aliter de ijs laborare, ac de membris, quorum ope quammaxime indigemus. Vnde Apoſtolus: *Non poteſt oculus dicere manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedi, non eſtis mihi neceſſarij.* Verum ita ſingula corporis membra diſpoſuit ac temperauit ſummus ille architectus Deus, vt multo magis, quæ videntur membra corporis infirmiora, neceſſaria ſint. Vide quam neceſſarij corpori ſint pedes, & quam incommodũ nobis foret, ſi ijs careremus. Atq; id altiſſima ſua ſapiẽtia & prouidẽtia ita ideo Dominum diſpoſuiſſe, Apoſtolus aſſerit, vt nullum inter corporis membra ſit ſchiſma vel diuiſio, ſed mira eorundem vnio & conformitas. Eodem plane modo in hoc Religionis corpore fit: alij quippe officium ſubeunt capitis, alij oculorum, alij pedum & manuum; nec dicere poteſt caput, manuum ſe opera non indigere; nec oculi pedib. haud difficulter ſe carituros. Quin imo ea vidẽtur eſſe ex ijs, quibus ad vitam trahendam, & aliquid in Religione agendum, maxime opus habemus; atque inde ortum habet, quod dicere ſolemus, hos noſtros eſſe pedes & manus: ſine illis enim nihil omnes facere poſſe videmur. Et eſt hoc altiſſima quadam Dei prouidentia factum, vt nullum inter nos ſchiſma ſit aut diuiſio, ſed ingens vnio & mira conformitas.

1.Cor.12.21.

Hæc igitur eſt veræ vnionis & fraternitatis imago; atq; hinc diſcamus oportet, quomodo alter alterum iuuare, opitulari, & miniſteria impendere debeamus: quod hac vna re ipſa vnio valde tum conſeruetur, tum adaugeatur; quod & Apoſtolus inprimis nobis commendat, dicens: *Per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.* Vnde mirificis Religioſus ille laudibus celebrari meretur, qui libenter alijs obſequium impendit, omnibus ſeruire, adiuuare, gratificari geſtit. Hoc namque charitatis, humilitatis, & mortificationis, quam habet, certiſſimum eſt argumentum: longe ſecus atque alij quidam, qui, ne ſe mortificent, vel laboris pauxillum aſſumant, aut quidquam de quiete ſua amittant, fratribus ſuis gratificari & obſequi neſciunt. Minime vero dubitandum, quin ipſe Chriſtus Redemptor noſter in heroico illo opere, quo diſcipulis ſuis pedes abluit, aliud non ſpectarit, quam humilitatis (ſed humilitatis, quę ad exercitiũ charitatis & fraternitatis viã ſternet) nobis exemplum dare: *Si ergo* ego,

Gal.5.13.

Ioan.13.14.

ego, inquit, *laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* inuicem, & humilitate & charitate alter alterum adiuuetis & ministretis.

CAPVT V.

In particulari iam ostenditur, quid vnio & charitas fraterna à nobis exigat, & quid eidem conseruandæ conducat.

1. Cor. 13. 4. CHARITAS *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, nō quærit quæ sua sunt.* Omnium scilicet virtutum exercitium vnio & charitas fraterna postulat: nihil quippe aliud eam impedit aut oppugnat, quā superbia, inuidia, ambitio, impatiētia, amor proprius, immortificatio, alijque id genus aduersarij. Proinde, vt in ea nos conseruemus, virtutum contrariarum exercitium requiritur. Atque hoc est, quod prioribus illis verbis nos docet Apostolus; quare aliud hic opus non erit, quam paucis ea declarare.

Virtutes charitati conseruandæ necessaria.

1. Patientia, & Benignitas compendium vitæ Christianæ.

Charitas patiens est, benigna est. Duo hæc, pati, & omnibus benefacere, ad hanc vnionem & mutuam inter nos charitatem conseruandam permagni momenti sunt, & inprimis necessaria. Nam, quia homines sumus, & defectibus & imperfectionibus pleni, hinc nimis quam multā alijs nos patiendi occasionem damus: & quia ex altera parte tam debiles & inopes sumus, opus habemus ijs, qui nos adiuuēt, & obsequiū aliquod pręstēt. Per quæ duo Apostolus alio loco & charitatem cōseruandam, & Domini de ea præceptum adimplendū ait, inuicem sc. iuuando & supportando: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* In quæ verba scribens August. egregia id declarat similitudine. Naturalium, inquit, rerum scriptores tradunt, ceruos, quando flumen aut fretum, ad insulam aliquā pascuorum gratia transeunt, hac vti industria solere. Quod enim graue cornuum opus capite gestent, sic seriatim alter post alterum se in aquas coniiciunt, vt sua quisq; cornua ceruice porrecta tergo anterioris imponant; ita se suo exonerantes, & inuicem in alieno fundo adiuuantes. Adeo vt omnibus onere proprio carētibus, & alterius id tergo imponentibus, solus ductor cæteros pręcedens, cornutū caput in aera sustollat, hunc libenter laborem portans, quo socios, qui sequūtur, alleuiet. Ne vero & hic præ nimio labore in nando fatiscat, mutant subinde vices, & qui ante agmē ducebat, ipsum mox claudit, in eius locum ad tempus succedēte eo, cuius ferebat caput, cum ipse pręiret. itaq; tandiu stationes cōmutant, donec continentem attingant. Pari modo & nos alter alterum iuuare & supportare debemus; & quisq; sociū exonerare, & à labore, prout potuerit, liberare. Hoc scil. poscit charitas: laborē autē fugere, & onus in alterius humeros conijcere, charitatis defectum arguit. Quo enim plus præstiteris, plus mereberis: tibique vni laboris merces cedit.

Gal. 6. 2.

Lib. 83. quæst. q. 71. & tom. 10. serm. 21. de verb. Ap. Plin. l. 8. c. 23.

Ceruorum in traijciendo industria.

Addit eo loco Augustinus, è nulla re melius charitatem fraternam probari & colligi, quam ex patienti imperfectionum & importuniorum grauaminum proximi tolerantia. *Supportantes inuicem in charitate: soliciti seruare vnitatē spiritus in vinculo pacis.* Et, *Charitas omnia suffert, omnia sustinet*: & per hoc ipsa in vigore suo manet. Si enim patienter supportare, & fratres tuos tolerare nescis, certus esto charitatem hanc diuturnam nō fore, etsi alia quælibet eius conseruandæ media, rationes & remedia vsurpes. Si enim amor naturalis & carnalis infirmi ineptias & imperfectiones suffert (vti in matrefamilias filio aut coniugi ægrotanti ministrante videre est) æquius multo est, vt spiritualis charitatis amor fratrum nostrorum importunitates, imperfectiones, & infirmitates pati & tolerare norit. Memineris autem, ait Augustinus, hocce charitatis officium & exercitium non fore perpetuum; in alia siquidem vita nihil

Ephes. 4. 2.

erit quod patiamur, nihil quod in fratribus nostris toleremus: propterea, inquit, feramus eos in hac vita, vt æternam illam vitam consequi mereamur, nec oblatam occasionem de manibus excidere patiamur; labor quippe futurus est breuis, merces vero & præmium, quod sic meremur, perpetuum. Duo porro hæc, sufferre nimirum & supportare fratres, dein eos adiuuare & benefacere, tanti momenti sunt, vt dicere Augustinus non vereatur, in duobus his totius vitæ Christianæ compendium contineri. Nec sine ratione. Vita quippe Christiana omnis super charitatem fundata est, & in ea vniuersa lex, teste Christo Redemptore nostro, inclusa est: ac proinde, quod charitatis est summa & compendium, id & vitæ Christianæ esse censeo.

Matt.22.40.

Sequitur apud Apostolum Paulum: *Charitas non inflatur, non est ambitiosa.* Consentit ei Ambrosius, dicens: *Amicitia* & amor *nescit superbiam* vel arrogantiam; quin potius magna, inter inuicem amantes, æqualitatis causa est, & idcirco Sapientem dixisse vult: *Amicum salutare non confundar.* Inter amicos quippe non adeo certatur de præeminentia, nec respicit amicus, vtrum alter se in salutando præuertat, nec ne: neuter eorum erubescit amicum honorare, & in eo ipsum præuenire. Inter amicos namque mera viget æqualitas, & syncera simplicitas: nescit enim amor præeminentias & superioritates. Vnde bene Aristoteles: *Amicitia debet esse inter æquales.* Et Poetæ:

Lib.3.offic. c.16.

Eccl.22.31.

2. *Humilitas ad amorem necessaria.*

Eth.l.8.c.6. & 7.

Ouid.2.Met.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Maiestas & amor.

Regem agere, & auctoritate pollere, & simul amicitiam colere, simul non consistunt. Si veram amicitiam inter te & amicum esse velis, humilias, demittas, & amico te æques necesse est. Amicus namq; *est alter ego.* In ipso etiam Deo amor, quo homines prosecutus est, tantum potuit, vt cum se humiliare, & hominibus æquare coegerit. Ideo quippe Angelis se minorem reddidit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis,* & nostri similis, factus est homo: *Et homo factus est.* Vnde nobis ait: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos;* quod nomen quandam æqualitatis speciem significat. Considera hic, obsecro, affectiosissima Iesu Christi viscera, nempe quod, cũ in aulis sæculi huius, Regis ipsius amicus nemo esse dicatur, etsi alioquin ipse vir magnus sit, imo Marchio vel Dux; sed tantum Regis appelletur intimus & familiaris (quod nomen *amicus* quandam æqualitatis speciem denotet.) Infinita tamen illa Dei Ter maximi Maiestas ita se nobis familiarem reddere voluerit, tantoque nos sit amore prosequuta, vt iam non seruos nos dicat, sed amicos, qui quolibet tempore ipsum alloqui possimus. Simili ergo modo charitas hic in Religione non tam scire debet, quid sit superbia & arrogantia, quam magnam quandam æqualitatem & synceritatem in animis omnium generare. Hæc que ipsa æqualitas (quę quidam amoris affectus est) ad charitatem vnionemque cum conseruandam, tum adaugendam quammaxime confert: vna quippe alteri adminiculatur. Vnde etiam euidens signum est, cum humilitas & sinceritas hæc in omnibus domesticis viget, magnam ea in communitate dilectionem, vnionem fraternitatemque vnicordem efflorescere. Atque ideo etiam (quę Dei bonitas est) videmus in Societate nostra, sicut in ea charitas fraterna mirifice elucet, ita æqualitatem hanc, & sinceram simplicitatem inter omnes effulgere; *vnoquoque scilicet procurante atq; optante potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo:* quique in mundo (vt ait Augustinus) aliquo apud suos loco erat, maiorem honorem ac voluptatem è suorum fratrum pauperculorum commercio capit, quam ex omni parentum suorum opulentorum dignitate ac nobilitate. Nihil enim, præter vnam virtutem, magnifacit & æstimat, cætera vero vt peripsemata proculcat.

Psal.8.6.

Symbolum Apost

Ioan.15.15.

Amicitia æqualitatem connotat.

Reg.29.sum. constit.

Reg.3.c.5.

Quan-

Quantopere hoc ad charitatem conseruandam conducat, notat his verbis S. Ambrosius: *Multum ad conseruandam & roborandam dilectionem valet, cum secundum doctrinam Euangelicam inuicem se homines honore praeueniunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant, seruire subiecti, & nesciunt tumere Praelati: cũ & pauper diuitem non sibi dubitat anteferri, & diues pauperem sibi gaudet aequari: cum & sublimes non superbiunt de claritate prosapiae, & pauperes non extolluntur de communione naturae,* aut professionis: *cum denique non plus tribuitur magnis opibus, quam bonis moribus; neque maior ducitur phalerata iniquorum potẽtia, quam rectorũ inhonora iustitia.*

Epist. 84. ad Virg. Demet.

Caput VI.

De aliis duabus rebus, quas charitas & vnio fraterna à nobis exigit.

1. Cor. 13. 4.

Charitas, inquit Apostolus, *non aemulatur:* imo vero qui ex animo & sincere alium amat, non minus eius bonum quaerit, eoque ita gaudet, ac si proprium foret. Probat hoc Augustin. exemplo Ionathae & amoris, quo is Dauidem prosequebatur. Nam de eo sic scribitur: *Anima Ionathae conglutinata est animae Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam,* erantq; ambo vnicordes & vnanimes: atq; inde factum, vt, cum Ionathas filius esset Regis, Dauidi tamen regnum potius, quam sibi optaret, dicens: *Tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus.* Bono scilicet Dauidis ita Ionathas gaudebat, quasi si proprium fuisset.

Lib. A. de amicit. c. 24.

1. Reg. 18. 1.

1. Reg. 23. 17.

Aliud item sancti Patres exemplum adferunt, quo haec charitatis proprietas & effectus magis declaratur. Sicut beati, inquiunt, in coelo inuicem non inuident, quod vnus alio maior sit, sed, si fieri posset, maiore singulos gloria donari vellent, quinimo suam cum illo diuidere, & minorem in gloria sibi in ea aequalem, vel etiam maiorem reddi: ita namque aliena quislibet gloria gaudet, ac si propria foret. Neque vero id intellectu difficile est: si enim naturalis matrum in hoc mundo amor tantus est, vt ita filiorum suorum bono ipsae gaudeant, ac si proprium & suum foret, quanto id magis faciet amor ille coelestis, tanto naturali excellentior ac perfectior? Pari modo amor & charitas in nobis efficere debet, vt tantum fratrum & proximi bono laetemur, quantum si proprium esset: is namque proprius charitatis effectus est. Quo autem ad hoc faciendum magis prouocemur & animemur, notat Augustinus, ipsum bonum alienum charitate & amore nostrum fieri, ita quidem, vt nihil illi de suo auferamus, sed tantum laetamur & exultamus. Neque vero mirum id est; si enim peccatum alienum amando, eoque laetando, quis id suum facit, quia Deus cor respicit, quid mirum, si bonum alienum amando, eoque gaudendo, ipsum quoque in se transcribat? Praesertim cum Deus promptior sit ad praemiandum, quam ad castigandum. Consideremus porro hoc loco hinc, quanta charitatis sit excellentia, quantumq; ex ea nobis lucrum accedat; cum eius adminiculo omnia fratrum nostrorum bona opera in nos transcribere possimus, ijs tantum gaudendo, & in ijs complacendo; & quidem maiori securitate, quam nostra propria: ex illis quippe vana non solet sequi gloria, sicuti è proprijs. Illinc vero è contrario cõsideremus, quam sit inuicẽ noxia & perniciosa, cum per hanc alienum bonum fiat proprium malum, vt discamus scilicet & hanc cauere, & illam amplecti

3. Inuidia charitatis nouerca.

Homil. 15. ex 50.

Hinc sequitur alterum, quod de charitate addit Apostolus: *Charitas non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt:* quia qui alienum bonum ducit vt propriũ, & tam eo laetatur quam proprio, longissime ab hoc distat. Nihil est, quod dilectionem magis oppugnet; nihil quod hanc vnionem magis impedit, quã amor proprius, & quod seipsum sua cõmoda & vtilitates quis quaerat. Atque hac de causa B. N. P. amorem proprium grauissimum & capitalem omnis ordinis & vnionis hostem appel-

1. Cor. 13. 5.

Amor proprius charitatis venenum.

8. p. const. §. 8.

appellare solebat. Vmbertus vero, in sancti Augustini regula, vitæ communis ac religiosæ pestem & contagium, quod eam inficiat, atque emori cogat. Etsi vero generalis virtutum omnium inimicus amor hic proprius sit, maximus tamen & iuratissimus est dilectionis: quod vel ex ipso nomine colligere licet. Si enim proprius sit, ergo non est communis, qualis charitas esse debet. Amor proprius diuisio est & particularis, atq; omnia sibi habere vult, & in omnibus seipsum quærit: quod charitati & vnioni directe contrarium est.

Gen. 13. 6. Super id, quod in Genesi de Abraham & Loth scribitur, *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul,* (id est, Tot quisq; eorum habebat armenta & greges, vt ijs pascendis terra nō sufficeret; hinc fiebat, vt pastores vnius cum alterius pastoribus assidue de pascuis litigarent, vnde necesse fuit pacis colendæ studio, alterum ab altero separari) sic commentatur Chrysostomus: *Vbi est Meum & Tuum, illic omnium litium genus & contentionis occasio,* etiam inter consanguineos & fratres: *vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia.* Sic videmus, inquit, in primitiua Ecclesia magna inuicem fideles vnione & concordia coniunctos fuisse, & vnum idemque omnium cor & animam, quod Meum & Tuum inter eos inuenire non esset, *sed omnia illis essent communia, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse diceret.* Hæc vnica erat tantæ inter eos vnionis & fraternitatis causa. Atque inde factum, quod Religiones omnes diuinitus inspiratæ, & in sacra Scriptura fundatæ, in primum ac primarium suum fundamentum delegerunt paupertatem. Hinc etiam primum, quod concipimus, votum, est paupertatis, vt, cum Meum & Tuum proscripta domo fuerint, & amor proprius plane eliminatus, vnam omnes animam & cor habeamus.

Homil. 33. in Gen.

Meum & Tuum frigida verba.

Act. 4. 3.

Paupertas fundamentū Religionis.

Minime dubitandum est, quin ad mutuam charitatem & vnionem conseruandam, insigne momentum adferat, affectum nos omnem erga omnia terrena seposuisse, & exuisse. Non sufficit autem, quod Meum & Tuum in his rebus temporalibus locum non habeat, sed danda insuper opera, vt ne quidem in alijs rebus reperiatur. Vbi enim locum habebit, non mediocre nobis bellum mouebit, hancque vnionem & charitatem impediet. Cum enim honorem tibi ambire, cum æstimari velle, cum locū honoratiorem quærere, cū cōmoditates & delectationes proprias consectari incipis, certus esto, fore, vt hac via subingrediatur discordia, & à fratribus tuis dissensio: hoc quippe charitatē violare ac destruere solet. Hinc occulta quædā in homine subnascitur inuidia, quod suum aliquis de fratribus talentum depromat, splendeat, emergat, laudetur, magnifiat & æstimetur. Hunc quippe honorem æstimationemque sibi vni vellet; quinimo hanc sibi ab illo surripi credit. Inde etiam lætitia quædam, vel saltem nescio quæ complacentia oritur, si quando æmulo bene res quæpiam non succedit: quod per hoc illū humiliari, deprimi, & proinde se inferiorē reddi putet. Inde deniq; ortū habet, quod famā ac nomē illius directe vel indirecte interdū obscurare satagat, modo quidē liquido & manifesto argumēto, modo certis quidem verbulis, etsi tecte, obiter, & velut per transennam effusis, ex affectus tamen in corde latentis abundantia prorumpētibus. Quæ omnia nonnisi amor proprius & inordinatus, ambitio, superbia & inuidia sunt, quæ ceu rodens quædam tinea & impetigo mutuam vnionem & charitatem depascere ac destruere solent. Nam, vt ait Apostolus, *charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati*: non tam, inquam, aliorum deiectione & minoratione gaudet, quam vt ascendant, proficiant, & excrescant: imo, quo euehitur quis altius, eo ipsa gaudet amplius, & ait: *Frater noster es, crescas in mille millia*: hoc quippe vnicum meū futurū est gaudiū & voluptas, siquidem bonum tuum meum est, & profectus tuus, meus. Mercatori, qui cū aliis societatem dispendij & compendij inijt, vsq; adeo

Meū & Tuū non solum in temporalibus sed & in omnibus omnino rebus fugienda.

1. Cor. 13. 6.

Gen. 24. 6.

adeo graue non est socios suos quæstum facere, vel illorum industriam, qua rem suam promouere satagunt, intelligere, vt summopere etiam propterea lætetur: omnia quippe tum in eius, tum in totius societatis vtilitatem cedũt. Sic nostrum est quolibet fratrum nostrorum bono, talento, & profectu mirifice lætari & congratulari; quæ omnia in totius corporis huius societatis, cuius membrũ & pars ego sum, & cuius bonis fruor, bonum & emolumentum cedunt ac redundant.

CAPVT VII.

De alia quadam re, quam à nobis charitas exigit, quæque ad eam conseruandam maximopere adiuuabit; scilicet fratres nostros magni facere, & magni nos eos facere exterius verbis & re ostendere, ac denique semper honorifice de iis loqui.

MVTVA vnius erga alterum caritas non solum in corde & interius versari debet, sed exterius etiam per opera se prodat necesse est, iuxta illud Ioannis Apostoli, *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Vbi cœlo donati fuerimus, sicut re nulla prorsus indigebimus, ita hæc opera, vt ait Augustinus, ad caritatis conseruationem necessaria non erunt. Nam, vt ignis in sua sphæra materia nulla vel lignis opus habet vt conseruetur; sed hac in terra, nisi fomenta hæc & alimenta habeat, quamprimum extinguitur: ita extemplo in hac misera & ærumnosa vita, caritas extincta intermoreretur, nisi per opera foueretur & sustentaretur. Ad hoc propositum adducit Sanctus Basilius, quod Apostolus Ioannes in prima Canonica scribit: *In hoc cognouimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere,* si necesse sit. E- quibus apposite solideque Basilius infert: Si talem à nobis Christus fratrũ dilectionem petat, vt pro ipsis animam ponamus, æquum esse vt ad alia minoris futura difficultatis, quam vt vita pro iis impendatur, amor hic se extendat?

Ioan. 3. 17.

Li. 83. quæst. q. 72.

q. 162. extremor.

1. Ioan 3. 16.

Vnum de præcipuis quæ hæc vnio & caritas à nobis postulat, quodque ad eiusdem conseruationem, & ad in ea semper proficiendum, non mediocriter conferet, est, vt fratres nostros magni faciamus: imo vero hoc veluti fundamentum est, super quo vniuersum hoc caritatis negotium fundatur & nititur. Hic quippe caritatis amor non est effrenis quædam passio, vel amor concupiscentiæ cæco impetu ruẽs vel tenerioris alicuius affectus & sensus quo cor nostrũ carnale emouetur; sed amor rationis, sed amor spiritualis superioris partis animæ, qui rationib. quibusdã superioribus & æternis regitur; denique amor, quem appretiatiuum appellamus, ex eo amore nascens quo Deũ nostrum amamus, quem super omnia æstimamus, proximum diligimus ceu quid Dei. Quod autem quis fratres suos, æstimet, & bonam de iis opinionem concõcipiat, sequitur vt eos etiam amet, honoret, & reuereatur, sequuntur & reliqua caritatis officia & exercitia: & qualis erit eorum æstimatio, talis erit & amor & reliqua. Ita sentit Apostolus Philippensibus scribens: *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes,* hoc velut radicem & fundamentum totius huius negotij statuens. Ad Romanos autem sic scribit, *Honore inuicem præuenientes.* In quæ verba Sanct. Chrysostomus notat, non dixisse Apostolum vt inuicem honoremus, sed vt hoc in officio alter alterum præuenire gestiamus, vt scilicet non exspectemus donec nos alius honoret, & prius nos salutet & æstimet, sed nos ipsum præueniamus, & ei viam velut faciamus. Atq; hoc est, quod sedulo nobis B. P. N. inculcat: *In omnibus,* inquiens, *procurando atque optando potiores partes aliis deferre:* hoc est cum Apostolo, honore inuicem præuenientes.

Phil. 2. 3.

Rom. 12. 10.

3. p. Constit. 1. c. § 4. Regul. 29. summar.

Vt autem ad magis particularia descẽdam, dico nihil esse quo magis ac melius nostros magni nos facere ostendemus, quam si semper quam rectissime de illis loquamur, & cum respectu, & iis verbis, quæ illos vero à nobis honorari & magnifieri indicent. Ita B. P. N. Ignatius de vnoquoque sic loqui solitus scribitur, vt sibi quisque persuaderet, eum bonam de se opinionem concepisse, & ab eo amari se vt patre. Atque hinc fiebat, vt & ipsum vicissim omnes insigni amore & respectu reuerentiali prosequerentur. Nihil quippe est, quod magis charitatem tum inflammet, tum conseruet, quam si quis norit fratrem suum se amare, bene erga se animatum esse, de se sentire & loqui. Seipsum hic consulat quisque, & videat quantopere naturaliter gaudeat. si quando alterius in se bonum affectum, aut obsequium quod ab eo recepit, intelligit vel audit; quomodo mox par obsequium illi rependere studeat, & statim etiam de illo bene loqui incipiat. Quot inde bonos affectus enasci cernimus! Quare etiam bene suasit Seneca, *Si vis amari, ama.* neque enim vlla ad amorem alterius erga te prouocãdum, ratio est efficacior: amori quippe aliud commode rependi non potest, quam amor.

Lib. 5. c. 6. vitæ.

Epist. 9. ad Lucil.

Egregie id ostendit Chrysostomus, illa Christi verba, *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis,* explicans: *Vis,* inquit, *beneficia capere? Confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? miserere proximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? ama. Vis partibus primis potiri? Cede illas prius alteri.*

Homil. 13. ad popul. Matth. 7-12.

Præterea, bene de omnibus loqui, inprimis ædificatorium est: ratio autem cur ædificet, est, quia signum id est, magnum inter illos amorem & vnionem insignem vigere. Econtra, verbulum quodcunque, quod proximum directe vel indirecte obscurare & denigrare potest, quin & minima quoad hoc apperentia ac suspicio, audientes omnes quam maxime offendit: statim quippe intelligunt, aliquam à parte loquentis hic æmulationem & inuidiã delitescere. Quocirca quidquid demum huc referetur, ac quoquomodo spectabit, procul à nobis absit oportet. Esto frater tuus imperfectiones aliquas habeat, aliquid tamen etiam habebit boni; hoc intuere, illas videre neglige; imitare apem flores solos seligentem, spinas vero, quibus circumsecus obsidentur, declinantẽ, non autem scarabæum statim ad fœtida stercora se conferentem.

CAPVT VIII.

Cauendum quam maxime est, ne cui dicamus, Talis tale quid de te dixit; si præsertim res sit quæ eum contristare & mordere queat.

NOn est mihi propositum hoc loco de murmuratione loqui; id enim alio facturus sum. Vnam rem tantũ magni momenti, quæ ad propositam materiam mirifice facit quamq; S. Bonauẽtura notauit, hic commonebo. Sicut cauere sibi quilibet debet à murmurando ac male de quopiam loquendo, ita etiã caueat oportet ne cui dicat, Talis hoc de te dixit, maxime cum quid est quod ipsi displicere & offendere queat. hoc quippe nihil aliud est, quam vnius in alterum concitatio, & discordiarum inter fratres seminarium: quod sane noxium cumprimis est, & perniciosum, & proinde (vti ait Sapiens) Domino abominabile & exosum quam maxime. *Sex,* ait, *sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur,* ante omnia *animam eius,* eum scil. *qui seminat inter fratres discordias, & semina ponit inimicitia.* Si quando hic in mũdo q̃d magnopere abhorremus, id nos ex corde & animo dicimus detestari, inde est quod Scriptura etiam Deum hosce homines sic detestari scribat, humano more de eo loquens; vt hoc pacto significet quantopere hoc hominum genus ipse abominetur. Neq; vero Deo solum, sed etiam hominibus res hæc inprimis est detestabilis. *Susurro,* inquit, Sapiens,

par. 2. tract. 2

Prou. 6. 16. & 19.

piens, *inquinauit animam suam, & in omnibus odietur & qui cum eo manserit, odiosus erit.* Hi sunt quos vulgo murmuratores vocamus atq; hoc proprie est murmurare, quod omni viro probo & honesto indignum nedum Religiosis. Vnde ait Ecclesiasticus, *Non appelleris* id est, ne des occasionem vt dicaris) *susurro.* Quid autem in congregatione dari fingiq; potest damnosius ac perniciosius, quam turbas concitare, & fratres inuicem susurris suis armare? Diaboli quippe id proprium videtur vtpote cuius natura & mos est semper tumultum & inimicitias excitare.

Eccl.31.16.

Notandum autem, vt vnus in alium concitetur, non semper requiri, vt ea quæ referuntur, res magni sint ponderis: nam sæpe satis ad hoc sunt paruæ & minutæ, quæque interdum ne venialem quidem noxam includũt. Non tam ergo hic vidẽdum, num id quod dicitur, ex se graue sit vel leue; sed num sit quod fratrem tuum inquietare, vel contristare, vel ad indignationem aut auersionem animi ab alio concitare natum sit. Nonnemo v.g. inaduertenter leue aliquod verbum protulerit, è quo colligas audiens non satis recte ac prout oportet eum de alterius doctrina, ingenio, virtutibus, naturæ dotibus, aut aliis rebus huiusmodi sentire. Quod si tu maiori impertinentia & inaduertẽtia id ad tertium illum deferas; iam tum vides quo modo hic illud audiendo afficiendus & se habiturus sit. Nihil quidem mali hoc deferendo te facere putas, interim tamen cor eius transfigis. Vnde ait Salomon, *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris.* Sunt quippe aliqua, quæ nonnulli ideo parui faciunt, quod ea nescio quam ad partem aspiciant, vel fortasse penitus non respiciant; quæ tamen inspecta prout inspici deberent, tam diuersum aspectum causantur, vt magna timendi ac dubitandi subsit occasio, vtrum ob inconuenientia & malos effectus inde sequi solitos, ad vsq; peccatum mortale peruenerint. Hoc aũt de quo hic loquimur, de illorũ numero est. Si tã noxiũ, pernitiosũ, adeoq; Deo exosum est hasce discordias inter fratres seminare, quid igitur erit, si pẽstilens hoc zizaniũ inter subditos & superiores spargatur, & quis in causa sit cur mẽbra a capite, filij à patrib. dissentire ac separari incipiant? quanto se is Deo exosiorẽ reddet? Hoc porro fit dũ similia iis quæ supra de fratrib. diximus, de superiore verba effutiuntur. Israelitę omnes ingenti in Regẽ suũ Dauid amore erãt & obseruãtia, eiq; inprimis vniti, ad audientes quæ de eius persona & regẽdi modo perduellis ille filius Absalon spargebat, mox parere detrectarunt, & excusso iugo aduersus eum insurrexerunt. Quoties eheu! contingit vt quis, qui sincere hactenus de superiore suo iudicarat, bonã de eo opinionem cõceperant, de omnib. rebus illius recte sentiebat, & vniuersam animam suã & intima cordis arcana illi cõcrediderat, ob verbulum aliquod ex alio auditũ totus mutetur, & amoris & obseruantiæ loco, mille malitiæ & cordis duplicitates, temeraria iudicia, suspiciones, murmurationes succedant: atq; adeo subinde contagio hæc ꝑserpat, vt hic mox aliũ, alius ille rursus aliũ, hic deniq; aliũ inficiat. Quamobrem haud facile creditu est, quantũ nonnulla huiusmodi verbula temere effusa detrimenti inferant. At, dicit aliquis, interdũ expediet aliũ nosse quę de ipso notãtur & dicũtur, vt viuat exinde circũspectius, nullamq; cuiquã occasionẽ det, fateor expedire subinde; at tunc licite quidẽ res ipsa dicetur, nõ vero declarandũ est quisnã eã dixerit & quidẽ esto ea palam, audientib. plurimis dicta sit: ne quis scil. se excuset, dicẽdo, futurũ haud dubie esse vt quis alius hãc ei denũtiaret. Sibi quisq; caueat, at vę illi, per quẽ scandalũ veniet? Atq; adeo quantumuis alius id audiens instanter scire petat, quisnã hoc primo dixerit, & ipse hoc illi noris gratissimũ fore, minime tamen id illi aperiendum est: aliquando namq; hæc amico gratificandi spes & cogitatio te in fraudem inducit. Neq; enim bona ea amicitia est: nam id declarando, tam noces illi cui dicis, quam rem dicẽti, ac tibi ipsi quam maxime, quod te postea mali,

Prou. 26. 22.

Murmur in speciem leue sæpe valde noxium.

Murmur contra superiores perniciosum.

1.Reg. 15. 5. 6. & 13.

mali, quod tam vnquam alteri fecisti, angat scrupulus & conscientia. Quam vero id malum sit, quantaque inde incommoda sequātur, facile intelligere possumus: nam dum quis iuxta regulæ præscriptum alterius crimen aut imperfectionē ad superiorem defert, *vt ei ipse pro paterna in suos cura ac prouidentia conuenienti remedio possit occurrere*, ita id fiat necesse est vt nesciat alter à quonam ea res delata sit. Ipse etiam superior id omnimodis celare studet; quin etiam debet, vt propria ei regula iniunctum est, ne forte hoc alicuius inter fratres amaritudinis & alienationis animi sit occasio. Si vero etiam tum, cum legitime, & ex regulæ constituto, & ex caritate, & boni maioris studio id fit, sic nobis timendū sit, & tam circumspecte procedendum; quanto magis incōmoda hæc timenda sunt, dum quis eum qui erratum alienum aperuit, nec legitime, nec iuxta regulam, neu caritatis zelo motus, sed temere, indiscrete, inepte, insulse, quin etiā interdum aliqua inuidia & æmulatione concitatus, vel ob alios respectus parum bonos, vel quos alius saltē putet aut cogitet esse tales, reuelando aperit! Matrem suam Monicam hoc nomine inprimis celebrat Augustinus, quod, cum sæpe hinc & inde multas de aliis querelas & verba cū amaritudine & stomacho prolata audiret, nunquam tamen ex vno auditorū alteri referret: sed prout poterat, eos placare, consolari, & inuicem conciliare pro viribus contenderet. Hoc & nos omnes facere oportet, semper Angeli pacis esse studentes.

Reg. 9. Summar. Constit. & 20. Commun.

Reg. 123. Prouincial.

CAPVT IX.

Verba bona & lenia vnioni & charitati mutuæ seruandæ permultum conferunt; quæ vero talia non sunt eidem destruendæ seruiunt.

VNioni ac dilectioni fraternę conseruandę & adugendę ante omnia plurimum cōducent suauia & blanda verba. Vnde Ecclesiasticus, *Verbum dulce*, bene & cum charitate & amore prolatū, *multiplicat amicos, & mitigat* & māsuefacit *inimicos*: è contra *sermo durus*, asper, & insulsus *suscitat furorem*, & dissensionis est seminarium. Quod enim homines simus, huiusmodi verba parū ęquo animo excipimus; &, quod quis iis offendatur & lædatur, hinc est quod non eo, quo ante animo & oculo fratrem intueatur, & omnia quæ eius sunt ei displiceant, & fortasse etiā parum amice ac beneuole de iis loquatur. Vnde permagni refert, verba nostra semper aliquo gratiæ ac lenitatis sale condiri, adeo vt ita amorem & charitatem omnibus audientibus ingenerēt, iuxta illud Sapientis dictum, *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit*. Quod ad primum attinet, aliquid hic, velut cęterorum omnium dicendorum fundamentum præmonendū est, neminē scil. sibimet ipsi imponere debere, sic dicendo, Fratres mei virtute pręstātes sunt, proinde si quid in eos dicatur asperius, arrogantius, & contumeliosius, non scandalizabuntur nec offendentur, atq; adeo parum aut nihil curaturi sunt. Verum nō loquimur hic de eo quid fratres tui sint, aut esse debeant, sed quid tu esse debeas, & quomodo te cū illis geras. Quocirca bene Bernardus: Si dixeris, inquit, tam leui re frater meus nō offendetur; respondeo, *Quanto leuior est, tanto à te leuius potuit non comitti*. Quin imo, addit Chrysostomus, hoc culpā tuā magis adaugeri & aggrauari cum in tam parua re te vincere nequiueris: non quia frater tuus bonus est, ideo malum esse te oportet. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Dico igitur magni quidem omnes faciēdos esse, nec tam eos fragiles esse cogitādum, vt friuolis quibusdam nugis ad indignationem commouendi sint; tam tamen in eorum conuersatione circūspecte & caute nos geramus oportere, quasi si essent vitrei, & omnium mortaliū fragilissimi, nullam eis à parte nostra indignādi, ac amaritudinis concipiendæ, esto etiam sint infirmissimi & imperfectissimi, occasionem dando. Primo quidē nostri causa: nam

Eccl. 6. 5.

Prou. 15. 6.

Eccl. 20. 13.

Serm. 29. in Cantic.

Hom. 70 in Matth.

Matth. 20. 15

nam quod alter magna sit virtute aut perfectus, non propterea culpa nostra aut aufertur, aut ab ea excusamur. Deinde fratrum causa; neque enim omnes, neque ij semper ita dispositi sunt ac præparati, vt quæ in ipsos committuntur, culpas & offensiones non sentiant.

Qualia autem sint verba, quibus fratres lædi offendique possint, haud est intellectu difficile. Quisq; enim ex seipso discere potest quænam sint verba, & ea proferendi modus, quibus frater suus offendi & ad indignationem commoueri queat. Atque hanc nobis regulam Spiritus sanctus per os Sapientis assignat, quomodo cum fratribus nostris nos geremus. *Intel-*
Eccl. 31. 18. *lige*, inquit, *quæ sunt proximi tui ex teipso.* Videat inquam quisq; num indignaretur & doleret, si quis se frigide, parum fraterne, & aride alloqueretur, si quis insulse responderet, si quis præfracte, austere, & per modum imperantis sibi quid iniungeret; & caueat ipse ne eo fratrem suum modo alloquatur. Nam & alius non minus homo est atque ipse, ac non minus cõmoueri posset quam ipse. Ipsa quoq; humilitas optima quædam est ad debite & prout oportet loqui assuescendum ratio. Si enim quis esset humilis, & omnium se minimũ crederet, alia opus nõ esset præcepta præscribere: hoc vnum quippe eum docebit, quomodo se geret. Humilis namque nullum insolens aut incompositum verbum proferet, nec quod fratrem offendat, sed magno omnes respectu & æstimatione alloquetur. Certum est, nunquam aliquẽ superiori suo sic dicturum; *Non intelligit Reuerentia vestra id quod dico*; quod illum alloquatur vt subditus, eumque reuereatur. Quod ergo taliter quis aut similiter fratrem alloquatur, ideo est, quod se illo inferiorem non credat, atque ideo eum cum respectu non alloquitur. Simus ergo humiles, & omnium nos minimos
Phil. 2. 3. credamus, sicut nobis suadet Apostolus; & humilitas hæc nobis verba dictabit, quæ oportet loqui, necnon modum quo illa proferenda sunt. Verum præter regulas & remedia hæc generalia, iam aliquos in particulari verborum charitati contrariorum modos adferemus, vt ita ab iis abstinere discamus.

CAPVT X.

Cauenda esse verba mordacia & scommatica, quæ fratrem nostrum offendere, aut ad indignationem prouocare queant.

ANte omnia cauendũ quam maxime, ne qua verba mordacia & scõmatica, & sales amariores in proximũ proloquamur. Quædam quippe sunt verbula, quæ alios mordere, pungere, ac consequenter ad amaritudinem prouocare solent: quia per illa clanculo & tecte eorum aut indoles, aut intellectus, aut ingenium non vsque adeo perfecta carpuntur, aut denique aliquis alius naturalis aut moralis defectus notatur. Huiusmodi verba inprimis noxia sunt, charitatique fraternæ quam maxime aduersantur. Quæ dum etiam per modum ioci & facetiarum proferuntur, tum deteriora sunt & plus nocenti; & eo magis, quo maiori elegantia & vrbanitate oggeruntur; quod ita profundius audientium animis insideant, & facilius eorum memoria recurrat. Pessimum vero est, quod illa proferens interdum iis dictis quasi re bene gesta cõquiescat, scitum & elegantem quendam leporem se protulisse, & insigne subtilitatis suæ specimen exeruisse ratus. Sed in hoc erat grauissime; quia adeo non ingenij sui aciem sic ostendit, vt potius stuporem illius, atque eo etiam peiorem voluntatem patefaciat; cum quod à Deo ingeniũ accepit ad illi obsequendum, id mordacibus quibusdam salibus, qui fratres suos contristẽt, & scandalizent, & pacem charitatemque perturbent impendat procudendis.

Quando homo, inquit Albertus Magnus, fætentem anhelitum habet, euidẽs id indicium est, hepar aut stomachum eius introrsum vitiatum esse; ita dum quis Tract. de virtut. c. 2. de humil.

verba in proximum parum amica effutit, certissimum ea morbi in animi interioribus latentis sunt argumentum. Quid autem S. Bernardus de Religioso in iocis mordaciore & amarulento dicet? Si enim omnes in ore Religiosi lepores & nugas, blasphemiæ & sacrilegiorum nomine appellare non dubitet; quo vacabit nomine sales, qui charitatem lædunt & proximum offendunt? Omnia hæc à Religione nimis quam aliena sunt ac proinde quidquid huc aliquo modo refertur, quam remotissime a Religiosi ore abesse debet: cuiusmodi sunt, scomma aliquod iacere, sarcasmo virulentiori mordere, irridere, epigramma aliquod satyricum vel componere, vel compositum referre, quo alicuius defectus, imperfectio, vel negligentia notetur; aliaque id genus, quæ tam ioco quam serio prolata nulla ratione permittenda sunt. Per se id quisq; poterit despicere, & ex se experientiam sumere. Anne enim tibi gratum foret, si quis te ironico cauillo proscinderet, & in risum & cachinnum omnes soluerentur, quod tam scite scomma illud in te quadrare? Quod itaque tibi fieri nolles, vide ne id alteri facias: hoc quippe vnũ de charitatis præceptis est. Anne gauderes, si quis verbum aliquod inconsiderate & inconsulte à te prolatum, statim vt serio dictum arriperet, & adeo id in ventos volare non sineret, vt quauis occasione ipsum identidem velut adagium aliquod repeteret? non equidem id credo. Quomodo ergo alteri cuipiam velis id, quod tibi nolis? & quod tibi bilem & stomachũ moueret si tibi fieret, quomodo id fratri irrogabis? Vel nudum nomen scurrilis scommatis & dicacitatis & satyre mordacis offendit, & omnis Religiosi os dedecere videtur, quanto magis ipsemet effectus? Quapropter ita penitus hæc detestemur oportet, vt ne illa quidem nominare sustineamus. Sicut enim Apostolus de omni immunditia ait, *Fornicatio autem & immunditia nec nominetur in vobis sicut decet sanctos*; ita de hoc irrisoriæ dicacitatis vitio sentiendum. Atque inde etiam est quod illud Apostolus

Lib. 2. de consider.

Ephes. 5. 3.

prioribus illis coniungat, dicens, *Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurilitas, quæ ad rem non pertinet*: id est, scurilitas non coincidit cum sanctitate vitæ quam profitemur, vti ne quidem talia nominare. Quare bene S. Bernardus, *Etenim si pro otioso verbo reddet vnusquisque rationem Deo in die iudicij, quanto magis pro verbo impuritatis, & turpitudinis & impietatis*, pro illo quod fratrem pungit, pro illo denique quod charitatem violat?

De ordin. vitæ & morum instit.

CAPVT XI.

Obstinate non esse contendendum, litigandum, contradicendum reprehendendum, nec alia id genus oris vitia vsurpanda.

DAnda etiam opera ne cum alio quopiam peruicaciter contendamus, & aduersus eius sententiam nostram præfracte tueamur: hoc quippe vnioni & charitati fraternæ permultũ aduersatur. Quod etiam præceptum Timotheo suo Paulus inculcãs, nos eiusdem in illo commonet: *Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Et post Paulo addit, *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* Vnde etiam sancti vnanimi consensu & serio ipsum nobis inculcant, à quibus ipsum hausit B. P. N. & in suas regulas transtulit. Malle se, ait S. Dorotheus, rem omnino non fieri, quam vt eius causa inter fratres contentiones & litigia orirentur. Quod etiam legentib. inculcatum profunde cupiens addit, *Millies repetam hoc.* S. Bonauentura turpe & indignum ait esse, seruos Dei inter se *muliercularum* triuialium *more* contendere & verbis concertare. S. Ioannes Climacus scribit, eum qui suam peruicaciter sententiam, quantumlibet veram, propugnat, certum esse debere, à solo diabolo se ad contendendum moueri. Atque hæc rei huius est ratio. Nihil aliud homines ad con-

2 Tim. 2. 14. & 24.

Reg. 18. commun.

In specul. discipl p. 3. c. 3.

contendendum emouere solet, quam nimius humanę laudis appetitus: hinc omnibus ingenij neruis suam ipsorum laudē promouere & propugnare gestiunt, vt nimirum sapientes & rerum gnari videantur, victoresque maneant, vel ne aliis minores esse ac cedere appareāt. Ac proinde ab ipso dæmone superbię huc impellūtur.

Duplex hic error esse & peccatum potest. Primus est eius qui primo alteri contradictionem mouet: quia ipse cōtentionis & litigij ipsius initium est & fons, & is qui ignem accēdit, ac proinde grauior huius est culpa. *Nulli contradicas prior.* Sæpe rei, de qua disceptatur, parū interest, itane se habeat an sec⁹: ipsa autem pacis & charitatis iactura, quę hinc sequi amat, non parui momenti est. Alius hoc vel illud bona fide dixit, & ita id esse sibi persuadet, tu itaque illum in bona sua fide relinque, cum parum à parte rei inde dependeat. Vnde bene monet Sapiens, *De ea re quæ te non molestat*, ac parum refert, *ne certeris.* *Eccl. 11. 9.* Esto etiam alicuius momenti res foret, aut aliquod fratri tuo sequi inde incommodum posset, quod suæ opinioni relinqueretur, ne tum quidem, aiunt sancti, bonum esse verbis cum eo contendere, sed tantum inter te & ipsum solum rei veritatem, ne in illo errore maneat, postea aperiri debere: atque ita finis, qui spectabatur, obtinebitur, & inconuenientia euitabuntur.

Contradicenti cede. Alius, qui hic notandus est error, est, vt, si quando alius tibi contradicit, tu cū illo non contendas nec sententiam opinionemque tuam obstinate sustineas, nec contendendo euincere velis, sed, vt, postquā semel aut bis asserueris id quod verum censes, & tamen alius id credere noluerit in sua illum opinionē manere sinas. Quod fieri debet tacendo tanquam si plura non scires, non autem eo subrisionis ritu, quo se aliqui non tam victos ostendunt, quam vinci voluisse & aduersariis vltro cessisse videri volunt.

Qui iure suo, prout par est, cedit, & in id genus contentionibus ac litigiis vinci se finit, ab iisque se sequæstrat eum generosi & nobilis animi sui argumentum dare ait Sapiens in prouerbiis: *Honor est homini qui separat se à contentionibus.* *Prou. 20. 3.* Nec immerito, quia insignem is hoc pacto erga proximum charitatem ostendit, omnem amaritudinū & indignationum, quæ ex contentionibus & concertationibus oriri solent, occasionem præscindendo; erga se quoque charitatis actum exercet, dum appetitum præualendi, vincendi, & cum honore suo emergendi superat. Denique quendā amoris Dei actum, culpas quæ ex cōtentione sequi poterant impediendo, iuxta illud Sapientis: *Abstine te à lite, & minues peccata.* Econtra qui obstinatus est, præterquam ꝙ malo suo proximū exemplo offendat, causa est, vt pax & charitas amittatur, & multa inde incōuenientia & amaritudines sequantur; & adeo non honorem sibi comparat & æstimationem quam spectabat, vt eius etiam iacturam facit. Nam omnes eum vt capitosum & ceruicosum habēt, & opinionis suæ tenaciorē, ac suo iure cedere nescientem. S. Thomas Aquinas in disputationibus scholasticis nulli vnquam obstinate & peruicaciter contradixisse scribitur; *In histor. prædicat. p. 1. lib. 3. c. 14.* sed incredibili mansuetudine, & verborum temperantia ac neminem despiciēdo, sed magna omnium destinatione sententiam suā proponere solitus: non enim id disputando spectabat, vt superiores ipse ferret, sed tantū vt veritas disceptādo erueretur.

Notum quoq; est exemplum duorum illorum senum, qui cum diu vna in cella simul habitassent, nullam inter se rixam aut cōtentionem habuerant; *In vitis Patrum p. 2. § 92.* experiri vero cupientes num possent inter se litigare, de latere (vtrius videlicet is foret) litē mouere alter alteri cœpit; sed irrito euentu. Ita & nos à mutua cum proximo contentione abstineamus oportet.

Cauendum quoque ne suum quis fratrē reprehēdat, vel corripiat, etsi alioquin id sibi ex charitate ac debito modo facere videatur. Hoc namq; superioris officium est. Superiorē vnum atq; alterū habere, ꝗ nos cōmoneant, & peccātes reprehēdant, aliquo modo tolerantur; at, si is qui superior nō est, corripiētis obire partes velit,

non

non solet reprehensio vsque adeo gratum esse, nec in bonã partem capi. neq; enim libenter homines vulgo à sui æqualibus corrigi & reprehendi volunt. Vnde etiam Regula particulari nobis præscriptũ est, *vt nemo præter eos, quibus per Superiorem licet, quidquam aliis iubeat, aliosue reprehendat.* Atq; vt nemo quid aliis sine expressa Superioris auctoritate mãdare potest, ita nec reprehendere. Non est hoc negotium passim cuiuis credendum: quin imo ipsemet Superior, vt alicuius subditi errorem corrigat & commoneat, eius faciẽdis ante oportunitatem captare, ac sedulo aduertere, verba quoq; dicenda mature cõponere, & quo ea modo proferet præmeditari debet, vt tum correctio, tum cõmonitio in bonã partẽ accipiatur & in correpti vtilitatem cedat. Quæ omnia quã maxime sunt necessaria: si quis autem, nulla animaduersione præmissa, statim ad fratris sui erratum coarguendũ, & quidẽ sæpe adhuc inflagranti delicto (vt dicitur) sub specie zeli descendat, non zelo charitatis is agitur, sed re nescio qua, quæ charitati quã maxime contraria est, quæque damnum afferre potius quam vtilitatem solet. Esto enim rationes ad hoc faciendũ vrgentissimas haberes, impedire tamen non potes, quo minus alter statim tentetur, atq; intra se dicat (& aduertat Deus, ne id etiam verbo expresso proferat) Quis te superiorẽ meũ constituit, cur in officiũ alienum te ingeris? *quis te constituit principem & iudicem super nos?* tu dicas alteri, illum hoc faciendo in Regulam peccare; ipse tibi dicere vicissim poterit, regulæ etiam aduersari, quod ipsum reprehendas.

Exod. 2. 14.

Socrates cum amicis aliis apud virum principem cænans, quendam de cõuiuis, ob nescio quod super mensam cõmissum, quod notarat, delictũ, asperius corripuit. Catoni vero, qui eidem conuiuio pręsens intererat, roganti an non satius & consultius foret id in aliud tempus reijcere, & peccantem postea nemine præsente redarguere? Sic Socrates respondit, an non etiam melius & prudentius ipse faceres, si mihi singillatim & clam tu diceres, de qua me hic coram aliis reprehendis? Illius hoc pacto reprehensionem acute retundendo & retorquendo, simul etiam culpando, quod in id ipse incideret, cuius alium insimulabat. Atque huic potissimum rei reprehensiones conducere debent. Proinde non modo non est zelus & charitas, sed sæpe mala corripientis indoles, maleuolentia, vel impatientia, vel parua eiusdem mortificatio, quæ fratris erratum (quin etiam non raro id quod reuera culpa non est) ita illi in oculos statim faciunt incurrere, vt continere se penitus non queat, quo minus illud ipse palam coarguat; atque adeo nonnisi eo dicto conquiescere, & contentari posse videtur. Non potest, neq; etiã vult seipsum mortificare, & alium vice versa mortificare vult. Mortificationis & rigoris spiritum erga seipsum homo adhibeat, cũ fratre vero suo amoris & suauitatis spiritu vtatur. Hoc siquidẽ verbo nos & exẽplo sancti omnes docent, hoc etiã ad vnionẽ & caritatẽ fraternam permultum iuuat. Vnde liquido patebit, si ne tũ quidem cũ legitime, & prout oportet, & ex caritate, & leniter suauiterq; id facere videris, fratrem corripere & coarguere fas sit, multo minus id bonũ fore, quando nec tam legitime, nec tam bono fine, atque hic est, suum ille peccatũ aperies. Quapropter sedulo hoc caueamus oportet, atq; adeo omnia in genere verba, quę fratres nostros mortificare & deprimere possent, euitemus.

Moises Abbas referente Cassiano, dũ cum Abbate Macario disceptaret, verbũ aliquod mordacius & incõsideratius nescius effudit. Vnde statim vindicẽ Dei manum sensit: nam tam fædus & teter, Deo permittente, in ipsum diabolus ingressus est, vt etiam fædas & horrẽdas immũditias ore eum faceret eiicere, donec tandem orãte pro eo Abbate Macario, is statim emigrauit. Vt hinc appareat, quantopere hoc vitium Deus detestetur, cum id tam horrendis in tam feruido seruo suo, tanteq; sanctitatis viro, qualem Abbatẽ Moisem fuisse constat, modis castigarit.

Cassian. Collat. 7. c. 27.

Non

1.p. lib. 2. c. 25 histor. Minor. Non absimilem castigationis modum legimus in Chronicis ordinis minorum: cū enim frater quidam senex quendam è cōfratribus coram nobili Assisiate asperius & præfractius iratus aliquantulum, alloqueretur, ipse etiam inter loquendum, statim intra se reuersus pœnitētia motus est, fratremque suum ob illa verba turbatiorem, secularem autem male ædificatū cernens, concepta inseipsum vltione, acceptum stercus ori ingessit, ipsumq; masticans aiebat, *stercus masticet lingua illa, quæ aduersus fratrem suum iræ virulentiam effudit.* Vir autem ille nobilis, zelum & feruorem, quo suam pius ille Religiosus culpam suam expiauit, videns, tum maximopere ædificatus est, & velut extra se raptus, tum maiorem erga fratres affectū concepit, se suaque omnia in ordinis obsequium ac ministerium offerens.

Caput XII.

Quomodo, quibusque verbis caritatis fraternæ officium exercendum sit.

In princ. tom. 2. Sanctus Basilius in sermone, quo ad vitam monasticā auditores est exhortatus, peregregium ac perutile iis, qui exteriora officia obeunt, documentum & præceptum præscribit, quoad modum scilicet, quo eadem sunt peragēda. *Siquando,* inquit, hæc tibi officia subeunda sunt, *in eo aduigila, vt ad laborem corporis,* etiam beneilla exequi allabores, & *verborum lenitatem suauitatemque* adhibeas, vt reliqui nimirum intelligant, id te ex caritate facere, itaque gratum iis tuum sit ministerium. Atque hoc est quod dicit Eccles. 18. 15. Ecclesiasticus: *Fili,* inquit, *in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quam datum: nonne ecce verbum super datum bonum?* Atque ille sal est, quā quidquid agis, condiri & saliri, sapidumq; reddi iubet Apostolus. Plus valet & pluris fit modus & gratia qua seruis, & verba bona, quibus respondes, quā quidquid agis. Econtra quantumlibet opereris & defatigeris, nisi id bono fine agas, ac placide & quæras & respondeas, adeo hoc nihili fiet, & parui pendetur vt totum quod agis, amittere videaris. Vnde Apostolus: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere.* Colos. 4. 16. Id est, verba & responsa tua sale gratiæ & suauitatis plena esse debent, quæ mihi quam gratissima est. Quod occupatissimus sis, quod varia tibi facienda incumbant, etsi etiam agere nequeas, quod à te fieri alij velint, non propterea fratri tuo austere, proterue, & parum mansuete respondendū; quin potius tunc danda tibi opera vt responsio tā bona sit, vt alter tam contentus abscedat & lætus, tamquam si tua ipsi viscera corā spectanda dedisses. Verbi gratia dicendo, Quam sane mihi gratum foret id exequi, si possem at modo non possum, suo tempore eius exequendi commoditas erit. Si vero ideo minus id facias, quod licētiam ad hoc nō habeas, dicendo; Exspecta, facultatem ad hoc petitū ibo. Quare quod opere præstare & cōplere non poteris, per bona verba stude supplere: adeo vt bonam tuam voluntatem omnes intelligant. Atque hoc est quod significat Ecclesiasticus: *Lingua Eucharis* (id est gratiosa) & verba quę viscera amoris testentur, *in bono homine abundat.* Eccles. 6. 5. hoc pacto enim caritas, & vnio cum aliis quā maxime conseruatur.

Confundi nos ait S. Bonauentura debere, dum verbum aliquod durū & asperū proloquimur, quo frater noster offēdatur aut indignetur, esto id inconsiderate, subitoque effundatur, & nonnisi primus sit motus, verbum denique quam leuissimū sit: &, si interdum in hoc impingere nos contingat, statim debere erubescere & humiliari, proximoq; satisfacere, veniam ab eo suppliciter petendo.

Cassian. Collat. 7. c. 27. S. Dositheus cum infirmorum curator esset, singulariter cauebat ne quem eorū durius cōpellaret, sed magna omnes pace & caritate complecteretur: sed, quod cum tam variis illi agendum esset; alias cum coquo, num videlicet eo loco isthæc po-

nenda esset olla; alias cum dispensatore domestico, cur videlicet optimum ac sapidissimum ægris non daret, vel cur non tam cito daret; alias cum Refectorij curatore, quod aliqua ad refectoriũ pertinentia vsurparet, hinc fiebat vt interdum cõtentiori voce loqueretur, ac verbũ asperius & durius proferret: quod cum accideret, adeo ipse confundebatur, vt cellam suam petens, & in terram se prosternens, amarissimis lacrymis commissum expiaret, donec vice quadam magister eius Dorotheus casu illac pertrãsiens id inaudiit; qui mox ex eo quæsiuit, Quid hoc est Dosithee? quid comisisti? Ille statim multis cum lacrymis culpam suam cõfessus, Pater, inquit, durius fratrem meum sum allocutus. Quem Dorotheus eo arguens & reprehendens dicebat, Hæccine humilitas est? nondum tibi vita aufertur, & hoc pati nequis? Postquam vero verbis erratũ iam castigasset, dicebat, Iam surge, quia tibi Deus ignouit, iam de nouo incipiamus. Aitq; tam læte & alacriter inde surrexit, perinde ac si ex ore Dei audisset cõmissa sibi esse condonata; & nouum exinde propositum facere solitus, nullũ posthac asperius ac contentiosius alloquendi.

Vt autem omnes, tam qui caritatis officia obeunt, quam quibus eadem impẽduntur, fructum aliquem capiant, duo S. Basilius præcepta ac monita, breuia quidem illa, sed inprimis substantialia, assignat. Interrogat ipse, quo modo bene & prout oportet fratrib. nostris seruire poterimus? ac respondet, si cogitemus, nos, dum fratri seruimus Christo seruire: Ipse enim dixit, *Amen dico vobis, quod vni de fratribus vestris minimis fecistis, mihi fecistis.* Ita tua age, tamquam Deo seruiens, & non hominibus, atq; ita fiet vt bene, debito modo, & cum bona gratia ea facias. Rursus mox interrogat, Quomodo vero obsequium, quod mihi ab alio impenditur, ipse recipiam? ac respondet, *Velut seruus ab hero*, atque eo modo quo S. Petrus, dum pedes illi Dominus lauare voluit, *Domine tu mihi lauas pedes?* Hoc sc. modo, tam in his quam in illis hinc conseruabitur humilitas; neque enim seruiens indignabitur, nec fratri suo seruire graue ducet, quod illum, vt Domini filium intueatur, & in illo ipsimet Christo seruire se cogitet; neq, etiam recipiens inde extolletur, quod sibi omnes ministerium impendant, quin vero magis ideo confundetur & humiliabitur, considerando non sibi, sed Deo ac Religioni id impendi: illinc vero mutua inter fratres caritas ob eandẽ causam conseruabitur, & valde increscet.

quæst. 160. & 161. ex breui.

Matt. 25. 40.

Seruiendum fratribus, vt Christo.

Obsequia fratrum acceptanda, tanquam à Deo profecta.

Capvt XIII.

Quid agendum, si quando aliqua nobis oboritur cum fratre indignationis & offensionis materia.

VErum quia etiam homines sumus, nec omnes tam solide firmiterq; pedem figunt, quam aliquando cespitent & impingant, verbum aliquod asperius ac lædens loquendo, vel aliquam offensionis occasionem fratribus dãdo; vtile fuerit videre quo tunc nos modo geremus. Hoc ergo cum continget, non eodem accentu & tono illi respondendum, id est aspere & dure; sed virtus & humilitas aliquem in nobis locum habeat oportet, ad ipsum in bonam partem accipiendum, & discrete dissimulandum. Non tam exilis ac tenuis carititis nostræ ignis esse debet, vt aliquot aquæ guttulis extinguatur. Idcirco eam, inquit Basilius, vocauit Apostolus caritatem fraternitatis, vt indicaret scil. amorem non debere esse leuem, nec talem qualem, sed singularem, feruẽtem, & potentem. *Caritas fraternitatis*, inquit, *maneat in vobis*; Et, *Caritate* fraternitatis inuicem diligentes. Peroptandum quidem inprimis est, ne quis tam opere quam verbo vllam fratri vel minimæ indignationis offensionibusq; occasionem præbeat; simul tamen etiam optandũ est, vt nemo tam vitreus, fragilis, puerilis, & in virtute tenellus sit, vt ob friuolas,

In quæst. breu. q. 242. Heb. 13. 1. Rom. 12. 10.

aliquas

aliquas ineptias statim turbetur, contentiori voce loquatur, ac pacem amittat. Melius foret, vt alter alterum non reprehenderet, & vnus in alterius officium se non ingereret: si quando tamen aliquis ex infirmitate fratrem suum reprehēderit, minime par est vt reprehensus statim illi hāc oggerat & exprobret, petens num sui reprehendendi facultatem habeat ac copiā, ac Regula speciali vetari dicens, ne quis in alterius se partes ingerat. Inde quippe aliud sequi non potest, quam vt iam incipiat esse aliquid, quod si taceret & dissimularet, nihil omnino foret. Si quæ res dura alteri duræ superincidat, fragorem edit ac strepitum: at, si durū quid in molle incidit, ne quidē auditur ac percipitur. Globus balistæ emissus, turrim è secto etiam lapide constructā deiicit, magnumq; strepitum ciet, at in saccos lana ac tomēto plenos incidens, vim omnem amittit, inque illa mollitie extinguitur. Bene ergo locum hic habet, quod dicit Salomon, *Responsio mollis* & suauis *frangit iram*, & econtra *sermo durus* & verbum asperū magis eam accendit *& suscitat furorem.* hoc namq; est igni ligna addere, secus ac suadet Sapiens, dicens, *Non strues in ignem illius ligna.* Tua itaque responsione flammā non reaccendas, sed tanta in te virtus sit oporter & lenitas, vt, licet quis aliquando te durius & asperius alloquatur, neutiquam propterea commouearis, ac nemo id exterius vel audiendo vel videndo percipiat; sed omnis illa asperitas ac duities illico submersa extinguatur.

Prou.15.1. — *Eccl.8.1.*

Modestum & humilem quendam nos S. Dorotheus in id genus occasionibus respondendi modum docet. Quando, inquit, nos quis aspere affabitur & increpabit, tametsi etiā ea quæ minime fecimus, nihilominus submisse & humiliter ad ea respondeamus, veniam ab illo petendo, tanquam, si nos ita loquendi occasionem illi dedissimus, atsi eam alium dedisse certum sit, dicamusque, *Ignosce frater, & ora pro me.* Atque id ipse de quodam è priscis illis Patribus refert, qui sic faciēdum suis consulebat.

Doroth. doctrin.15. — *In quæst. breu. q.242. Heb.13.1. Rom.12.10.*

Hoc modo si cōmuniti simus; hinc inquā sedulo aduigilemus ne quem offendamus, ac nullam fratribus succensendi stomachandiq; occasionem demus, illinc vero parati simus & dispositi, ad ferendū & benigne interpretandū quidquid hac in parte occurrerit, summa pace & vnione gaudemus. Si tamē aliquando se cōtinget impingere, & aliqua tibi animi à fratre alienandi sese offeret occasio, tū quod ipse temere incōsiderateq; aliquid aduersum te effuderit, tum q̄ tanta tua virtus nō sit & humilitas, vt id patienter feras & dissimules; sed malleus durus in duriorum incudem incidens, strepitum aliquē concitet; adeo vt ideo fratri tu tuo succēseas, & male erga eū sis animatus, & ipse vicissim erga te, quod stomachabunde illi replicādo respondeas; tunc, inquit Bonauentura, hæc animi à fratri tuo alienatio protinus exuēda est nec sinendū vt aut in hoc, aut in illo radices profundas agat: sed dāda tibi opera, vt quamprimum illi, etiam antequam comedas, aut saltem cubitum concedas, satisfacias, & cum eo in gratiā redeas. Et ad hoc adfert illum locū Apostoli, *Sol nō occidat super iracundiam vestrā,* desinat hęc, antequam desinat dies. Optimam autem satisfaciendi & in gratiā redeundi rationem esse ait, veniam ab inuicem petere: quam & B.P. nobis in Constitutionibus præscribit: *Non est ferenda inter vllos domesticorum perturbatio, vel ira mutua: si quid autē huiusmodi accideret,* vel ex nostra fragilitate, vel inimici ignem discordiæ inter fratres semel exortæ semper in sufflantis & fouentis instigatione, *curet* Superior, *vt statim cum satisfactione debita in gratiam* inuicem redeant. Inter alia autem eiusdem Patris monita spiritualia, quæ calamo exarata exstant, hoc non postremū est, quo monet, vt, si quid huiusoemodi in domib. nostris oboriatur, statim dissentiētes ab inuicē veniā postulēt, itaq; hoc demū debita illa satisfactio est, q̄ Cōstitutiones requirūt. Per hāc proinde humilitatē ipsa caritatis fractura & diuulsio resarcitur, quemadmodū bene notauit S. Bernardus his verbis, *Sola humilitas est*

Eph.4.26. — *3.p. Constitut. c.1. liter. P. & habetur. reg. 32. Rectoris.*

Serm. 2. de Natal. Domin. *læsæ caritatis reparatio*. In hac autem venia tam petenda, quam concedenda omnes quam facillimi simus oportet, iuxta illam Apostoli sententiam, *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam*: quin imo alteri alterum hoc in officio præuenire gestiat, *vt accipiat coronam tuam* ac lauream. qui enim spõte cedere incipit sese humiliãdo, & veniã primo petendo, egregiã & illustrẽ sibi coronam comparat. Quocirca qui senior, aut in virtute ac mortificatione prouectior est, aut esse saltem debet, primus iure suo cedere studeat, nec nescio quos apiculos aut circumstantias respiciat, nec vtrum ipse iniuriam sit passus, aut maioribus ad indignandum rationibus nitatur. Pastores Abraham & cognati eius Loth, cum inuicem ob pascua gregum litigarẽt, statim Abraham de iure suo cessit, Lothoque optionem dedit, dicens, *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & tuos, fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est, recede à me, obsecro: Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.*

Coloss. 3. 13.

Gen. 13. 8.

In Chronicis Cisterciensium dicitur monachus quidã, quoties sacras Eucharistiæ epulas capesseret, tanta à Deo suauitate perfundi solitus, vt mellis fauũ se recipere crederet, atque hæc suauitas ac dulcedo ad triduũ durabat. Quadam die cum vnũ de fratrib. imperiosius increpasset, & nondũ ei reconciliatus ad sacram synaxin accessisset, adeo solitã mellis suauitatem non percepit, vt amaritudinẽ fellis in ore habere videretur; quia nimirum Christi Domini in Euangelio mandatum non adimpleuit, dicentis: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te; relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* E quibus liquido constabit, quantopere Deus velit eũ, qui aduersus fratrem suũ aliquid habet, quamprimũ ei reconciliari, cum eum etiam iam ante altare stantem reuerti, & gratiam cũ eo inire, antequam victimam offerat, præcipiat.

Matth. 5. 23.

CAPVT XIV.

Tria proponuntur monita, tunc obseruanda, cum aliqua indignandi offensionisq; nobis occasio offertur.

EX hactenus dictis tria colligere documenta possumus, quæ tunc vsui venire nobis debẽt, quando frater noster nos offendit, aut aliquam indignationis materiam dedit. Primum est, vt omne vindictæ desiderium nimis quam procul à nobis dispellamus. Omnes inuicem fratres sumus, & vnius omnes corporis membra; nullum porro vnquam membrum ab alio læsum, in ipsum insurrexit iniuriã vlciscendo, neq; vllus hactenus puer adeo fatuus fuit, vt, quod linguã momordisset, iratus dentes, qui morsum inflixerant, euulserit. Domestici inuicem sunt, vt esto vnum illatum sit damnum, ad secundum nolunt descendere. Sic & nos, si quando aliquam nobis frater iniuriam irrogauit, dicamus oportet, Corpus meũ est, ignoscamus illi nullũ ei malum vel faciamus, vel velimus; vno illato vulnere, nefas est secundum in hoc Religionis corpore infligere. *Nulli malum pro malo reddendo?* Nõ hic loquor de vindicta circa rem aliquam grauẽ: nam in statu Religioso omnes quã longissime ab ea distant, & distare debẽt; sed de rebus leuibus, quas sine graui aliquo peccato quis alteri aut velle, aut facere se posse credit. Dicet quis, Nolo sane vt fratri meo sinistri quid contingat; sed verbum vnum atque alterum illi dictum vellem, quod profecto sentiret, & è quo videret male se in hac re fecisse. Alius gaudebit, si quãdo is, quem aduersarium habet, ab alio aut reprehenditur, aut castigatur. Alius denique nescio quam delectationem aut complacentiam in animo sentit, quod hoc vel illud bene alteri non successerit, vel quod mortificetur & humilietur. Vindictæ species hæc sunt, & malum quid, atque qui huiusmodi est, is ex toto corde fratri suo iniuriam non cõdona-

Corporis vnius membra sumus omnes

Rom. 12. 17.

A leuioribus etiam vindictis cauendũ.

donauit; & nonnisi cum aliquo animi remorsu dicere poterit illud, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc inter nos Religiosos maius aliqua ratione piaculum foret, quam si mundani in re quapiam magna de inimicis suis vltioné exigerent. Monet proinde Salomon, *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei*, noli talionem fratri rependi optare; hoc namque est vltionem de eo velle.

Matt. 6. 12.

Prou. 24. 29.

Secundo, non solum ab quocunq; vindictæ desiderio, quo male velimus ei qui nos læsit, procul abesse debemus, verum etiam ab alia qualibet re cauere, quę mūdanis circa hæc licita videatur. Dicere quippe mundani solent, Nullum Ioanni malum precor aut opto, nunquam tamē amicus ei ero Quandam scil. in corde suo fouent auersionem & rancorem aduersus eum, à quo læsi sunt, vt posthac illum bonis oculis respicere nequeant, vti ipsimet dicunt. Id in secularibus reprehēdi solet; quin adeo dubitamus interdū, num hi sic loquēdo in rigore præceptum de caritate fraterna adimpleuerint: inde namq; sequi solet, vt illū exinde nō alloquantur, aut aliquod etiā aliis scandalū dent. Quanto ergo maius piaculū foret, si quid horū etiam inter nos occurreret, & aliquā nos in cordibus nostris aduersus fratrem amaritudinem vel displicentiā foueremus, nec eum tā bonis oculis sicut ante, *Sicut heri & nudius tertius*, aspiceremus? Res hæc à Religione est alienissima. Quare monet Apostolus, *Omnis amaritudo & ira, & indignatio tollatur à vobis.* Et mox, *Estote aūt inuicē benigni, misericordes, donantes inuicē, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* idq; ex animo & corde faciamus oportet. Nosti quantum ex corde? dicit Apostolus: *Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos.* Vide q̄ ipse nobis ex corde parcat & condonet, quādo cōmissorum nos pœnitet, & veniā eorundem ab ipso petimus. Nulla quippe exinde in eo manet alienatio, sinister oculus, aut rancor, non obliq; nos intuetur, sed amici eius sumus vt ante; ac tam beneuole nos cōplectitur & diligit, tanquā si nunquam in eū offendissemus, nec pręterita scelera nobis exprobrat, nec amplius eorū recordatur: *Peccatorū*, inquit, *& iniquitatū eorū iam non recordabor amplius. Et proiiciet*, ait Propheta, *in profundū maris omnia peccata nostra.* Pari ergo modo inuicē nos ignoscere delinquentib. oportet, & iniuriarū acceptarum obliuisci, vt nulla videlicet in nobis maneat ab offendente fratre alienatio, nec oculus sinister, aut rancor, sed ita eū in gratiā recipiamus, ac si nunquā nos læsisset, & nihil inter nos occurrisset. Si tibi sic Deū ignoscere velis, ignosce sic & fratri tuo: sin minus, time illā Christi Domini in Euangelio cōminationem; *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordib. vestris.* Et illā, *Dimittite & dimittemini; eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Corporis vnius membra sumus omnes

Rom. 12. 17.

Gen. 31. 2.

A leuioribus etiam vindictis cauendū.

Ephes. 4. 31. & 32.

Coloss. 3. 13. Deus ex corde remittit, ergo & nos omnes reliquias offensionum tollere debemus.

Heb. 10. 17.

Ezech. 18. 22.

Michea. 7. 19.

Matt. 18. 35.

Luc. 6. 37.

Tertium documentū, per quod melius id ꝙ pręcedit exponitur, S. Basil. suggerit. Sicut inquit, particulari erga aliquē affectu ferri nō debemus; quia hæc particulares amicitiæ multa secū trahere solēt incōmoda, vt postea dicturi sumus; ita nec ab aliquo alieni esse vel auersi; nā & hæ auersiones nō pauca damna secū ferūt. Quodnam aūt maius dari fingiq; incōmodum & inconueniens queat, quā si (quod Deus auertat) de quopiā nostrū dicatur illud, Petro nō bene cōuenit cū Ioanne; ex quo hoc cōtigit, non ea quæ solebat inter eos est familiaritas & caritas; sinistro & parū amico inuicem oculo cōtuentur, à se mutuo alieniores sunt? Hæc sane collisio & ruptura huiusmodi est, vt vniuersum Religionis corpus subuertere, & in ruinam trahere valeat Si enim inde nos ab hominibus cognosci vt suos discipulos Dominus velit, quod alterutrum diligamus, sequitur eum, qui fratrē non amat, sed odit, nec Christi discipulū, nec bonum religiosum fore. Cui incommodo vt occurratur, hoc quod sequitur obseruandum est: Vt enim dum particulari aliquo erga hūc vel illum affectu te ferri sentis, hunc toto conatu à te eliminare debes, ne in corde tuo radices is agat, aut prædominetur; qua in

Serm. 4. de instit. monast.

Cap. 18.

Ioann. 13. 35.

re illud singillatim etiam rerum spiritualium magistri præscribunt, diligenter scil. tunc homini cauendum, ne voluntas & affectus hic particularis foras prorumpat, nec per opera exterius se prodat, sed ita celetur, ne quis eum aut intelligat, aut videat; hoc namq; maxime scandalizare & offendere alios solet: ita quoties aliquam ab aliquo in corde alienationem auersionemq; sentis, quam diligentissime ea statim à te effuganda est, ne in animo radices agat, ac longius se dilatet. Potissimum vero tibi opera danda, ne ex operibus deforis quis colligat, hanc te auersioné tentationemq; à fratre habere: hoc siquidem plurimos offendere, & varia incommoda causare potest. Nec tantum cauendum ne hanc alij videat, verum etiam ne ipsemet, à quo alienus es, percipiat. Intelligi id cómode poterit ex illo, quod præ manibus habemus, exemplo. Quemadmodú sunt non pauci, qui particularem, quo in vnú feruntur, affectum, ita celát, ne quis alius eum percipiat, ne quem hoc pacto offendant, vel scandalizent; ei tamen, erga qué ita afficiútur, eum multis in rebus declarant ac patefaciút, modo quidem aperte, alias tecte (quod noxium inprimis & perniciosum est) ita quoq; sunt nónulli, qui, tametsi caueant ne quis alius percipiat se alieniore à fratre suo animo esse, vt scandalum & offendiculum, quod inde sequi posset, ita euitent; ei tamen, à quo dissentiunt, aliquibus se signis haud dissimulā ter produnt, vel in conuersatione ab iis se subducentes, vel eam quam solebant vultus hilaritatem non præferentes, vel deniq; in omnibus quæ se offerunt occasionibus, austeritatem & auersionem quandam ab iis demonstrantes, quin imo data opera & ex professo volunt & gaudent, vt alius videat se illi ob eam quam accepere ab eo iniuriam succensere. Hoc quoq; inprimis malum & damnosum est; vindictā namq; redolet, q̃ de fratre suo sumút. Hæc itaq; omnia remis velisq; fugiamus.

Alienatio animi à fratre nec fouenda nec prodenda.

Propterea, quemadmodum sancti scriptores consulunt, vt, dum ab aliqua tentatione oppugnamur, propter periculum quod sequi possit, cautiores incedamus, ac tum magis vigilemus, ne tentationi aliquomodo succumbamus, nosq; ad cõsensum ea pertrahat: ita, quando aliquam a fratre tuo auersioné, alienationem, motumq; inordinatú senties, cautius & circumspectius incedas necesse est, ne ab illa transuersim abripiaris, & aliquid dicas vel facias, quod animum & tentationem tuā patefaciat, offensionisq; aliquā fratri tuo occasionem præbeas: imo vero tunc magis eniti debes vt benefaciédo illum præuenias & vincas, Deum videlicet pro illo rogando, bene honorificeque de ipso loquendo, & quacunq; in re poteris, ipsum iuuando, iuxta id quod in Euangelio Dominus consulit, & Apostolus faciendum monet, benefaciendo scilicet malum esse vincendum & expugnandum. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, carbones inquam amoris & caritatis.

Matt. 5.44.

Thomas a Kempis refert Sacerdotem quendam Dei seruum, & suum in eodem Cœnobio contubernalem, dum alicuius negotij exequendi causa ad alium Conuentú proficisceretur, in via in virum sæcularem incidisse: qui cum familiariter inter se agerent, ac de rebus spiritualibus sermonem inferrent, eo longius protracto, sæcularis dicere cœpit, se rem illi, quę alias sibi contigerat narrare velle. scilicet se, quoties sacrum Missæ officium audiret, nunquam in sacerdotis manibus sanctissimum Christi corpus videre potuisse; & quidem multo temporis spatio. Ratum autem id contingere, quod ab altari esset remotior, & ob visus infirmitatem eatenus pertingere non posset, ad altare & Sacerdotem celebrantem accessisse propius. non propterea tamen plura vidisse quam ante; & hoc amplius anni spatio durasse. Quam rem cum obstupesceret, & simul erubesceret, causam tamen eius ignorans, apud semetipsum statuisse, bono cuidam Sacerdoti in confessione id aperire. Hic cum prudenter matureque conscientiam & animi statim explorasset, comperit hominem hunc, ob acceptam ab aliquo iniuriam,

In vita Henrici Bruni. c. 7.

iuriam, quam condonare nullatenus voluisset, inimicitiam & rancorem animo fouere. Itaque hominis huius malitiam & duritiem cordis perspiciens, partim eũ reprehendit, partim commonuit, simul etiam periculi, in quo versabatur, grauitatem indicauit, & nisi ex corde iniurias acceptas remitteret, frustra peccatorum se suorum veniam sperare; atque vnum hoc in causa fuisse, cur veri altaris Sacramentum videre non posset. Se vero, his auditis, in corde compunctum fuisse, & confessarij sui consiliis parentem, inimico iniuriam omnem condonasse; quare confessione peracta, & pœnitentia & absolutione accepta, templum ingressum esse, & diuinissimum Christi corpus in sacrificio Missæ sine difficultate vlla & obstaculo conspexisse: & in gratiarum actionem se ob singulare hoc beneficium, & alia, quæ creaturis suis mirabiliter donare, Deum Opt. Maximum benedixisse, & exinde bendicendo saturari non potuisse.

Matt. 5.44.

In vita Henrici Bruni. c. 7.

Caput XV.

De iudiciis temerariis, in quo illorum malitia & grauitas sita sit, declaratur.

Rom. 14.10.

Tv *autem*, ait Apostolus, *quid iudicas fratrem tuum, aut quare spernis fratrem tuum*? Inter reliquas tentationes, quibus dæmon, boni nostri aduersarius, nos oppugnare solet, non postrema est illa, qua nos ad sinistra iudicia & suspiciones malignas aduersum fratres nostros concipiendas sollicitat, vt quam de illis opinionem bonam & æstimationem concepimus, nobis auferendo, simul etiam ipsum amorem & charitatem fraternam eripiat, aut in ea nos saltem intepescere & refrigescere faciat. Vnde nostrum est, tentationi huic qua possumus contentione resistere, eamque vt grauem ducere, quod in primario quodam membro, caritate inquam, nos lædere conetur. Vnde monet Augustinus, *Præ omnibus cauenda est suspicio, quæ est amicitiæ venenum*; id est, si fraternum amorem & charitatem tueri, integramque conseruare velis, ante omnia cauendum ne quem temere iudices, aut prauam de aliquo suspicionem concipias: hæc namque charitatis pestis exitialissima est. S. Bonauentura porro ita eam describit, *Occulta pestis, sed grauissima, quæ Deum fugat, & fraternam caritatem lacerat.*

Lib. de amicit. c. 24.

In stimulo amoris. c. 10.

Vitij huius malitia & grauitas in eo consistit, quod suiipsius iudicio quis proximum infamet, ob leuia quædam & nullius momenti iudicia eum contemnendo & vilipendendo, & vilem contemtumque ei in corde suo locum assignando. In quo profecto non mediocrem fratri suo iniuriam & contumeliam irrogat: eo vero maior hæc futura culpa est, quo res, circa quam ipsum diiudicat, grauior erit, & indicia minus euidentia. Culpæ porro huius grauitas ex alia simili colligetur. Si fratris tu tui nomen & famam apud aliũ læderes, ita vt hic bonam, quam de eo opinionem conceperat æstimationemque, exueret, & ipsum qua posset insuper contumeliis afficeret, clarum est maximum quoddam id peccatum fore: eandem autem tu illi iniuriam facis, dum sine causa, nec sufficientibus ad hoc vrgentibus indiciis, æstimationem & bonam opinionem, quam de ipso habebas, eripis: tanti quippe fratri tuo est se apud te bene audire & æstimari, quanti si apud alium quemlibet. Atque inde quiuis facile perspiciet, quantum hoc pacto fratri suo iniuriam & malum inferat. An non graue tibi foret, si quis te nulla sufficienti ad hoc causa data, vt talem duceret? Eandem autem tu alteri iniuriam infers, dum eum apud te talem esse iudicas. Secundum teipsum & animum tuum, eum metire: hæc namque charitatis erga proximum, necnon iustitiæ omnis mensura est & norma.

Iudicium temerarum æquiualet detractioni.

Notandum hoc loco est, aliud esse à temerariis iudiciis tantari, aliud vero ab corun-

eorũdem tentatione vinci: sicut & in aliarum materiarum tentationibus dicere solemus: siquidem aliud est, ad inhonesta & illicita tentari, aliud vinci, & obscœnis tentationibus consentire. Vt enim primũ nullum malum continet, sed secundum: ita nec hac in materia malum est à cogitationibus ad temere de alio iudicandum impellentibus diuexari; quamquam longe melius foret, tanta nos erga fratres caritate & amore ferri, tanti eos æstimare, tã etiam bene propria delicta agnoscere, vt de alienis respiciendis, inque animo voluendis ne cogitemus quidem. Denique, vt S. Bernardus ait, *Nõ nocet sensus, vbi non est consensus*: at vbi consensus adest & homo à tentatione vicitur, tũc demum culpa fit. Pari modo tum quis à temerariorũ iudiciorum tentatione vinci dicendus est, quando iisdem consentit, itaque se rẽ habere firmiter sibi persuadet; & æstimationem & reputationem quam de fratre suo habebat, propterea exuit, eumq; minoris facit, iuxta superiora Apostoli verba. Quare, quando cõfessionem instituet, non est necesse dicat, temeraria sibi de fratre iudicia occurisse, sed quod iisdem cõsensum præbuerit, & ab illa tentatione superatus fuerit.

Tentari & consentire differunt.

De interior. domo. c. 19.

Commonẽt hoc loco Theologi, quam diligentissime hominem cauere debere, ne quod de proximo sibi occurrit iudicium, aut mala suspicio, alteri cuipiam id reuelet, ne forte in causa sit, ne & ille idẽ de proximo iudicium ac suspicionem cõcipiat, vel in ea quæ fortasse illi ante occurrerat, confirmetur. Tam praua siquidem nostra in malum inclinatio est, vt facilius ac citius de alio credamus malum quam bonum. Necnon, hominem inter confitendum videre debere, ne eum, cõtra quem huiusmodi iudicium formauit, vti nec eum qui sibi propter hoc vel illud offendiculo fuit, confessario aperiat; ne & hic propterea malam aliquam suspicionem cõcipiat, vel saltem minoris eum æstimet. Adeo scilicet nos circumspectos & solicitos Doctores & sancti Patres esse volunt in honore & proximi fama conseruanda: & tu ob leuia & tenuia quędam iudicia, æstimationem illam & reputationem illam & reputationem, quam apud te habebat, & cuius apud omnes habendæ naturale quoddam ius habet, quamdiu opera eius contrarium euidenter nõ ostendent, illi adimere cupis.

Iudicans temere inuolat Dei iurisdictionem.

Præter iniuriam illam & malum, quod hac ratione quis proximo infert, aliam insuper vitium hoc malitiam & grauem in Deum iniuriam continet: quod nimirum iurisdictionem & iudicium, quod Deo proprium sit, sibi arroget, longe secus ac redemptor apud Euãgelistam pręscripsit: *Nolite, inquit, iudicare & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Temeraria hic iudicia à Domino vetari Augustinus ait, qualia sunt, cordis intentionem, aliaque incerta & occulta animi arcana diiudicare: quod causæ huius cognitionem sibi soli Deus reseruarit, propterea nos temere eius excusationi vetat ingerere. Particularius vero idipsum declarat Apostolus, ad Romanos scribens: *Tu quis es qui iudicas alienum seruum?* iudicare namque actus est superioris: hic autem homo tuus subditus non est, herum habet, Dominum inquam cœli; cui *stat aut cadit*: illi itaque eum iudicandum committe, & tu Dei iurisdictionem vsurpare noli. *Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscõdita tenebarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Domino.* Hanc Apostolus rationem dat, cur neminem diiudicare debeamus; quia scilicet occultæ & incertæ sunt causæ quæ ad Dei tribunal pertinent. quocirca qui id genus causis diiudicandis sese immiscet, Dei iurisdictionem & iudicium sibi vsurpat.

Iudicans temere inuolat Dei iurisdictionem.

Luc. 6. 37.

Lib. de serm. Domin. in monte. c. 28.

Rom. 14. 4.

1. Cor. 4. 5.

Quidam de priscis illis monachis, cum ob indicia quædam incerta quæ viderat vel audierat, male de alio monacho iudicasset, statim de cœlo vocem delapsam audit, quæ diceret, Homines iudicium meum sibi assumpserunt, inque alienam iurisdictionem inuolarunt. Si autem

tem

tam nos, quam sancti ita de illis censent rebus, quæ aliquam etiam mali speciem habent & apparentiam; quid dicendũ de iis, qui & ea quæ ex se bona sunt, in malã partem interpellantur, ea mala intentione & ob respectus aliquos humanos fieri asserentes? Quod qui faciũt, ii multo magis iurisdictionem ac iudicium Dei vsurpãt, cum etiam intra humanorum cordium adyta penetrare & occultas intentiones & cogitationes (quod Dei proprium est) iudicare velint. S. Iacobus ait, *Facti estis iudices cogitationum iniquarum.* Salomon vero eos velut ariolos ac diuinatores fieri velle docet, iudicantes quod nesciunt, & scire non valent. *In similitudinem arioli & coniectoris æstimas quod ignoras.*

Iac.2.4.
Prou.23.7.

CAPUT XVI.

Recensentur causæ ac radices, è quibus temeraria iudicia pullulant, & eorundem remedia proponuntur.

Radix temerarii iudicii superbia.

PRIMA, è qua temeraria iudicia enasci consueuerunt radix est, ea, quæ simul & omnium malorum & peccatorum est origo, superbia scilicet; è qua etsi reliqua mala pullulent, hoc tamen ante alia. Bonauentura rem hic notet consideratione dignissimam: nempe eos qui se vt spirituales habent, magis ad alios diiudicandos & sugillandos tentari solere; adeo vt implere velle videantur, quod alio in sensu olim dixit Apostolus, *Spiritualis autem iudicat omnia.* Dona quædam Dei in se videre sibi videntur, ob quæ cum humiliores esse deberent, in iisdem magis euanescunt, putanteſq; se esse aliquid, in sui comparatione alios parui faciunt, dũ eos vel minus recollectos, vel ob rerum occupationem exteriorum distractiores & magis diuisos arbitrantur. Inde porro quidam in iis spiritus nascitur, qui, dum vitam aliorum reformare & corrigere cupit, sui ipsius obliuiscitur. Sancti porro Patres docent, simplicitatem humilitatis esse filiam; quia verus humilis oculos apertos tãtum habet ad sua ipsius delicta notanda, clausos vero ad aliena; & tam multa semper in se notanda & plangenda inuenit, vt nec oculos, nec cogitationes ad alienas imperfectiones respiciendas cõuertere possit. Vnde si quis vere humilis foret, quã longissime ab id genus iudiciis abesset. Atque ideo sancti remedium hoc, velut tam ad hãc rem, quã ad alias plures efficacissimum suggerunt, vt nimirum oculos nostros non aliter apertos habeamus, quã ad propria delicta respicienda (*vt sciam quid desit mihi*) clausos vero ad aliena obseruanda: neque de hypocrytarũ illo numero simus, quos Redẽptor in Euangelio festucã asserit in oculo vicini sui videre, trabem autem in proprio cernere non posse. *Quid autem*, inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Oculos quippe semper in proprias imperfectiones defixos habere, magna bona & commoda adfert, humilitatem inquam, confusionem, timorẽ Dei recollationem animi, magnam denique pacem & mentis quietem: vt alienos defectus intueri, ingentia mala parit & incõmoda; puta superbiam, temeraria iudicia, indignationem erga fratrem meum, eiusdem quoque vilipendium, inquietem conscientiæ, zelum indiscretum, aliaque eiusmodi animum turbare nata. Si quem autem interdum in proximo defectum vides, ita eum à te videri debere sancti aiunt, vt fructum inde tibi aliquem capias. Insignem ad hoc modum nos docet Sanctus Bonauentura: Si quando, inquit, in fratre tuo aliquid quod displiceat notabis, ante, quam eum diiudices, oculis in interiora tua conuersis dispice num quid in te sit quod reprehensionem mereatur: si quid ergo huiusmodi in te inueneris, sententiam aduersus teipsum pronuncia, & cuius rei alium condemnare volebas, eius te potius condemna, ac dic cum Propheta regio, *Ego sum qui peccaui, ego inique egi: ego iniquus sum ac peruersus, nec dignus qui terram osculer, quam frater meus* cal-

Simplicitas humilitatis filia.
Psal.38.5.
Matth.7.3.
Proprios defectus considera alienos neglige.
In regul. Nou. c.12.
I. modus temerarium iudicium expugnandi.
Antequam alium arguas teipsum prius excute.
2.Reg.24.17.

calcat, & ego eum diiudicare audeam? quid eſt autem, quod in fratre meo noto, comparatum ei quod in me vere eſſe ſcio?

Alium huius rei modum aſſignat Sanctus Bernardus, & eum inprimis etiam practicabilem. *Cum vides*, inquit, *aliquid in alio, quod tibi diſplicet*, ſtatim *vide ſi hoc eſt in te, & ipſum abſcinde. Si vero videt aliquid quod tibi placet*, quamprimum etiam *vide ſi hoc eſt in te, & ſi eſt, tene, & ſi non eſt, aſſume*, & acquirere ſtude. Atque hoc modo fiet, vt omni ex re fructum ſimus aliquem capturi.

informat. honeſt. vita in documento ibi addito.

2. modus.

Mala proximi vita, bona æmulare.

Alias horum iudiciorum radices aſſignat S. Thomas. Tradit quippe interdum ea ex corde maligno & virulento enaſci, & prout quis quid fecerit, vel feciſſet, ita alios quoslibet diiudicare ſolere: iuxta illam Sapientis gnomen, *ſtultus in via ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*, id eſt, vt vulgari noſtro dicitur adagio, Fur quoslibet eſſe ſibi putat ſimiles. Sicut, dum quis cęruleum vitrum diaphanũ oculis admouet, quæcunq; videt, cærulea ſe videre putat; ſi vero rubeũ rubea: Si malo & imperfecto omnia videtur eſſe mala, omniaq; ſiniſtram ipſe in partẽ interpretatur, eo quod trans vitium, eãdem qualitatẽ referens ea perſpiciat. quia enim ipſe ea ita facit, & eo fine & intentione, credit & alios ita & eadem intentione facere. Egregie itaq; in hos quadrat illud Apoſtoli: *In quo iudicas alterum teipſum cõdemnas. eadem enim agis quæ iudicas.* Qui autem bonus eſt & ſincerus, ſemper in meliorem partem omnia accipit, etſi alioquin argumẽta & meliora non deſint, quæ rem dubiam reddant; in deteriorem vero partem ea interpretari, malitiã redolet. Quemadmodum ait S. Dorotheus. qui bonæ complexionis & ſtomachi eſt, cibum quantumlibet malum in bonam ſubſtantiam conuertit, & è contra, qui cachexia laborat & valetudinarius eſt, alimenta bona in vitioſos humores tranſire facit: ita quicunq; bonam animam habet, & virtuti deditus eſt, omnia in bonum interpretatur, qui vero virtutis cultor non eſt, in noxium humorem cuncta cummulat, omnia in malum accipiendo.

2.2.q.60.art.3.

Eccl.10.3.

1. Radix.

Temere iudicans eidem vitio ſolet eſſe obnoxius.

Rom.12.1.

Omnia munda mundis.

doctrin.26.

Addunt his inſuper Patres, quamuis etiam id quod videtur aperte malum eſſet (quamquam peccatum non ſit, vt malum tenere, quod conſtat tale eſſe) inſignis virtutis ac perfectionis ſignum daturum eum, qui proximum quantum potuerit, excuſare conabitur. Vnde S. Bernardus, *Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem* & obliuionem naturalem, *puta caſum*, & ſubitum primumue motum. Sane ſi proximum amaremus ſicut nosipſos, & cum ſicut alterum me (amicus enim eſt alter ego) intueremur, eius excuſandi modi & rationes minime deeſſent. Quã autẽ homo ſe excuſat, quam ſe propugnat, quã culpas ſuas imminuit & purgat! Eodẽ prorſus modo cum proximo ageremus, ſi eũ vt noſmetipſos diligeremus. Cum autem error ita euidens & culpabilis eſt, vt nullus ſit excuſationi locus, cogita euidentiſſimã ei peccandi occaſionẽ oblatam, & tentationem à qua oppugnatus fuit, fuiſſe grauiſſimã, & intra temetipſum dicito, Si hæc tẽtatio tã acriter & vehementer me impetiuiſſet, quã hunc impetiuit, ſi itẽ diabolo, qui tẽtauit, tanta tentãdi mei poteſtas daretur, quanta ei eſt ad hunc tentandũ data, quã Deus bono grauiter ac turpiter impegiſſem! B.P.N. Ignatius ſi quid videret, quod tam euidenter & clare eſſet malũ, vt excuſationi non poſſet eſſe locus, nec vllũ pateret purgationi effugiũ, iudicium ſuum ſuſpendebat, & ad ſacram Scripturã cõfugiens, dicebat, *Nolite ante tempus iudicare*, necnon illud Domini ad Samuelem, *Deus intuetur renes & cor*; deniq; illud Apoſtoli, *Domino ſuo quiſque ſtat aut cadit.*

Serm.40. in Cantic.

Mala aperta charitas excuſat.

Lib.5 c.6. Vita.

1.Cor.4.5.

1.Reg.16.7.

Rom.14.3.

Aliam, eamq; non poſtremam, huius vitii radicem dans S. Thomas, hinc ſæpe ait temerario iudicio enaſci, quod quis ab eo quem ita iudicat, animo ſit alieniore, ei inuideat aut æmuletur. Hæc namque vehementer ipſum inclinant, vt omnia quę alter agit, mala eſſe iudicet, eaque ob leuiſſima etiã indicia ac ſigna, in deteriorẽ partem interpretetur: quia vnuſquiſq; faci-

3. Radix.

Affectus corrumpit Iudicium.

faciliter credit quod appetit. Id è contrario clarius patebit: quando enim quis aliquē magno amore prosequitur statim vniuersa quæ agit, bona ei & laudabilia videntur, & tantū abest, vt ea in malā partē accipiat, vel interpretetur, etsi alioquin talia esse reuera videat, vt potius excuset &imminuat, nā *caritas non cogitat malum.* (1 Cor.13.5.) Vnus & idē defectus, vna eademq; iudicia, alia producunt circa eū quē amas, & alia circa eū à quo alienior es, iudicia. Quotidie sane id experiri est, nēpe opera huius tibi displicere & insulsa videri & licet ille forte plura & deteriora faciat, iis tamē te non offendi, sed leui oculo ea pertransire. Vtrumq; bene dixit Sapiens, *Odiū suscitat rixas, & è cōtra vniuersa delicta operit charitas:* (Prou.10.12.) itaq; nōnisi è defectu amoris temerarium iudicium sequitur. Inde quoq; cōtingit, vt, id etiam quod delictum nō est, sępenumero nobis in fratre nostro displiceat, ipsius inquam gestus, sermones, discursus, procedendi modus; quin id etiam interdū quod virtuosum est ac laudabile. Vnde cōsequitur, sicut simplicitas ad mutuam caritatē conseruandam permultum confert, ita etiam caritatem maxime iuuare, vt inuicem colatur simplicitas. Hæ quippe duę virtutes, ceu amabiles q̄dā sorores, sibi inuicē cōnexæ sunt & cōiunctę.

Charitas & simplicitas sunt concatenatæ.

Non parum quoq; ad hoc nos iuuabit, ipsam diaboli astutiam & malitiam attente considerare, vt qui nescio quas ob reculas, quæ aliquando vitiosę nō sunt, aut si vitia sint, tam leuia sunt, vt id genus defectib. homines carere haud queant, fratrum æstimationem, ac consequenter amorem in cordibus nostris exstinguere contēdat: nullus quippe viuit homo, qui non aliqua peccata & næuos veniales habeat. *Si dixerimus*, inquit Ioānes in Canonica sua, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* (1.Ioan.1.8.) Et, *Septies:* id est sæpius, *in die cadere iustū* testatur Salomon, nec tamen propterea desinere esse iustum. Non est igitur æquū, vt, ob quod quis non desinit esse iustus, nec vel minimum gratiæ apicē deperdit, propterea amicitia & gratia tua excidat. Verus siquidem caritatis amor nō est velut aciculis annexus, nec inanibus paleis nititur, aut superstructus est sicut amicitiæ mundanæ, quæ ob leues aliquas ineptias ac nugas, vel quia amicum tuum eo quo se dignum credebat, modo fauoreq; non excepisti, dissoluūtur. Sed caritatis amor in Deo, qui errare ac deficere nequit fundatur. Hæc igitur Dei viscera & naturalem conditionem imitemur, vtpote qui non propterea minus nos amat ac complectitur, quod delictis, imperfectionib. & peccatis venialibus pleni simus (vti reuera sumus) nec propter hæc amorem suū vel minimum imminuit. Tot in me defectus & imperfectiones patienter tolerat Deus, & ego ne paruum quidem in fratre meo defectum possum tolerare, quin statim is mihi displiceat, fastidium generet, & ei ob eundem indigner & succenseam. In quo ostendis amorem tuum non pure è caritate proficisci, nec in Deo fundatū esse: si enim purus is esset, sane quod Deo non displicet, nec tibi displiceret aut tædium afferret nam quod hero & Domino nostro non displicet, nefas est seruis eius & famulis displiceat. Ipse Dei est filius, eiusq; intimus & dilectissimus. Si ergo illū Deus amet & magni faciat, rationi cōsentaneum est, vt & tu illum ames & æstimes. *Charissimi si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* (1.Ioan.4.11.)

Deus defectibus non auertitur ergo nec tu.

Huc accedit quædam doctrina S. Gregorii, quæ & omnium aliorum Patrū est: (Lib.34.Mor. c.15. & in 4. p. Pastor. in fi. & lib.3.Dial. c.14.) docent nimirum, Deum interdum minora quædam dona denegare iis, quibus alia magna concedit, & ex alta ac secreta dispensatione & prouidētia sua quasdā in iis imperfectiones & defectus relinquere; vt dum malam aliquam inclinationem, passionem, & consuetudinē quam habēt, & quam penitus tollere nequeunt, & quę, licet sępius eam cauere proponant, toties recurrit, se tollere velle & debere vident; semper humilientur, & erubescāt, simulq; intelligant quod minus maiora viribus & marte suo facere possent, cum ne minora quidem superare valeant. Adeo vt quis vna ex parte magnas habere virtu-

Magnis Sanctis subinde Deus relinquit paruos defectus.

tes, ad magnæ perfectionis apicem peruenisse, imo & sanctus esse possit, ex altera vero aliquos defectus & imperfectiones habere, quas ad ipsius probationem & exercitium illi Deus reliquit, vtque ob dona quę habet ideo non superbe insolescat sed in humilitate se conseruet.

Ex hactenus dictis igitur in rem nostrã elicere debemus, non debere nos videlicet vllũ, ob aliquot huiusmodi defectus, iudicare, aut minoris facere; neue nos ꝙ eisdem carere videamur, magni facere, aut cuipiam præferre. Meminerimus sententię illius S. Gregorii, qua illum ait cum eo defectu perfectum, & te sine hoc imperfectum esse posse; ita fiet, vt vna ex parte humilitatem, & ex altera æstimationem atq; amorem erga fratres conseruemus & foueamus, & ab illis propterea iudicãdis, aut minoris faciendis caueamus.

CAPVT XVII.

Superiora exemplis variis confirmantur.

Vit. Pat. ABBAS Isaac, vt in vitis Patrum refertur, cum quodã tempore è solitudine, in qua degebat, ad quoddã Monasterium venisset, temere monachum, quendam iudicauit, eumq; castigatione dignũ censuit, quod paruæ in eo virtutis signa quędam obseruasset. Itaq; cum deinde ad propriam cellam rediret, ad eius ostium stantem Angelum reperit, qui eũ ingredi volentem impediebat. Causam rei huius rogatus Angelus, nõ aliã ob causam missum se à Deo respondit, quam vt sibi Isaac diceret, vbinã locorum monachũ illum, quem iam ante iudicarat & cõdemnarat, eiectum vellet ac iuberet. Tũ culpam suam agnoscens Abbas, veniam commissi petiit. Respondit Angelus, modo quidem hanc sibi à Domino condonatam, videret vero etiam atq; etiam deinceps, ne cuius iudicem ageret, aut sententiam de quopiam proferret, antequam Deus, qui vniuersalis est Iudex, iudicaret.

Angelus temere iudicãtem arguit.

Greg. lib. 3. dial. c. 6. Cassius Episc. Narniensis, vir sanctimonia vitæ singulari, vultum & genas mire rubentes, habebat, quem cum Totila Gothorum Rex cerneret, eum vinolentũ credidit, & à nimio vino rubedinẽ hanc procedere cẽsuit. Sed ecce statim serui sui honorem Dominus cordi habens ac propugnãs, quẽdam de seruis regis, eum in quã qui sceptrum regale ante eum gestabat, à maligno spiritu corripi, & in Regis & totius exercitus conspectu horrẽdis modis torqueri permisit. Energumenum ergo ad Cassium deferri imperat: qui cum diabolum oratione ad Deum fusa, & signo crucis super eum efformato pepulisset sententiam & iudicium suum Rex illico mutauit, & pluris quam ante Cassium fecit, inque maiori veneratione habuit.

Dæmon temere indicantem corripit.

In vitis Patrum duos fuisse monachos scribitur, sanctitate & fraterno amore præstantes: quibus hunc Dominus fauorẽ fecerat, vt alter in alterius anima Dei gratiam, signo aliquo visibili, quod tamen scripto ibi non proditur, notaret. Horum alteruter summo mane cella egressus, incidit in monachum manducantem: quo viso, vlterius non examinans, an vllã legitimam is tam matutine comedendi causam necessitatemue haberet, petiit ab eo Cur tam intempestiue comedis frater, cum hodie feria sexta sit? in quo eum peccare & male agere putabat. Ergo ad cellam reuersus vt fuit, contristatus est socius, quod solitum gratiæ diuinæ argumentum ac signum in eo non videret, & ait, Quid fecisti frater, postquam hinc egressus es? Negauit alter quidquã se mali (quantum quidem sciret) commisisse. Tum socius, forte aliquod verbum inutile & otiosum locutus es? Exinde dictorum indicatorumque in alio monacho recordatus, rem ei omnem ex ordine narrauit: quocirca ambo, culpam hanc expiaturi, duas continuo hebdomadas ieiunarunt, quibus exactis, solitum in socio socius diuinæ gratiæ indicium rursus notauit.

Signum gratiæ amittit temere iudicans.

In Chronic. Minor. I. p. lib. 5. c. 9. & refert Marcus Maralus lib. 5. c. I. Mirabilem hac de re visionem frater Leo, vnus de primis Sancti Francisci sociis, sibi à Domino oblatam vidit. Apparuere illi multi fratres Minores,

nores agminatim procedentes, ſplendore & lumine miro coruſcantes; inter quos vnus, cæteris luminoſior & glorioſior, eminere viſus eſt, vtpote cuius ex oculis radii, ſolaribus clariores & fulgentiores, promicabant, tantæ ſcilicet claritatis, vt in eos ipſe defigere obtutum non valeret. Percunctatus Leo, Ecquis frater ille eſſet tam lucidos & fulgidos oculos habens, intellexit eſſe Bernardum de Quintaualle, primum S. Franciſci ſocium: luminis autem & fulgoris huius inſoliti non aliam cauſam eſſe, quam quod, dum viueret ea quæ in aliis notabat, in meliorem partem ſemper interpretaretur, atque adeo omnes ſe vno meliores digniores ſque æſtimaret. Nam ſi quem mendicum & vili veſte tectum videret, ſemper dicebat, Patientius hi paupertatem tolerant quam tu, & non aliter eos intuebatur, quam ſi paupertatem illam ſponte amplecterentur, & ſtudio ambirent. Si quos autem diuites & ſplendide veſtitos conſpicaretur, magna quadam animi compunctione ſibi dicebat, Hi forſitan ad vanam veſtium gloriam declinandam, inferne cilicium geſtant, ac carnem ſuam in abſcondito caſtigant, etſi alioquin exterius pretioſas veſtes geſtent; propterea fieri poteſt vt te meliores ſint. Propter illam autem oculorum ſimplicitatem, hanc eorundem claritatem in compenſationem illi datam eſſe. Hoc nos exemplum ſequamur & imitemur oportet. Quamobrem bene S. Dorotheus conſulit vt dum alterius cellam ſubimus, omniaque incompoſita & male diſpoſita videmus, ipſum quoq; fratrem ſordidulum vtcumque, ſtatim intra noſipſos dicamus, O beatum ac ter felicem fratrem illum, qui, quod totus in Deum abſorptus ſit, hinc de exterioribus his parum ſolicitus eſt; cum autem bene eum compoſitum & nitidum, dicamus, Exteriora hæc compoſita interioris nitoris ac munditiei ſignum ſunt.

Oculi reſplendentes eius qui omnia in bonam partem explicabat.

Doctrin. 16.

S. Franciſcus, vti iiſdem Chronicis ſcriptum proditur, cum per Italiam Euangelizando diſcurreret, incidit per viam in hominem paupertate & morbis grauatiſſimum, cuius miſeria cum compaſſione tangeretur, verbis miſericordiam mire ſpirantibus, de hominis huius pauperie ac morbis cum ſocio loqui cæpit. Sed cum ſocius diceret, Vere quidem frater, magna mendicus hic premi paupertate videtur, ac fortaſſe deſiderio & cupiditate opulentior eſt omnibus hic in terris viuentibus, aſperius eum Franciſcus ob temerarium hoc iudicium coarguit, dicens, Frater, ſi meus eſſe ſocius & ſectator velis, pœnitentiam, quam tibi ob hanc quam in proximum tuum noxam committis, iniungam, æqua mente ſuſcipias neceſſe eſt. Cum magna ſe frater ille ad quamlibet pœnitentiam ſuſcipiendam humilitate promptitudine, delictique agnitione obtuliſſet, iniunxit ei Franciſcus, vt veſtes exueret, nudumque ſe ad mendici illius pedes abijciens, in illum ſe murmurando obloquendoq; palam deliquiſſe confideretur, veniã commiſſi rogaret, denique vt ſibi propitium precibus redderet, ſupplex peteret. Quã pii Patris pœnitentiam ſtatim quam exactiſſime ſocius adimpleuit.

Cap. 38.

Pœnitentia temere iudicantis.

Idem Franciſcus (vt ibidem refertur) eum ob frequentes & aſſiduas lacrymas oculorum inualetudinem contraxiſſet, vt prope cæcutiret, F. Bernardum adire ſtatuit, vt pio illius de rebus diuinis ſermone aliquantulum in ſua ægritudine recrearetur (habebat is namque ſingulare quoddam de Deo rebuſque diuinioribus loquendi talentum, atq; ideo ſæpenumero noctes integras ambo de rebus ſpiritualibus ac cœleſtibus ſermones magna animarum vtrimque voluptate miſcebant) Itaque cum Bernardi cellam (quam in monte quodam ab hominum conſortio remotiſſimo ipſe ſibi pararat) Franciſcus attigiſſet, & Bernardus in contemplationem abreptus eſſet, vir ſanctus ei iam vicinior, inclamauit dicens, Frater Bernarde egredere ad cœco huic loquendum. Sed, quia totus in Deum mente abſorptus erat, nihil audiebat, nec vllum viro ſancto verbum reddebat.

Cap. 73.

Quamobrem pauliſper ſubſiſtens Franciſcus denuo clamauit, Frater Bernarde tuo miſellum hunc cœcum alloquio conſolare. Sed quod Bernardus nihil reſponderet, Franciſcus receſſit triſtior, ac ſecum murmurans, quod toties inclamatus Bernardus, nihil dum reſpondere ſibi voluiſſet. Dum ergo per viam quaſi de irrogata iniuria conquerens turbatur, aliquantulum ab ſocio ſeſe diuellens, ad orandum ſe componit, ſecum animo voluens, quid cauſa, cur ſibi vocanti toties Bernardus non reſponderet: & ecce vox de cœlo delapſa eum reprehendit, & ait, Quid turbaris homuncio? Æquumne videtur, vt propter creaturam Deum ſuum homo relinquat? Frater Bernardus, dum à te inclamaretur, mecum agebat, & non ſecum: atque ideo ad te venire minime poterat, nec verbum tibi reſpondere, eo quod te vocantem non audiret. Extemplo ergo humilis Franciſcus ad Bernardum rediit ſeſe propter temerariam illam cogitationem apud illum accuſaturus, & pœnitentiam, quam is idcirco iniungeret, accepturus. Quem cum iam ab oratione ſurrexiſſe aduertit, ad illius ſe pedes ſupplex abiecit, ſuam culpam confitens, & quibus à Deo verbis reprehenſus eſſet, declarans: ſimul etiam illi in virtute obedientiæ iniunxit, vt ad expiationem criminis id ſibi faceret, quod ei præſcripturus eſſet. Sed veritus & ſuſpicatus Bernardus ne quid ſibi quod in extremam ſuiipſius humilitatem tenderet, imperandum iniungeret (ſicut illi ad ſuiipſius deſpicientiam, vilipendium, & caſtigationem facere ſolenne erat) rationes aliquas depromens, quibus hoc à ſe onus ſatagebat amoliri, dicebat, Paratus equidem ſum, Pater, facere quod ipſe mihi mandaris, modo viciſſim ipſum te acturum polliceare, quod ego tibi iniunxero, accepit conditionem S. Pater, vt qui ad obediendum eſſet quam ad imperandum promptior. Tum Franciſcus, In virtute ſanctæ obedientiæ, ait, ad præſumptionis meæ caſtigationem tibi mando, vt pedum tuorum vnum ſuper mei in terram proſtrati fauces ponas, alterum vero ori meo ſuperponas, idque tertio, guttur ſimul & os meum pede inter tranſeundum premendo; talia inſuper verba addes, quæ ego promereor, hæc ſcilicet; Hic humi prouolutus eſto, ſceleſte fili Petri Bernardoni: vndenam tanta tibi acceſſit modo ſuperbia, cum tam vilis ſis & abiectus? His auditis Bernardus, hæſit anceps, ambigens facturuſne id eſſet nec ne: ſed quia id obedientia iniunxerat, ac ne ſanctum Patrem contriſtaret, quam potuit maxima reuerentia ipſum executus eſt. Quo facto demum dixit Franciſcus, Iam tu in virtute ſanctæ obedientiæ mihi impera, quid à me fieri velis. Tum Bernardus, In virtute ſanctæ obedientiæ tibi mando, vt, quotieſcumque apud inuicem verſabimur, meos defectus quam acerrime coarguas. Hoc Franciſcus grauiter audiit, quod Bernhardum, ob inſignem ſanctimoniam, magna in veneratione haberet: atque inde factum vt rarius poſtea eum adiret, ne animam tam ſanctam ex pacto reprehendere cogeretur; ſed cum illum aut inuiſeret, aut aliquid de Deo auditurus adiret, quam poterat breuiſſime ſe ab illo expediret.

Cum Sacerdos quidam de Eccleſia Abbatem Arſenium ægrotum adiſſet, eum in molliori ſtragulo iacentem, caput autem in molle ceruical reclinantem inuenit. Vna autem cum Sacerdote ſenex quidam monachus venerat, qui cum Arſenium eo in ſtatu vidit, offendi & ſcandalizari cæpit, nimis quam delicatum cubile id eſſe cogitans ei, quem vulgo omnes vt ſanctum ſuſpiciebant, neſciens quis vir eſſet Arſenius. Tum Sacerdos (qui erat vir prudens) ſenem ab turba paululum ſemotum, ſic compellare cæpit, Dic mihi, obſecro Pater, quis eſſes, ecquod vitæ genus ſectareris, antequam monachus fieres? Admodum pauperem fuiſſe confeſſus eſt, nec quidquam rei, ſuppellectilis, aut cenſus habuiſſe, vnde viueret. Subintulit tum ſacerdos, Noris autem

Surius in vita.

Perſonarum diſcretio habenda.

autem Arsenium, antequam monachicum institutum iniret, virum deliciis assuetum, magnæque authoritatis; Principum adhæc Pædagogum ac curatorem, & eius in familia aurum vilissimum fuisse. Iam vero vide, an magnum quid sit, si is vir, qui omnia hæc generose contempsit, & ad istam humilitatem & paupertatem se abiecit, qui in lautis est deliciis & splendoribus educatus, iam senio exhaustus & morbo oppressus, molli panno supercubet & ceruicali? Quo audito, senex confusus obmutuit.

Cassian. lib. 5. de institut. renuntiant. c. 30.

Abbas Machates apud Cassianum docens temerarium iudicium esse deuitandum, de seipso commemorabat, in tribus se olim rebus alios iudicasse. Prima hæc erat, quod, cum monachis quibusdam permolestus quidam in ore tumor natus esset, & ii, vt ab eo dolore liberarentur, eum sibi tolli & incidi tumorem iuberent; hoc ipse imperfectionem paruamq; mortificationem sapere censeret. Secunda, cum alii à vitæ, quam profitebantur, austeritate nonnihil remittentes, in inualetudine corporis stragulo è pilis caprinis contexto, & melote aut incubarent, aut tegerentur; id ipse vt nimis delicatum, & rigori monastico contrarium carperet. Tertia, quod cum sæcularis pia quadam intentione benedictum à monachis oleum peterent, & illud hi benedicerent, petentibusque darent; id ipse magnam præsumptionem redolere, qua sanctitatis opinionem aucuparentur, existimaret. Fatetur autem de se ipse, ob malas has suspiciones, Deo permittente, factum, vt in tria hæc ipse etiam inciderit, ac fecisse se quod in aliis culpabat. Innatum est enim & ipsius ori tuber, præ cuius dolore & molestia, superioribus ita iubentibus, ipsum etiam tolli & incidi curare coactus est: deinde quod & ipse id genus straguli in eadem inualetudine adhibuerit: demum quod magna sæcularium importunitate & instantia victus, benedictum iis etiam ipse oleum dederit. Quare monet omnes suo vt exemplo sapiant, & timeant, & ab hoc sibi vitio caueant, certo in id eos prolapsuros asserens, quod in aliis ante suggillassent, vti sibi contigit.

Quæ quis in aliis iudicat, in eadem ipse labetur.

Anastasius Sinaita, qui sextæ Synodi tempore floruit, suo in Monasterio (erat id in monte Sina) monachum fuisse refert, qui quod rebus communibus, puta choro, ieiuniis, disciplinis sumẽdis, aliisque id genus rebus, non pro eo ac oporteret vacaret, vulgo non vsque adeo bonus ac feruens Religiosus habebatur. Sed hic cum morti iam proximus esset, videre cæpit & lætari. Reprehendit eum Anastasius dicens, Quid? ridere in morte monachum, qui tam negligenter ac remisse vixit? Tum monachus; Ne mireris, Pater, quia misit mihi Angelum Dominus, qui me saluandum promisit, vt promissum eius adimpleretur quo spondet, *Nolite iudicare, & non iudicabimini; dimittite & dimittemini.* Et esto verum sit, rebus me communibus non qua oportuit diligentia attendisse, partim ob negligentiam, partim ob corporis infirmitatem; æquanimiter tamen ferebam quod male ab aliis haberet, & ex corde iis omnem iniuriam remittens, adeo neminem iudicabam, vt, quidquid aut dicerent aut facerent, in bonam partem sumerem. Atque hæc risus & exultationis meæ causa est.

Noli iudicare & saluaberis.

Luc. 6. 37.

Caput XVIII.
Alia vnionis & amicitiæ non bonæ genera adferuntur.

Hactenus de bona & spirituali vnione & amore locuti sumus; iam de triplici vnione & amore non bono, neu spirituali, sed malo, & noxio agemus. S. Basilius in Constitutionibus monasticis bonos Religiosos mira quidem inter se caritate & vnione coniunctos viuere debere ait; ita tamen, vt nulla sit inter eos particularis amicitia, propensio, vel affectio, duobus aut tribus inter se singularem quandam ab aliis familiaritatem ac societatẽ ineuntibus: illa enim nõ caritas, sed diuisio foret & seditio etsi alioquin,

Cap. 30.

alioquin id genus amicitiæ bonæ & sancto fine institutæ videantur. Et alio loco ad singulatiora descendens, ait, *Quod si quis inuentus fuerit, qui maiori quadam animi propensione monachum fratrem vel propinquum, vel alium quemuis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit, vt iniurium publicæ caritati.* Cuius rei rationem assignat tum illo loco, tum sermone proxime sequenti, quomodo scilicet in vniuersam congregationem iniurius sit; *Qui enim,* inquit, *aliquem magis quam cæteros diligit, is quod non perfecte cæteros diligat, de seipso iudicio est*; quia non tantum hos amat, quantum illum; atque ita reliquos offendit, & toti communitati iniuriam facit. Si porro vel in vnum solum offendere, tam graue sit, vt apud Prophetam Deus eum qui id facit, oculi sui pupillā dicat tangere, quid erit ergo, si quis in totum communitatem, & talem quidem communitatem offendat? Vnde serio Religiosos ibi Basilius commonet ne vnum plus alio diligant, & particulari in hunc, & non in illum amore ferantur, ne quem sic offendant aut lædant, *nemini dantes vllam offensionem,* inquit Apostolus: sed communi quodam & generali amore caritateque erga omnes promiscue afficiantur, imitando scilicet Dei nostri bonitatem & caritatem, *solem suum oriri facientis super bonos & malos, & pluentis super iustos & iniustos.* Has autem particulares amicitias in Religione magnum esse ait æmulationum ac suspicionum, quin & odiorum & inimicitiarum seminarium, atque adeo causam cur variæ in domo diuisiones, factiones, & distractiones in partes oriantur, quæ Religionis postes sunt & exercitium. In his quippe conuenticulis hic suas aperit tentationes, sua ille iudicia & opiniones; nonnemo querelas depromit, alius alia secreta reuelat, quæ silentio inuolui melius foret; in his audire est murmurationes ac detractiones; hic vnus alterius mores depingit, vt ne quidem interdum superiori parcatur, hic quoque vnius imperfectiones ad alium occulto quodam contagio deriuantur, vt intra paucos dies quidquid primus in se mali habebat, alius imbibisse se comperiat. Hæ denique familiaritates in causa sunt, cui multæ Regulæ infringantur, & multa quis non facienda faciat, vt amico ac socio suo assimiletur, vti reipsa suo malo comperiunt ii, qui huiusmodi amicitias sectantur.

Serm. 1. de institut. mon. — *Zachar. 2. 8.* — *1. Cor. 6. 3.* — *Matt. 5. 25.* — *Basil. serm. 2. de instit. monac.* — *Mala familiaritatis priuata.*

De illis item amicitiis & familiaritatibus agens S. Ephrem, haud exiguum eas animæ detrimentum ait inferre: vnde nostrum est remis ac velis eas fugere, & ab iis quam maxime abstinere: hoc velut fundamentum præsupponendo, non esse hic in Religione particulares amicos per familiaritates & singularitates aliquas, quæ vniuersæ communitati noxiæ esse queant, colendos. Amicitia siquidem nostra sit oportet spiritualis, non in carne & sanguine, non in conuersatione & familiaritate, non in aliis quibusdam titulis & fundamentis humanis, sed in solo Deo Opt. Max. qui omnia simul complectitur, fundata: proinde pari quodam erga singulos & omnes amore ferri debemus, tamquam erga Dei filios, & fratres Christi. Ne sinamus, obsecro, cor nostrum ab aliqua creatura, sed à solo Deo, occupari, & captiuum detineri.

Tom. 1. pag. 51.

Frater Ioannes Lucensis, vt in Chronicis Minoritarum proditur, conuersationes & familiaritates aliorum studiose subterfugiebat ac declinabat: de quo cum quidam de amicis eius, qui è familiaritate eius aliquem capere fructum gestiebat, quadam vice conquereretur ac diceret, cur tam parum coleret conuersationem & familiaritatem illorum, qui tam intime erga se afficerentur? Tuo id bono & commodo facio, respondit: quo enim Deo ero coniunctior & vnitior, eo futurus vtilior sum iis qui meam amicitiam ambiunt: vestræ vero hæ amicabiles amicitiæ aliquo modo me à Deo disiungunt ac separant, itaque tam vobis, quam mihi obsunt.

3. p. lib. 5. c. 49.

CAPVT

CAPVT XIX.

De altero amicitiarum & vnionum non bonarum genere.

EST & aliud amicitiarum particularium genus, à superiori quidem illo differens (quia alium hæ finem spectant) non minus tamen communitati, & fraternæ vnioni caritatique damnosum, & fortasse etiam magis, quando scilcet quis emergere, ascendere & altiora, promoueri, & famam & nomen aliquod sibi parare cupiens, iis sese associat & coniungit, quos hanc ad rem aliquam sibi putat opem posse præstare. Cum Cassiano ergo præmittentes, quemadmodum graues corporum morbi paulatim generantur, ita & spirituales infirmitates, & grauia animarum mala sensim etiam crescere, in præsens ostendemus, quomodo hæc in anima infirmitas nascatur; simul etiam dicemus ecquæ communis & ordinaria causa sit, cur Religiosus aliquis studiis vacans paulatim male, deinde peius habere incipiat, ac tandem in totalem ruinam & exitium ruat. Exit quis Nouitiatu aliquo per Dei gratiam fructu collecto, & egregie (prout oportet ac ratio poscit) erga spiritualia animatus & affectus; & ad Collegium aliquod mittitur, in quo præ studiorum feruore & æstu in spiritualibus exercitiis segnescere incipiet, vel ea partim omittens, vel nonnisi ex consuetudine, ac pro forma (vt dicitur) ea peragens, nullum ex iis fructum colligens; quod in idem plane recidit. Progreditur vlterius; &, quia hinc illum arma deficiunt spiritualia, quod non eo quo par est modo exercitia sua agat; illinc vero humana scientia inflet, & euanescere faciat, paulatim magni facere incipit ea quæ ad ingenium spectant, & dona naturalis, flocci vero pendere ea, quæ virtutis sunt, & humilitatem redolent. Hæc est ianua, per quam vt plurimum omne scolasticorum litteris operam dantium exitium ac ruina ingreditur: quocirca id serio commonere necesse est, vt sic malum quis præueniat, & à ruina caueat. Minuitur quoque in illis ac sensim perit omnis erga virtutem, humilitatem, mortificationem, & quidquid aliquomodo ad spiritualia & profectum in spiritu refertur, æstimatio; crescit è contra affectus erga litteras, & quidquid ad naturalia talenta spectat, dum per illa solum se profecturos, ascensuros, promotum iri, & nomen aliquod assecuturos arbitrantur. Vnde in hoc vnum oculos defigere incipiunt, & ab aliis vt ingenio præstantes, & eximiis naturæ dotibus instructi haberi volunt: quare si quæ proponunt argumenta, & si quas conclusiones formant, eas quam optime succedere desiderant. Hac de causa ad ventum captandum vela sua omnimodis accommodant, & elucendi, ostentandique se, atque adeo etiam alios inobscurandi & deprimendi, ne sibi præcellant, vndequaque occasiones captant. Inde transeunt vlterius, & præceptori placere, eiusque gratiam aucupari incipiunt, nec non grauis alicuius hinc inde patris, & adeo omnium, quos apud superiores sibi auxilio esse, & de meliore nota commendare posse aliquando existimant. Cum his omnibus ergo amicitiam & familiaritatem contrahunt; ea tantum intentione ac scopo, vt emergant, promoueantur, nomen obtineant, inque rebus suis eos beneuolos & amicos sentiant.

Collat. 6. Abbatis Theodori.

1. Cor. 8. 1.

Schalasticorum ruina, quod scientiam virtuti præponant.

Hoc vnum est de maxime Religioso statui noxiis ac damnosis, vnum de caritati & vnioni fraternæ maxime contrariis. Ecquæ enim maior & exitialior in Religionem pernicies ingredi queat, quam ambitio & emergendi desiderium? Quæ damnosior Societatem inficere pestis, quam si eius membra dicere incipiant, Necesse est hominem sibi prospicere, aliorum fauorem ambire; id enim ni faciat, obscurus iacebit, ignotus, nulloque in pretio ac numero habebitur: & iam in Societate hactenus res hoc modo prosperantur ac bene succedunt? Ab huiusmodi nos Deus sermone liberet, imo

vero impediat, ne quis inueniatur, qui pestilens hoc virus in alterius sinceri, aut eius qui nimium quantum ab hoc distabat, cor instillare incipiat, & oculos eis ad suipsorum interitum ac perniciem adaperiat. Quam autem ab hac peste sinceritas & veritas distat eius quod Societas profitetur! Beatus namque Pater noster in decima Constitutionum parte sic statuit: *Omnes qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incumbant: ac in huiusmodi maius momentum, quam in doctrina, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant.* Hoc vnum scilicet, Societas magni ducit atque æstimat. Quare tuum est vigilare, ne sua te serpens ille vetus astutia ac virulentia inficiat, tibi persuadendo, te maiorum tuorum statuta infringendo, & de vetito fructu comedendo, fore sicut Deum. Vide, ne eius suggestu credere incipias, hac te via ad honores & nominis famam peruenturum. Mentitur enim pro more suo, vtpote qui mendax est: quia propter hoc magis contemneris, & despectui omnibus ac ludibrio eris; at, si per aliud illud iter virtutis incedas, & res spirituales, eaque quæ ad tuum in spiritu profectum pertinent, semper apud te in potiori loco & antiquiora sint, non mediocriter proficies, & vtrumque tibi Dominus dabit, virtutum inquam, ad quam adspiras, & honorem & æstimationem hominum, & tam apud Deum in pretio eius, quam apud homines.

10. p. Constit. §. 2. & regul. 16. summar.

Gen. 3. 5.

Huc egregie facit quod in libris Regum legitur. Cum enim Salomoni promisisset Deus, se, quidquid demum postulasset, illi haud grauate concessurum, Salomon in Sapientiam vnam oculos conijciens, eam à Domino petiit, & addit Scriptura: *Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset huiuscemodi rem, & dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, nec animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, intantum vt* per excellentiam & antonomasiam appellandus sis sapiens, & *nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Adhæc (quod ad propositum nostrum facit) adeo Salomonis postulatio Deo placuit, vt non sapientiam modo quam petierat, illi dederit, & quidem tam abundanter dederit, vti dedisse diximus, verum etiam ea quæ non petiit. *Sed & hæc,* inquit, *quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus.* Eodem plane modo tecum aget Deus; si enim tibi veram sapientiam, veras inquam & solidas virtutes elegeris, & in eas oculos conieceris; dabit virtutem quam desideras, & in quam oculum coniecisti, dabit & honorem & æstimationem in quam oculum non coniecisti. Vtrumque inquam tibi dabit Deus. Sic quotidie ante oculos fieri videmus, vt qui tales sunt, tum coram Deo, tum coram hominibus in pretio & honore sint. Quia fixa promissio Dei est, eum qui se humiliat, exaltandum; & quo te magis humiliaris, & virtuti applicueris, eo exaltandum magis & maiori in pretio fore, & quo magis honorem fugeris, eo magis fore vt illa te insequatur, vti vmbra eum qui ipsam fugit; ambitiosos vero, & qui, instar Chamæleontis, aere pascuntur, quo repleantur & magni appareant, quo magis honorem & æstimationem ambient, minus eam assecuturos: per quam enim rem se ascendere sperant, per eam deprimuntur, & per quam æstimari & in pretio esse cogitant, per eam despiciuntur. Ab omnibus quippe habentur superbi, inquieti, & Religionis totius perturbatores, vnde non restat, quam vt ex eadem ceu membra damnata ac putrida, ne alios contagio suo inficiant recisi eijciantur.

3. Reg. 3. 10.

Luc. 14. 11. c. 18. 14.

Itaque vt ad institutam materiam reuertar, dico, quemadmodum in Religione ab omni honoris desiderio & ambitione esse debemus remotissimi, ita & ab amicitiis hisce priuatis, quæ eodem referuntur,

runtur, ineundis, nimis quam procul distare debemus, vt scilicet nulli singillatim obstricti vel obligati simus, neq; locum hic habeat illud Apostoli, *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ.* Ego inquam non sum huius vel illius superioris, sed mei, huic vni alligatus sum, huic adhæreo, nulli vero alteri in particulari. Nullis scilicet in Societate opus habemus patrinis vel patronis, nullius captanda beneuolentia est, nulli adulandum: neq; enim competitores sumus, neque huc venimus vt aliud quid quæreremus, præter vnicam salutem nostram. Esto bonus Religiosus, & de ea re serio solicitus esto ob quam ad Religionem venisti, & nulla prorsus re habebis opus, præterquam vno Deo. Qui eiusmodi est, pacem is & quietem in Religione inuenit; alii vero illi nunquam eam inuenient, vti ipsemet testantur & sentiunt. Erubescere profecto Religiosus deberet & probro sibi ducere, quod vt ambitiosus, patrociniorum emendicator, & voluntatum alienarum captator, & fortasse etiam cum fœda aliorum assentatione, habeatur, vt nimirum ab his suffulciatur, & sua in re eos patronos & adiutores habeat: hoc quippe magnam eius imperfectionem, & debilem infirmitatem arguit. Nam sicut domus, quæ sustentaculis opus habet, parum firma est, ac ruinam minatur; & arbor quæ statumine aliquo fulcienda est, tenella, infirma, & parum radicata est: ita si tu fulcra & sustentamina aliqua quærites, signum est in virtute, atque adeo in Religione adhuc tenellum te esse, nec firmas radices egisse. Cuius rei singillatim R. P. B. Generalis Scolasticos omnes admonet, ac sedulo vetat, ne quis eorum prouectioribus Patribus vt patronis cliens adhærescat, illorumque autoritate ac patrocinio nitatur: ipsos vero Patres antiquos ab eiusmodi patrociniis alteri præstandis sibi cauere iubet, ante omnia vero ne eorum quis gaudeat, quod alii ipsos in patronos assumant, sibi vt tutoribus ac propugnatoribus adhærescant, suaque autoritate nitatur; quin etiam ne suam asseclis suis, quacumque in re opus habebunt, vltro opem offerant: cauere denique, ne quis inter eos sit, qui honori & autoritati sibi ducat, quod ad se alii opis causa confugiant, probro vero & dolori, quod id eorum nemo faciat, quasi hoc modo despici ab illis se ac vilipendi existimet, atque adeo eos forte idcirco vt nimis rigidos, graues & austeros culpet & sugillet. Sed tantum abest, vt potius in eo se vt vere Religiosos ostendant: hoc namque vere religio est, non vero alterum illud, sed potius quid mundum & sæculum maxime spirans. Si quis autem propterea de te conqueratur, ideo conqueretur, quia virtutis es sectator, & quod (vt bonum Religiosum decet) à conuersatione adeo mundana, & Religioni ipsi tam contraria es remotissimus. Det vero Deus, vt nulla alia vnquam, quam vna hæc, de nobis audiatur expostulatio.

1 Cor. 1. 12.

Claud. Aquauiua in instit. Scolast. § 3.

Capvt XX.

De tertia vnionis & associationis specie, Religioni quam maxime inimica.

Tertivm associationum & amicitiarum priuatarum genus prioribus multo etiam deterius est, & vnioni caritatiq; fraternæ magis inimicum. Quando scilicet particulares & priuati aliquot inter se vniuntur & conspirant, ad ipsum Religionis institutum, & quæ sancte legitimeque in eadem à maioribus statuta ac decreta sunt, immutandum. Huic rei egregie Bernardus verba illa Canticorum, *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*, accommodat; in quibus scilicet, sub nomine Ecclesiæ, sponsa de iniuriis, quas sibi filii sui intulerunt, conqueritur. Non quod recordetur, inquit, quanta quamque grauia à Gentilibus, Iudæis ac Tyrannis alias passa sit; sed *profecto id expressius plangit, quod & sen-*

Serm. 29. in Cantic.
Cant. 1. 5.

tit differentias, *quodque vigilantius nobis cauendum existimat, malum vtique intestinum atque domesticum*, quod in anima peragitur. Hoc ipsum & Religioni applicare possumus, vtpote quæ præcipuum ac princeps sanctæ Ecclesiæ membrum est, & iisdem incedit quibus illa incessit olim, vestigiis. *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*, ii inquam quos educaui, quos in studiis alui, quos tanto meo sumptu ac labore in viros doctos promoui; & illa ipsa arma, quæ iis ad mundum oppugnandum, animasque Deo asserendas, suppeditaui, in mea conuerterunt viscera, & suam iis matrem oppugnant. Vide quam hic sensibilis sit dolor. Sed etsi grauis is sit, minime tamen mirum est, huiusmodi interdum persecutionem excitari, cum & talis in S. Francisci Religione, ipso etiamnum in viuis agente, exorta sit: ipsa etiam Ecclesia, sanctis Apostolis adhuc viuentibus, talem à suismet filiis, qui aduersus ipsam erroribus & hæresibus excogitatis insurrexerunt, persecutionem passa est. In quo membra capiti suo Iesu Christo conformia sunt, vtpote qui hoc laborum & persecutionum iter in vita calcauit; per eas namque electi magis purificantur, sicut aurum in conflatorio & fornace. Vnde dixit Apostolus, *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et ipse Redemptor apud S. Matthæum ait: *Necesse est vt veniant scandala* in Ecclesia æque ac in Religione (neque enim euitari id potest, quia homines sumus) *verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit: melius fuisset, si non esset natus homo iste.*

1. Cor. 11. 19.

Matt. 18. 7.

Grauiter & seuere Magnus Basilius in huiusmodi conspirationes inuehitur: *Si aliquis, inquit, à reliquis sua sponte abscissi disiunctiq; in cætu cœtum efficiant, vitiosa huiusmodi amicitiæ conciliatio est: seditio est & diuisio, & eorum qui sic coeunt improbitatis indicium.* Magnum haud dubie Religioni malum machinantur illi, qui eiusdem sanctiones, fundamenta, & constituta vel immutare, vel adulterare moliuntur; tametsi quocunque etiam boni & reformationis prætextu sua machinamenta colorent. Quare monet Basilius, vt hi primo prauatim, deinde coram aliis, pro corripiendi modo à Christo præscripto corripiantur & castigentur: si ne hæc quidem prosint, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, vel vt excommunicatum habe, & à reliquo corpore, velut contagiosa infectum lue, segrega, ne ad alios serpat contagio. Ita quoque id fieri iubet in Constitutionibus suis B. N. P. & conforme est ei, quod de id genus hominibus Apostolus optat; *Vtinam*, inquit, *abscindantur, qui vos conturbant.* Membrum corruptum ac putrefactum præcidendum est, ne reliquos inficiat.

In Constitut. Monast. c. 30.

Matt. 18. 17.

2. p. Constitut. c. 2. D. & p. 8. c. 1. § 5.

Gal. 5. 12.

Quam graue id ac Religioni damnosum sit malum, liquido patet; cum vel ex nuda ipsius declaratione, eiusdem perspici queat virulentia: vnde necesse non erat nos pluribus in eius fæditate deducenda defatigari. Quia tamen res est natura sua adeo grauis, aliquem de eadem discursum formabimus, & rationem proferemus, quæ futura videtur satis non modo vt quandam ab hac peste alienationem animi, sed & insignem horrorem concipiamus, inque instituto nostro magis confirmemur. Religio omnis non ab hominibus est, sed à Deo primum inuenta: vnde quæ ad eiusdem conseruationem & incrementum instituta sunt, non vt hominum, ac priuati alicuius, sed vt Dei ipsius designationes & inuentiones accipienda sunt: qui sicut B. Franciscum in Ordinis sui fundatorem, B. Dominicum in sui, & B. N. P. Ignatium in Societatis auctorem, atque ita in aliorum ordinum alios elegit & assumpsit: ita iis etiam media & particulares procedendi modos, qui ad suæ Religionis bonum ac progressum conuenientiores forent, quos ipsi per se assequi non poterant, dedit ac suggessit; quia *Dei perfecta sunt opera*; atque ni id fieret, imperfectum ac mancum Dei opus maneret. Sic è quodam B. P. N. ad similem

R. P.

Lib.5.c.1. Vita P.N. Ignatii.

R.P. Iacobi Laini reſponſionem reſponſo (prout in vita illius legere eſt) colligimus, ſubſtantialia & eſſentialia Inſtituti noſtri capita, quę eiuſdem velut nerui & fundamenta ſunt, à Domino Deo, qui illius & author & fons eſt, B. P. noſtro Ignatio, quem in caput & primarium huic Religioni excitandæ inſtrumentum delegit, reuelata & inſpirata fuiſſe. Quod colligi non minus è modo poteſt, quem ipſe in Conſtitutionibus conſcribendis concinnandiſque obſeruaſſe ibidem ſcribitur. Quot ergo orationibus, quot lacrymis ſingula quæ ſcripta nobis reliquit, illi ſteterint verba oportet; cum legamus illum, vel ad determinandum, an domorum noſtratum profeſſarum ſacraria aliquot ad ſarta tecta cõſeruanda, cenſu annuo dotari expediret, nec ne (quod tamen de primariis inſtituti noſtri capitibus, & ſubſtantialiſſimis non eſt) quadraginta ipſis diebus continenter Miſſarum celebratione lumen cælitus poſtulaſſe, ac maiori quam ante feruore orationi ac precibus inſtitiſſe? Vnde etiam patet, quam Conſtitutiones noſtræ ſæpe cum Deo ſint communicatæ, quam is ſæpe ad eaſdem conſultor adhibitus, necnon quantum illi Deus Optim. Max. lumen infuderit oporteat, ad ſeligendum & ſtatuendum ea quæ diuinæ eius Maieſtati quam forent gratiſſima. Ne cui vero hæc temere, & de cerebro noſtro effutire & ſolum noſtra velle laudare videamur (tametſi ea, quam ante dedimus, ratione nimis quam ſufficienter dicta confirmentur) *habemus teſtimonium maius his*, quod ſane ſilentio non eſt inuoluendum, vel omittendum; permagni quippe refert, vt hoc principium bene nobis confirmatum, & irrefragabiliter aſſertum ſit.

Lib.4.c.2.

Ioan.5.36.

Hiſto. Minor. p.1. Lib.1. cap.7.

Sanctus Franciſcus, vt in Chronicis Minorum proditur, cum duobus ſociis in Canarium montem, haud procul à Reate conceſſerat, vt ibidem in quiete Regulam & Conſtitutiones ſuas conciperet, ſcripto comprehenſas Pontifici ſummo offerret, atque in earundẽ confirmationem Apoſtolicum diploma obtineret: hactenus enim nullis eæ erant literis, ſed viuæ vocis oraculo dumtaxat ab Innocentio III. Pontifice confirmatæ. In illo ergo monte quadraginta ipſis diebus in pane & aqua ieiunans, & noctes & dies aſſiduo in oratione perſeuerans, regulam compoſuit, prout, illi eam Dominum cælitus inſpirauit ac reuelauit quidem ibi ſcriptum legitur, & ipſi iamiam viſuri ſumus. Regulam autem ſcriptam è monte deferens, eam F. Eliæ Vicario ſuo Generali, viro ſecundum ſæculum prudenti & docto, ſeruandam dedit: qui cum eam in maiori contemptu, humilitate & paupertate, quam is expedire exiſtimabat, fundatam cerneret, eam perire ſpontanea incuria permiſit, ea ſcilicet intentione, vt non hæc, ſed alia quæpiam ſuo ſenſui accommodatior ab Apoſtolica ſede approbaretur. Franciſcus autem, diuinam potius quã humanam voluntatem ſequi cupiens, & prudentium mundi huius iudicia flocci pẽdens, denuo ad montem ſuũ rediit, & alios rurſus quadraginta dies orationi ieiunioq; vt ante, impendit, ad Dei voluntatem intelligendam, aliamque regulam concipiendam. His cognitis Elias, ipſum impedire qua potuit conatus eſt, & Miniſtris aliquot, & viris litteratis de ſuo ordine, in vnũ collectis aperuit, quod tam arctam Franciſc. illis concinnaret Regulam, eam vt ſeruare penitus non poſſent. Hi Eliam, vtpote Generalem Ordinis Vicarium rogarunt, Frãciſcum adiret, & omnium nomine diceret, in hanc ſe nolle Regulam iurare. Elias rem hanc ſolus nunciare non auſus, ſe vna cum illis iturum dixit. Itaque ſimul omnes montem adeunt, in quo vir Dei, arcte incluſus cellulę, diuinæ contemplationi vacabat. Quo cũ peruentũ eſſet, Elias Franciſcum euocat: qui cognita illius voce foras prodiit, tantamq; fratrum cõgregatorum multitudinẽ miratus, petiit quid ſibi hi vellent. Miniſtri, inquit Elias, ſunt, qui audito regulam à te nouã condi, & veriti ne eam nimis aſperam concipias, palam profitentur huic ſe nolle obligari,

ligari; hanc tibi soli statuas, aiunt, non sibi. His intellectis Franciscus, positis in terra genibus, & oculis in cælum sublatis ait: An nō bene dixi, Domine, fore vt mihi non crederent? Et ecce, subito vox ad eum de cælo lapsa, dicens, Nihil in illa regula tuum est, Francisce; meum vnius est, quidquid eadem comprehenditur, ac proinde ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa eã mando seruari. Equidem noui quantum humana possit imbecillitas, & quam ipsos iuuare paratus sim: qui vero eam seruare detrectant, Ordine egrediantur, & alios eam obseruare sinant. Tum ad Ministros conuersus Franciscus, ait, Audistisne? Audistisne? Audistisne? Vultisne & me vocem illam denuo iterari iubere: Tum Elias ac reliqui Fratres, tremebundi & erubescẽtes, suamq; agnoscentes culpam, ad propria rediere, verbum amplius non oblocuti. Sanctus porro Pater ad regulam suam perficiendam rediit; quæ ad verbum & apicem eadem plane fuit cum ea, quam illi Dominus ante reuelarat. Compositam demum Romæ Honorio III. Pontifici obtulit; quam cum is legisset, & de eiusdem paupertate vitæque asperitate, quæ nimis arcta & seruatu perdifficilis videbatur, cum Francisco dissereret, ex illo audiuit, Nullum in hanc, sancte Pater, regulam è cerebro ac iudicio meo verbum retuli, sed ipsemet Christus eam cõpilauit & composuit; qui nempe solus optime nouit, quidquid est ad animarum salutem, fratrum incolumitatem ac statum, & Religionis huius suæ conseruationem necessarium atque vtile; & cui vniuersa, quæ tam Ecclesiæ, tum Religioni huic euentura aliquando sunt, notissima sunt ac veluti præsentia. Proinde in ea mutare quidquam nec debeo, nec possum. Pontifex ergo Deo inspirante motus, diplomate Apostolico dato, cuius initium; *Ad perpetuam rei memoriam*, eam confirmauit. Ita scilicet regulam & institutum ipsis Religionum fundatoribus inspirare & dare Deus solet, & ita eadem inspirauit ac dedit B. P. N. Ignatio. Cuius rei

S. Francisci regula tota diuinitus data.

adhuc aliam habemus historiam, pro ossi illa etiam testatiorem & magis authenticam, quod hæc ipsa in Bullas Apostolicas plumbo & sigillo cereo cõmunitas, quas habemus, relata sit. Nam beatæ recordationis Gregorius XIII. in Bulla vel Constitutione, quæ incipit, *Ascendente Domino*, & in alia quam ante tulit, incipiente, *Quanto fructuosius*; cum ea quæ instituti nostri propria sunt, retulisset, atq; ea potissimum quæ aliquam cõtinere difficultatem videbantur, & ob quæ aliquos tam intra quã extra Societatem, suboffendi ac murmurare audisset, declarat, & expresse formalia illa verba pronunciat, *Quapropter Societatis corpus in sua membra, ordinẽ & gradus idem Ignatius diuino instinctu ita duxit disponendum.* Anne quid clarius dici ac liquidius potest?

His ergo præsuppositis, iam ad rem ipsam veniamus, & eos alloquamur, qui conuenticula & cætus quosdam particulares mire vellent, ad ipsum Religionis institutum, & ea quæ recte ab eiusdem authore & fundatore stabilita sunt, conuellenda & inuertenda. Quid? An non euidens quoddam superbiæ indicium est, tantum quem de se ac iudicio & opinione sua præsumere, dicere vt audeat, Beatus Ignatius in suis Constitutionibus bonum iter non tenuit, satius longe foret illud iter teneremus, quod mihi & compendiosissimum & optimum videtur? Quæ dari maior dementia & insulsitas queat. Quam vero ingens hæc vesania sit, ex alio simili absurdo videre erit: quia vnum per aliud optime elucidatur. Vnum è maximis quæ in Ecclesia Dei sunt, malis ac peccatis est hæresis. Non autem disputo hoc loco, an maius aliquod dari peccatum possit: constat quippe ipsum formale Dei odium longe grauius ac maius scelus esse. At id genus peccata communiter in hac vita non admittuntur, sed tãtum in inferno. Dico ergo, inter omnia peccata quæ ordinarie ab hominibus committuntur, hæresin, qua scilicet quis ab Ecclesia sese diuellit, vulgo ab omnibus vt grauissimum duci. Nec immerito: nam,

nam, præterquam quod totius Chriſtianæ Religionis fundamentum, fidem ſcilicet, & aliquot alias quæ eodem referuntur rationes, ſubuertat, an non extrema quædam & ſumma eſſe videtur ſuperbia ita quempiam de ſe præſumere, & adeo præfracte proprio ſuo iudicio niti atque adhærere vt quod ſibi fingit, ac comminiſcitur, verius eſſe credat ac teneat, q̃ quod Eccleſia Catholica Romana credendum ſtatuit, quam quod in tot Conciliis, ad quę quotquot orbe toto aut doctrina, aut ſanctimonia illuſtriſſimi erant viri, confluxerunt, approbatum eſt; quam denique quod tot Martyrum, qui pro eiuſdem confeſſione mortem non dubitarunt oppetere, eſt ſanguine, necnō per tot miracula, quæ in veritatis eius confirmationem facta ſunt confirmatum? Et dicere, Equidem maiorem adhibeo fidem iis, quæ hac nocte ſomniaui, aut quæ Martinus Lutherus homo ſceleſtus, peruerſus, Apoſtata, impurus, & ſacrilegus concubinarius me docet. Maiorne hac dari fingiue arrogantia ac veſania poteſt? maiorne excogitari cęcitas & abſurditas abſurdior? Pari porro ratione procedunt, & idem aliquomodo agunt ii de quibus in præſens loquimur, qui ſuum iudicium & opinionem eius iudicio anteponunt, quē Deus ipſe in Religionis caput, auctorem & fundatorem ſelegit, quique quam ipſi ſomniarunt & commenti ſunt viam, meliorem eſſe cenſent ea, quam Deus ipſe, ei quem vt primarium Societate fundandæ inſtrumentum aſſumere dignatus eſt, inſpirauit ac reuelauit. Eſt autē hæc ſuperbia quædā Luciferiana. Quid? Deus ergo B.P.N. Ignatio, quem in ducem & fundatorem eius aſſumpſit, bonam aliquam viam, quæ ad Religionis ſuæ bonum integritatemque perneceſſaria erat ante non declarauit, tibi vero vni reuelarit & aperuerit? An non id pluſquam ſatis eſt, vt hinc te intelligas à dæmone decipi & illudi; vtpote qui te velut mediū & inſtrumentum ad bellum Societati, quam tantopere is deteſtatur & odit, inferendum, ac pacem & vnionem Religionis totius turbandam (ſicut hæreſiarcha illo, vt inſtrumento & organo ad vniuerſalis Eccleſiæ concordiam diuellendam vſus eſt) ſibi ſelegit? Sed dices, Equidem aliud nō ſpecto, quam vnicam Religionis reformationem. Falleris; ſiquidem falſo illo ac mendaci titulo dæmon ceu pater mendacii, oculos tibi faſcinat: hoc namq; eſt Societatem non tam reformare, quam deſtruere ac diſſoluere velle. Eſt autē hoc inprimis notandum; quia non hyperbolice id dico, vel per modum exaggerantis, ſed vt rem veram & clariſſimam. Tunc namq; Religionem quis reformat, quando illam ad priſtinum ſuum vigorem & feruorē, à quo paulatim excidit, reuocare ſatagit, & omnimodis elaborat, vt quam primus eius fundator conſtituit, regula ac diſciplina poſtliminio reuiuiſcat. Atq; id ſanctum & ſalutare eſt opus: & id plurimæ Religiones hactenus laudabiliter fecere, in primæuo ſuo inſtituto, vigore ac flore ſe conſeruare cupientes. At, inſtitutum ac primam viam, quam fundator & auctor noſter à Deo illuſtratus nobis præſcripſit, immutare, & aliuditer ab ea diuerſum inducere velle; non id reformare Religionem eſt, ſed eam potius labefactare, peſſumdare, & aliam nouam ac diſcrepantem è cerebro, libitu, & ſenſu tuo, ſicut in Franciſcana F. Elias facere voluit, efformare velle.

Cum in ſacro Concilio Tridentino de Religionum reformatione inter ſanctos illos Patres ageretur, & ſanctiſſima aliquot ſuper ea re decreta conderentur, R. P. N. Generalis Iacobus Lainius, qui præſens aderat, ipſis proponendum cenſuit, iſtos de reformatione regularium ordinum Canones, de Societate Ieſu neutiquam intelligendos videri, quod ea adhuc recens Religio eſſet, & à cæteris Ordinibus diſtincta, & vt talis ſuam etiam procedendi viuendique rationem ab ipſis plane diuerſam, à Sede tamen Apoſtolica approbatam, haberet. Addebat inſuper per diuinæ gratiæ opem, nondum eam à primo ſuo feruore, inſtituto ac diſciplina deſciuiſſe, ac proinde ſi de ea decre-

Seſſ. 25. decr. de reform. regul. c. 16.

decreta hęc intelligerētur, adeo ipsam iis non reformandam, vt destruenda potius videretur. Placuere rationes eius Concili Patribus, qui propterea (vt in sess. 25. legere est) hęc decreta sic restrinxerē: *Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum à sancta sede Apostolica approbatum Dñino & eius Ecclesiæ inseruire possit:* ac propterea hæc de reformatione decreta de eadem non vult intelligi. Nihil penitus, Ecce sacrum Concilium Tridentinum in instituto ac modo viuendi, quem Societati nostræ Deus per B. P. N. Ignatium dedit, & quem Sedes Apostolica & Romana ante approbauit nihil, innouare vult, nec audet; quinimo illum approbat & cōfirmat, tu vero eum, ob nescio quos respectus & rationes humanas cerebello tuo enatas, præsumes mutare aut innouare?

Longe dignius, venerantius, ac laudabilius tam de instituto, quam de eius institutore sensit Marcel. Coruinus Cardinalis tituli S. Crucis; qui post ad Pontificatus apicem euectus, Marcellus secundus est cognominatus. Hic enim, vt in vita B. P. N. commemoratur (& facit id mire ad propositum nostrum) paulo ante quam ad supremam illam dignitatem assumeretur, magnam cum P. Martino Olauio, insigni Societatis nostræ Theologo disceptationem habuit, circa regulam illam, qua vllam extra Societatem vetamur dignitatem admittere, nisi ad eam ex obedientia compellamur ab eo cui ad id sub pœna peccati mandādi ius est; imo qua ne Generali quidem, nisi summus Pontifex id iusserit ac mandarit, ipsum permittendi potestas conceditur; & quod particulare eiusce rei professi omnes votū cóncipiant. Quare maius aiebat Cardinalis Societatem opere pretium, Deique Ecclesiæ rem vtiliorē facturam, si ei de bonis ac zelosis Episcopis potius, quam de bonis prędicatoribus, & Confessariis prospiceret, atque adeo maiorem eo rei huius vtilitatem futurā, quo plus Episcopus bonus potest, quam pauper aliquis clericus fructus affere. Multas porro ad hoc adstruendum rationes ipse adferebat: quas cum Olauius omnes refutaret, simul indicabat, nullum Ecclesiæ Dei afferre, Societatem gratius ac salutarius obsequium posse, quam si in puritate & humilitate sua se ipsa conseruaret, vt illi & diutius & securius suum posset obquium & opem impendere. Cum vero in sua Cardinalis opinione firmus permaneret, quod suas rationes salutariores & prægnātiores cēseret, addit demū Olauius, Si nullæ rationes sint ad Illustr. Dom. V. conuincendam, & opinionem aliam induere cogendam, satis vna nobis saltem Patris Nostri Ignatii ita censentis, ac decernentis ad id melius ac salutarius esse credendum, auctoritas sufficit. Tum Cardinalis, Iam demum me submitto, inquit, & ratione te firmiori niti assero: nam esto omnem à parte mea rationem stare censeam, vna tamen Patris Ignatii auctoritas hoc in negotio apud me longe potior & antiquior est, quam omnes quæ aliunde afferri queant rationes. Quod & ratio ipsa ita esse euidenter suadet: cum enim illum Deus Optimus Maximus ad talem in Ecclesia sua Religionem, qualis vestra est, plantandam auspicandamque, & per totum terrarum orbem, & quidem tanto animarum fructu & bono, propagandam, & tanto eam spiritu & prudentia regendam & gubernandam, quanto eum rexisse hactenus & regere cernimus, elegerit, verisimile quoque fit (& sane aliter fieri non posse videtur) eundem-net Deum modum ei detexisse & reuelasse, quo hanc velit Religionem in posterum vti, & se tueri ac fouere. Si itaque vir talis ita censuerit, multo sane nos, qui Religiosi sumus, & filii obedientiæ esse debemus, æquius erit iudicium nostrum submittere, vbi quid in Societate per regulam esse ordinatum ac statutum videbimus ab eo, quem Deus nobis in ducem, patrem, atque institutorem dare dignatus est; ac præsertim viso, omnia ea tam autentice ab omni-

Lib. 3. c. 5.

omnibus Pontificibus, qui inde vsque ad nostra tempora Romano sedi præfuerūt, atque adeo ab ipsomet Oecumenico Cōcilio Tridentino postea fuisse confirmata & approbata, quin etiam magnos idcirco nobis Deum Opt. Max. fauores contulisse, & Societatis opera tot in negotiis grauissimis & occasionibus vsum fuisse, vtpote qui ab hinc sexaginta, & quod excurrit annis, tam vberem eius adminiculo fructum edidisse cernitur. Quæ cum ita sint, quis audeat, vel in amicum cogitando admittat, illius decreta constitutaque, aut procedendi agendiq; modum vel leuiter immutare? Ait quippe Sapiens, *Ne, transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Prou. 22. 28.

Vt vero tali præsumptioni atque audaciæ omnimodis occurratur, ipse Pontifex Gregorius XIII. in diplomate, quod incipit, *Ascendente Domino*, postquam ipsum Societatis institutum modumque eius viuendi denuo cum approbasset, tum confirmasset, ac præsertim ea, quæ nonnullos possent offendere, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pæna excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis & incapacitatis ad quodlibet officium vel beneficium ipso facto incurrendæ, sine aliqua vlterioris declarationis exspectatione, vetat, ne quis, cuiuscunque status, gradus, vel dignitatis sit, illam Societatis regulam, institutum, vel constitutiones vel directe vel indirecte, ne quidem sub disputandi, vel veritatis maioris eruendæ prætextu, impugnare vel in dubium reuocare præsumat. Quin imo, si quod quoad has dubium inciderit, expresse se velle significat, vt, aut Sedes ipsa Apostolica, aut Generalis Societatis ipsius Præpositus, aut ii denique, quibus id ipse specialiter commiserit, cōsulantur, aliorum vero omnium nemo se huic disceptationi inquisitionique immiscere sustineat. Idem, atque etiam vberius, successor eius Gregorius XIV. alia, de eadem re edita, constitutione, quæ incipit, *Ecclesia Catholica*, verbis amplissimis decreuit, Cum, inquit, non mediocre disciplinæ religiosæ, & perfectionis spiritualis detrimentum, atque adeo magnam totius Religionis perturbationem ac damnum inde secuturum videamus, si, quod sancte à fundatoribus statutum, ac sæpius ab ipsamet Religione in generalibus eius congregationibus receptum & approbatum, & (quod magis est) ab hac Apostolica Sede stabilitum & confirmatum est, prætextu quocumque, non modo mutaretur, sed & inuerteretur & impugnaretur, omnib. cuiuscunq; status ac conditionis sint, tam Ecclesiasticis & sæcularibus, quam Religiosis, quamuis etiam de hac ipsa Societate sint in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis & incapacitatis ad quodcumque officium, munus, & dignitatem, & priuationis suffragii tam actiui quam passiui, quæ pœnæ ipso facto sine vlteriori declaratione incurrūtur, & à quibus nemo eos, nisi ipsa Sedes Apostolica, poterit absoluere, & ipsam Prædecessoris nostri Gregorii XIII. constitutionem & omnes pœnas in eadem contentas renouātes, mandamus, vt nemo aliquod Societatis Iesu institutum, regulam, vel constitutiones, tam directe quam indirecte, ne quidem sub boni maioris aut zeli, aut alio quolibet prætextu impugnare, aut quomodolibet eis aduersari præsumat. Addit autem & aliud quod inprimis singulare & substantiale: Ne quidem aliquid circa dicta cuiquam aut voce proponere, aut scripto tradere, eo fine, vt his aliquid aut addatur, aut dematur, aut circa hæc immutetur, præterquam summo Pontifici immediate vel mediate per Nuntium ac Legatum Apostolicum, aut Generali Societatis Præposito, aut denique Congregationi generali. Ipse quoque Pontifex modernis, Paulus V. in Bulla, quam an. M. D. C. VI. Societatis institutum & priuilegia priora confirmaturus dedit, inter alia singularem harum Constitutionum, Gregoriorum XIII. & XIV. mentionem facit, easque approbat & renouat. Vt hinc appareat, quam res hæc stabilita & be-

& bene fundata sit, cum ei iam nemo sine grauissimarum pœnarum, & excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ reatu, esto etiam de Societate sit, vel extra rem constitutus, & tam Religiosus & Clericus, quam laicus, cuiuscumque etiam status, gradus, dignitatis, & conditionis existat, refragari possit. Concludamus ergo, & quidem iisdem verbis, quibus suam ad Corinthios epistolam concludit Apostolus, *De cætero fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Gaudeamus inquam, Patres fratresque. & lætemur, quod ad tam sancta nos Religionem, quæque tantam perfectionem profitetur, Dominus vocarit; ac perpetuo perfectioni huic incumbamus, & in summa nos pace & vnione conseruare studeamus, idque inuicem ad eandem animando & exhortando: atque ita demum fiet, vt Dominus, qui pacis atque amoris auctor ac fons est, semper nobiscum sit futurus.

2. Cor. 13. 11.

TRACTATVS QVINTVS DE ORATIONE.

CAPVT I.

De pretio, valore, & excellentia orationis.

Apoc. 5. 8. & 8. 3. 4.



ORATIONIS excellentiam & valorem egregie Ioannes Euangelista in Apocalypseos suæ cap. 5 & 8 declarat, dum Angelum aureum manu thuribulum tenentem ante altare stetisse, multaque ei incensa data ait, atque hoc orationes sanctorum fuisse, vt scilicet eas ad altare aureum, quod in conspectu throni Dei erectum erat, offerret, incensorum autem fumum de manu Angeli in conspectum Dei ascendisse. Quem locum exponēs Chrysostomus, In hoc, inquit perspicies, quam eminens & excellens sit oratio, cum ipsa sola in sacris litteris thymiamati (erat id mixtio ex thure, aliisque aromatibus fragrantissimis composita) conferatur: nam, sicut thymiama bene compositum & tēperatum odore & suffitu suo mirifice hominis olfactum recreat; Sic oratio eo quo debet modo peracta & fusa, Deo quā gratissima ac suauissima est, quin adeo Angelos & vniuersos cæli ciues recreat; adeo vt eos Ioannes in manibus velut aromaticas quasdam pilas (quæ sunt orationes sanctorum) habere asserat, quas naribus suis purissimis (de iis humano nostro more loquendo) sæpissime applicant, vt suauissimo hoc odore fruantur. *Habent*, inquit, *singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum* S. Augustinus de oratione loquens sic ait, *Quid est oratione præclarius, quid vita nostra vtilius, quid animo dulcius, quid in tota nostra Religione sublimius?* Necnon S. Gregorius Nyssenus: *Nihil, inquit, ex his, quæ per hanc vitam coluntur, & in pretio sunt, orationi præstat.* Addit aliud Bernardus, Etsi, ait, certum sit, Angelos prope semper seruis Dei, inuisibiles licet, præsentes assistere, tum ad ipsos ab insidiis & fraudibus inimici liberandos, tum ad ipsorum desideria & feruentius Deo seruiendum inflammanda; maxime tamen nobis spiritus illi ange-

Hom. 13. in Mat. in oper. imperfect.

Guil. Paref. in sua rhetor. diuin. c. 41.

Apoc. 5. 8.

Tract. de miseria tom. 10.

De ora. Dom.

Serm. 7. sup. Cant. & epist. 78.

angelici adstant, quando orationi insistimus. In huius rei confirmationem multa è sacris litteris depromit testimonia, vti illud Psalmistæ, *In conspectu Angelorum psallam tibi:* Et, Præuenerunt *Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistricarum* quem ipse locum de Angelis se secantibus coniungentibus pariter intelligit: vti & illud Angeli ad Tobiam, *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Mox enim atque oratio orantis ore egreditur, Angeli eam quod præsentes adsint, excipientes Deo Opt Max offerunt. Idem denique asserit Hilarius, *Angeli, ait, præsunt fidelium orationibus, & eas quotidie Deo offerunt.* Quare verisimile fit, nos, dum orationi incumbimus, ab Angelis circumcingi, inter medios Angelos agere, & Angelorum officio fungi; id scilicet iam tum in terris agentes quod perpetuo post in cælo acturi sumus, Deum laudando & benedicendo. Vnde etiam potissimum hoc nomine Angelis cari & amici sumus, vtpote qui socii eorum & modo sumus, & post etiam erimus, dum collegarum ipsorum qui alias exciderunt, sedes replebimus. Chrysostomus de orationis excellentia loquens, eamque extollere cupiens, nihil de ea ait dici posse præstantius quam quod quicunq; orationem instituit, cū Deo loquatur & conuersetur. *Considera,* inquit, *quanta sit tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.* Nullam ait linguam explicare posse quantę sit hæc cum Deo cæli conuersatio & collocutio dignitatis & excellentiæ, quantæ eadem nobis vtilitatis & commodi: si enim qui in terra cum viris prudentibus & doctis assidue conuersantur, breuissimo tempore notabilem in se fructum percipiunt, ac mire se in prudentia & doctrina profecisse comperiūt; si etiam iis qui cum bonis & piis cōuersantur, horum bonitas ac pietas adhęrescit (vnde etiam vulgo dicetur, *Age cum bonis, & de bonorum eris numero*) quid didicendum de iis, qui frequenter cum Deo agunt & conuersantur? *Accedite ad eum & illuminamini.* qua luce, qua cognitione, quibus etiam bonis & commodis, per hanc conuersationem & familiaritatem donabuntur? Quare dicit Chrysostomus, nulla re adeo nos in virtute perficere, quā frequenti oratione & assidua cum Deo conuersatione. Per eam namque miram cor hominis generositatem induit, mundana despicere incipit, super omnia illa se effert, Deo se vnit, seque in eum quodammodo transformat, sanctus denique ac spiritualis efficitur.

Psal. 137. 2. *Psal. 67. 26.* *Tob. 12. 12.* *Cant. 18. in Matth.* *Lib. de orand. Deo.* *Apoc. 5. 8.* *Psal. 33. 6.* *Ho. de orat. & in illud ps. 7. Confitebor Domino secundum.*

CAPVT II.

Quam nobis oratio necessaria sit.

QVAM vero nobis oratio sit necessaria, est experientia notissimum: Vtinam vero adeo notum id non esset! Quia enim homo gratia & fauore Dei tantopere opus habet, quod tot lapsibus sit obnoxius, quod à tam multis, tamq; grauibus aduersariis circumcinctus, quod tanta rerum tam ad animam quam ad corpus pertinentium penuria laboret; hinc nullum habere melius in hisce malis remedium potest, quam semper & in omnibus ad Deum opus causa confugere, eum ex toto corde rogando, sibi vt faueat, & in omnibus periculis ac necessitatibus opituletur, iuxta illam Iosaphati Regis, dum ab hostibus se cinctum vndeundique videret, orationem; *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te Deus.* quod inquam adeo debiles, indigi & pauperes simus, & quid nobis faciendum sit nesciamus, nullum salutarius remedium suppetit, quam ad Deum cęli oculos sustollere, & per orationem id ab eo petere, quo indigemus & caremus. Vnde Cælestinus Papa in epistola quadam Decretali, Ad huius orationis, inquit, necessitatem vobis indicandam, melius nihil dicere scio, quā ꝙ prædecessor meus Zozimus dixit; *Quod est,* inquit, *tēpus in quo eius auxilio nō* indi-

Orandum semper & multum, quia semper multis indigemus. *2. Par. 20. 12.* *c. 9. contra Pelagium.*

indigemus? In omnibus igitur rebus, causis, & negotiis exorãdus est protector Deus, eiusque gratia postulanda: *superbum est enim, vt humana natura*, adeo misera & fragilis, *aliquid de se præsumat.*

22.q.88.ar.2. 1.lib.3.fid.c. 24. 2.Lib. de ser. Domini c.7. & serm.230. de tempor. 3.hom. in Iul. martyr. 4.hom.3.in Genes. 5.Lib.1. dial. c.8.

Diuus Thomas de oratione agens, egregiam prægnantemque dat rationem, è qua orationis colligatur necessitas, quam ipse è 1. S. Damasceno, 2. Augustino, 3. Basilio, 4 Chrysostomo, & 5. Gregorio doctrinam hausit. Docent itaque Patres hi Deum, quod diuina sua prouidentia ac dispositione iam inde ab æterno animabus dare decreuit, id iis in tempore nonnisi per hoc orationis adminiculum concedere, atque adeo in hoc multarum quidem animarum salutem, conuersionem, ac remedium, aliarum vero profectum & perfectionem ipsum collocasse ac statuisse. Adeo vt sicut idem disposuit ac decreuit, vt genus humanum mediante matrimonio multiplicaretur, vt terra nonnisi arata, seminata & culta, abundantiam panis & vini, ac frugum reliquarum prouentum adferret; vt denique mediantibus opificibus & materia, domus ipsæ & ædificia cõstruerentur; ita etiam multos in hoc mundo effectus nonnisi per hoc orationis predium producere multasque via hac gratias & charismata animabus nostris communicare constituerit. Atque hoc est, quod Redemptor noster Iesus in Euangelio promisit: *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Adeo vt oratio sola medium sit, & velut aquæductus, per quem necessitatibus nostris succurrere, paupertatem nostram locupletare, bonisque & gratiis omnigenis mentes nostras replere statuit Deus. Vnde ad liquidum patet, quam nos necesse sit ad orationem, velut ad sacram anchoram confugere. Quocirca non incõgrue eam sancti Patres catenæ aureæ assimilant, è cælo in terram vsque protensæ, per quam nimirum diuina bona cælitus ad nos descendunt, & nos vice versa ad Deum ac diuina oportet ascendere. Nos vero eam scalæ Iacobi, quæ è terra in cælum vsque pertingebat, & per quam Angelorũ hinc alii ascendebant, inde alii descendebant, comparamus. S. Augustinus vero illam cæli clauim nominat, vt quæ omnes eius ianuas aperiat, omnesque Dei thesauros reseret, ne vnum quidem abscondens. *Oratio*, inquit, *iusti, clauis est cæli: ascẽdit precatio, & descendit Dei miseratio.* Alio vero loco sic loquitur, *Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & pascitur.* Eandem comparationem pluribus vrget Martyr & Abbas Nilus.

Deus plurima vult dare nonnisi per Orationem.

Matth.7.7.

Oratio est aquæ ductus.

Oratio catena aurea calestis.

Gen.28.12. Scala Iacob.

Serm.226. Clauis cæli.

Lib. de salutar monit. ad quemd. carit. c.18. Cibus animæ.

Cap.95. de orat. in Biblioт. SS. Patrum tom.3.

Vna de præcipuis rationibus, è quibus sancti Patres hinc orationis valorem ac pretium, illinc vero quantopere ea nobis necessaria sit, colligunt, est, quod oratio primarium quoddam & efficacissimum sit medium ad totum vitæ nostræ statum recte componendum & ordinandum, atque adeo omnes, quæ in virtutis via nobis occurrere possint, difficultates superandas & expugnandas. Vnde ab ea aiunt omnem vitæ nostræ directionem dependere; &, cum oratio bene ordinatur, ac componitur, etiam vitam bene ordinatam ac compositam esse, cum vero illa non recte constituta est, nec alia omnia recte ordinata procedere. Quare bene Augustinus, *Recte*, inquit, *nouit viuere, qui recte nouit orare.* Climachus vero notabile quoddam è quodam Dei famulo circa hoc verbum se audisse scribit, scilicet, Iam inde ab exortu diei & summo mane scio, qualis dies reliqua mihi futura sit: significans, si recte orationem mane perageret, reliqua per diem opera recte sibi successura; & vice versa si in oratione matutina negligens esset, bonum illa successum non habitura; Atque idem esto de toto vitæ cursu iudicium. Nemo nostrum non id quotidie experitur; nempe quãdo orationẽ recte obimus, tam bene nos per diẽ reliquũ dispositos, hilares, generosos, ac bonis propositis ac desideriis tam plenos esse, vt sit de quo Deo gratiæ agãtur; contra,

Ho. 4. ex 50.

Qualis oratio talis totius vita ratio.

tra, si in illa solum nos negligenter gesserimus, statim reliqua omnia etiam collabascere & ruitura. Vnde S. Bonauentura: *Sine orationis studio omnis Religio est arida, imperfecta, & ad ruinam promptior.* Nam si illa omittatur, quamprimum omnia pessum eunt; statim namque subingredi incipit tepor, & anima ignauescere, debilitari, languere, ac vigorem illum & constantiam mentis, quam habebat, amittere; statim omnia illa sancta proposita, & cogitationes priores, nescio quo modo euanescunt, omnes è contra passiones effrenes repullulare & reuiuiscere incipiunt; tum quoque vanis quibusdam homo capi se comperit delectationibus, & confabulationes, risus, lætitias exteriores, & alias id genus vanitates captare; &, quod omnium deterrimum est, ilico etiam vanæ gloriæ, iræ, inuidiæ, ambitionis, aliorumque id genus vitiorum, quæ emortua & exstincta antea videbantur, appetitus reuiuiscit.

De progreß. Relig. c. 7.

Oratio robur animæ.

Hinc Nilus Abbas orationem esse debere ait viris Religiosis ceu speculum. In hoc ipsi nos quotidie diutius speculari & contemplari debemus, vt quas imperfectiones & defectus habeamus, in eo videamus, & si quam tunc in rebus fœditatem notamus, illam extemplo tollere conemur. Hoc item in speculo consideranda & notandæ sunt virtutes illæ, quæ in Christo Iesu resplendent, vt illarum ornamentis animam ipsi nostram insigniamus & condecoremus. Quare bene dicebat Minorum Pater Franciscus, *Gratia orationis viro Religioso maxime desideranda est; nullus enim sine ea in Dei seruitio fructus sperari potest.*

Oratio speculum miseriarum nostrarum & virtutum Christi.

Lib. 2. Conformit. & p. 1. histor. Minor. lib. 1. c. 77.

Inter cæteras S. Thomæ de Aquino, quæ in vitæ eius historia referuntur, graues sententias numerantur & hæ, Religiosus orationis panoplia carens, miles est inermis, & superatu facilis. Sanctus vero ille Archiepiscopus Valentinus F. Thomas Villanouanus, similem esse dicebat orationem naturalis stomachi calori: vt enim sine illo nec vita naturalis conseruari, nec vllum afferre alimenta sumpta fructum possunt; cum illo vero omnia bene concoquuntur, digeruntur, homo sustentatur, omnibus quoque corporis membris vigor, spiritus, & robur ad bene suas functiones & operationes peragendas suggeritur: Sic sine oratione spiritualis vita conseruari non potest, cum ea vero optime: eius namque adminiculo spiritus vegetatur & animatur, & vigorem ac robur ad quælibet opera & præcepta à superiore iniuncta peragenda, necnon ad omnes quæ occurrere possunt difficultates & labores suscipiendos concipit. Per orationis namque calorem omnia hæc optime digeruntur, ac facilitantur, & nihil omnino est, quod non in animæ vtilitatem conuertatur ac cedat. Denique si orationem ita prout oportet vsurpemus, haud dubie in illa salutaria contra omnes nostras imperfectiones, & ad in virtute & Religione integros nos conseruandos, remedia inueniemus. Si enim forte vel in obedientia, & regularum obseruantia paulo te remissiorem fieri, vel alia quapiam in re ignauescendo deficere, vel passionem in te repullulare, vel denique sinistrum aliquem casum aliam ingruere contingat, quam primum ac ad orationem confugies, his omnibus per Dei gratiam & opem in eadem remedium inuenies. Quin imo si vel in hac ipsa oratione elangueris & remissior fias, eadem mox tibi remedio erit, & tibimetipsi te restituet. Omnibus ergo malis medetur oratio, atque adeo orationem remissiorem curat ea quæ est feruentior. Vnde non inscite manui comparatur; nam vt hæc toti corpori, quin imo sibi ipsi instrumentum est (idcirco enim manus laborat, vt totum corpus alatur & vestiatur, eique bene sit, &, vt quidquid tum corpori tum animæ, atque adeo sibiipsi necessarium est, ipsa procuret: nam si vna manus infirma & læsa sit, hanc curat altera; si vna sordida, hanc lauat altera; si frigida, hanc calefacit altera; omnia denique per manus peraguntur) ita se res in oratione habet.

Oratio est panoplia nostra.

Cap. 11. vitæ.

Aßimilatur calori stomachi.

Oratio animæ quod manus corpori.

CAPVT III.

Plurimis Deo nominibus deuincti sumus, quod rem, hinc adeo quidem excellentem, illinc vero tam necessariam, ita nobis facilem reddiderit.

RATIONI consentaneum est, vt magnam & singularem illam hoc loco expendamus & consideremus gratiam, quam Dominus nobis conferre dignatus est, nimirum, quod, esto oratio ex se hinc tam sublimis & excellens sit, illinc vero omnibus nobis tam necessaria, tamen eam omnibus vsque facilem reddiderit, vt, quotiescumque & vbicumque eam habere lubuerit, in nostra potestate & manu sit eam habere. Vnde etiam Regius Propheta dixit, *Apud me oratio est, vt eam faciam Deo vitæ meæ.* Nunquam scilicet hæ misericordiæ diuinæ fores occluduntur, quin imo semper & nullo non tempore cuilibet patent: semper ipsi oportunum est benefacere, quin etiam vltro cupit omnibus benefacere, etiam petendo instat vt eum rogemus, & rogari gaudet. Quæ vero ad hoc propositum adferri solet consideratio, percommoda & congrua est: si semel tantum per mensem potestatem Deus quibuscunque faceret libere ad se accedendi, & alloquendi, iisque benignas ipse tunc accommodaret aures, quin & beneficia elargiretur; magni id haud dubie faciendum esset, quandoquidem, si vel Rex aliquis temporalis hancce beneuolentiam offerret, permagni ea duceretur: quanto ergo potius id magni à nobis faciendum, quod Deus hanc non semel singulis mensibus, sed quolibet die, quin etiam sæpius per diem, gratiam ac beneuolentiam exhibeat? *Vespere*, inquit Psaltes, omnia tempora complectens, *& mane, & meridie narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam:* id est, quacumque diei hora labores & miserias meas Domino enarrauero, & ad ipsum recurrero, certam fiduciam habeo, toties me ab eo exaudiendum, & gratia donandum. Neque enim Deo tædio vel fastidio est, importunius rogari, sicut esse hominibus solet; quia ipse non est sicut illi, qui dum quid cuiquã dant, depauperantur. quantum enim vnus alteri elargitur, tantum illi decedit; & dum quid dat, quid etiam sibi aufert, eumque, cui ipsum dat ditando, semetipsum depauperat. Hinc homines piget rogari, & esto semel aut bis libenter & hilariter postulata concedant, tertia tamen vice non concedent, defatigati tædio, nec petitis annuent; aut si annuant, ita fastidiose se gerent, vt petentẽ posthac quidquam petere pigeat. At Deus, vt ait Apostolus, infinite *diues est in omnes qui inuocant illum:* atque, vti dando non fit indigentior, ita nec indignatur aut succenset rogatus, etsi vel singulis momentis mundus vniuersus multa ab eo postularet: quia diues est in omnes & effusus vt omnes locupletet; ita tamen, vt nihil illi de epulentia quã habebat ante decedat. Atque vt diuitiæ & abundantia eius infinita est, ita & infinita est eius misericordia in omnium mortalium necessitatibus succurrendo; quin imo volupe illi est, multa nos ab ipso indies petere, ac frequentissime ad eum, velut ad asylum, recurrere. Æquum igitur erit vt tam eximium omnes beneficiũ & gratiam agnoscamus, ob ipsum gratos nos exhibeamus, & è tam ampla salutarique petendi licentia aliquem nobis fructum colligamus; vt nimirum in orationis exercitio assidui & continui esse procuremus. Nam (vt S. Augustinus in hæc Psalmographi verba, *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me,* commentatur) certus esto, si Dominus non amoueat orationem tuam à se, eum nec misericordiam suam à te amoturum. Itaque ne suam is à nobis misericordiam auferat, nosque deserat, nostrum est operam dare, ne vnquam orationem relinquamus, aut ab ea nos sequestremus.

Oratio etsi tam excellens & necessaria æque tamen facilis.

Psal. 41. 9.

Mira Dei in exaudiendo facilitas.

Psal. 54. 18.

Rom. 10. 12.

Psal. 65. 20.

CAPVT

Capvt IV.

Duo mentalis orationis genera proponuntur.

OMissa oratione vocali, quæ tam sancta est, & in Ecclesia Dei adeo vsitata & frequens, in præsens duntaxat de mentali loquemur; quam etiam intellexit & designauit Apostolus ad Corinthios scribens, *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* (1. Cor. 14. 15.) Duo autem sunt orationis mentalis genera: Vna communis est & plana, altera specialissima extraordinaria, & eminētissima; quæ recipit & patitur potius quam agat, vti loquebantur veteres illi sancti in oratione maxime exercitati. (Rom. 10. 12.) Hinc de præceptore ac doctore suo Hierotheo ait Dionysius Areopagita, eum *diuina patientem fuisse*, id est recipere potius solitum ea quæ à Deo donabantur, quam vt ipse quid faceret. (c. 2. de diuin. nominib.) Inter duas has orationis species magna est differentia. Prima siquidem aliquomodo hic in terra verbis doceri potest; secundam vero ipsi docere non possumus; verbis enim declarari non valet: quia est manna quoddam absconditum, quod *nemo scit quid sit, nisi qui accepit*, & ex eo comedit: (Apoc. 2. 17.) imo ne ipse quidem declarare nouit quid id sit, nec id quale sit, proprie intelligit, vti egregie ostendit Cassianus, ad hoc propositum adducens quandam B. Antonii Abbatis sententiam, quam ipse diuinam, cœlestem, & plus quam humanam appellat, scilicet, *Non est perfecta oratio, in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat intelligit.* (Psal. 65. 20.) Sublimis quippe hæc & transcendens oratio non patitur eum qui orat aut suiipsius recordari, aut ad id quod agit (vel quod patitur potius quam agat) reflexionem facere. Sicut enim hoc in mundo sæpe ita homo ab aliquo est negotio absorptus & ei immersus, vt suiipsius non meminerit, neue vbi sit, imo ne reflectat quidem ad id quod cogitat, nec aduertat quomodo ipsum cogitet: ita in hoc perfecto orandi modo homo ita in Deum absorptus & immersus est, vt suiipsius sit immemor, nec intelligat quomodo id fiat, nec qua via vadat, nec qua veniat, vt nullam tunc curet methodum, ac de præambulis punctisue parum solicitus sit, aut quod modo hoc, modo illud ei in mentem veniat, non multum laboret. Sicut eidemmet Antonio accidisse refert Cassianus: (S. Antonii in orando assiduitas.) nam, cum circa noctis initium ad orationem se composuisset, tam diu in illa perseuerabat, donec postridie suis oriens sol radiis vultum eius feriret; hinc & ipse cum eodem expostulabat, quod tam matutine oriens sua sibi luce lucem eriperet, qua mentem eius interius Pater ille luminum illustrabat. De hac orationis specie sic loquitur Bernhardus, *Rara hæc hora est, & parua mora,* (Serm. in Domin. infra octauam Epiphan.) & breue omne illud tempus, quod eidem impenditur: quod esto etiam longissimum sit, instar flatus præteruolat. Hanc vero in se sentiens Augustinus, dicebat: *Introducis me in affectum nimis inusitatum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, ignoro quid futurum sit.* (Lib. 10. Confess. c. 40.) In hac ipsa etiam orationis & contemplationis specie Bernardus tres gradus diuersos statuit: (Contemplationis species Manducatio Potatio Inebriatio. Serm. 52. ex paruis.) primum comparat comestioni, secundum potationi, quæ maiori & facilitate & suauitate fit, quam ipsa manducatio, neque enim vllum potus habet in masticando laborem: Tertius vero est inebriatio. Atque huic proposito adaptat, quod in Canticis Canticorum sponsus ait, *Comedite amici*, & deinde *bibite*, (Cant. 5. 1.) tertio *inebriamini* ab amore isto, *carissimi*: atque hoc est perfectissimum, quæ omnia magis sunt accipere, quam agere. Sicut enim hortulanus alias aquam è puteo magna brachiorum agitatione & labore haurit, alias, illo quiescente nec manum mouente, cœlo decidit pluuia, (Meditatio aquæ de puteo haustæ.) quam terra sponte sua imbibente, nihil aliud hortulanum hic agere necesse est, quam pluuiam suscipere, eamq; ad arborum radices per lacunas deducere, vt fru- (Contemplatio pluuiæ comparatur.)

ctum ferant. Pari modo se res habet in his duobus orationis generibus: quod primum magna conquiratur industria & studio, cui Deus cooperetur & adminiculetur; alterum vero, iam factum ante & velut coctum quodammodo inueniatur. Primum labore paras ac sudore, emendicas, & de ista mendicitate comedis: at alterum plenam & instructam tibi mensam proponit, quam tibi Deus ad famem tuam pellendam præparauit, mensam inquam opiparam, & refertissimam. Vnde aiebat Sponsa; *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Et Isaias, *Et lætificabo vos in domo orationis meæ.*

Hæc oratio singularissimum quoddam Dei donum est, quod dare solet quibuscumque voluerit; interdum quidem in compensationem & retributionem acceptorum ab iis obsequiorum, tum quod quis eius nomine multis in rebus se mortificarit, ac permulta passus sit, interdum nullo ad præterita merita respectu, quia liberalissima quædam ac gratuita eius est gratia, eamque ipse dat quibuscumque voluerit, iuxta illud Euangelii pronuntiatum, *Non licet mihi quod volo facere?* Denique res est, quam alter alterum docere non possimus. Atque ideo nonnullorum reprehenduntur ac prohibentur scripta, quod docere conati sint id, quod nec addisci nec doceri potest; & per artem ac præcepta tradere, quod longe omnem artem transcendit; tamquam si infallibiliter ac certo aliquem contemplatiuum reddere possent. Quod merito Ioannes Gerson in quodam quem aduersus Ruisbrochium librum conscripsit, his verbis carpit: Florem à sua radice præsecuisti; nam sicut flos à sua radice recisus, & manu contrectatus ilico flaccescit, suamque pulchritudinem & elegantiam amittit: ita plane fit in his rebus, quas in hac alta & sublimi oratione intime Deus suis communicat, vt; dum eas homo è proprio remouet loco, & aliis declarare & communicare vult, suum eæ statim decorē & splendorem amittant. Hoc faciunt illi, qui declarare verbis & docere cupiunt id quod non doceri, ne quidem intelligi potest. Quid mihi illæ anagogiæ mysticæ, illæ animæ transformationes, illud silentium, illud annihilari, illud sine mediis vniri, ille Thaulericus fundus verbis indicata prosunt; si tu quidem ea intelligas, ego vero minime, & quid mihi velis dicere nesciam? Quare bene nonnulli hoc inter diuinam hanc scientiam & alias omnes discrimen statuunt, quod reliquæ scientiæ vt intelligantur, ipsos ante terminos earum nosse oporteat, in hac vero non ante terminos intelliges, quam scientiam ipsam fueris adeptus. In illis Theoria præcurrit praxin; in hac vero Theoriam praxis præcedat necesse est.

Matt. 20.15.

Contemplatio doceri nequit.

Dico præterea, oratio hæc non modo non doceri, aliisque tradi potest, sed ne tu ipse quidem velle debes eidem te applicare, neu ad eam sustollere, si Deus ipse ad eam te non subuehat, ei applicet, aut eo sustollat: magnæ quippe id foret superbiæ ac præsumptionis indicium, orationemque quam habes amittere, & plane nudus manere merereris. Dicit proinde Sponsa in Canticis, *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Singularissimum quoddam Dei donum est, quod animam ipse in conclaue suum intromittat, quo tam familiariter cum ipsa agat, & in cellam suam vinariam inducat, ad eandem amore suo replendam & inebriandam. Sponsa ipsa eodem se sponte non ingessit, sed eam sponsus ipse arrepta manu introduxit. Ad osculum oris eius aspirare, vel sustollere te nec ipse potes, nec debes; nam, nisi ipse eo te subuehat, magnæ audaciæ ac temeritatis id foret. Atque ideo sponsa id facere non fuit ausa, neue huc se ingerere (fuit namque humilior ac modestior, sed supplex ipsamet sponsum rogat, vt hoc sibi osculum impertiat, aitque: *Osculetur me osculo oris sui*, perinde ac si diceret, inquit Bernhardus, Ego viribus meis ad hunc amorem, vnionem, & contemplationem tam sublimem pertingere non valeo, nisi eam

Contemplationem nemo debet expetere.

Cant. 1. 1.

Serm. 52. ex paruis.

eam ipse mihi dare dignetur. Ipse nos, quæ eius bonitas, & effusa liberalitas est, ad hoc oris sui osculum, & ad altissimam hanc orationem & contemplationem, si modo eam nos habere voluerit, sustollet: neque enim res est quam aut docere ipsi possimus, aut cui nos applicare possimus vel debeamus.

Caput V.

Duo hi orandi modi sacræ Scripturæ verbis declarantur.

Dvos hos orationis, quos diximus, modos egregie clareque nobis Spiritus sanctus apud Ecclesiasticum declarat. Dicit namque eo loco de viro sapiente, per quem Ecclesia communiter iustum intelligit, *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.* (Eccles. 39. 6.) Primo ordinariæ orationis modum ponit; summo mane nimirum & diluculo strato exsurgere debet: atque illud tempus est orationi faciendæ peropportunum, & ideo in Scriptura notissimum. Hinc in ea legimus: *Mane adstabo tibi.* (Psal. 5.) *Praueni in maturitate, & clamaui.* (Ps. 118. 147.) *Praeuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* (Ps. 118. 148.) *Ad te de luce vigilo.* (Psal. 62. 1.) Addit, *ad vigilandum*: quia vigilans & alacer sit oportet, non autem dormitare, aut orationem velut quoddam ceruical aut puluillum vsurpare. Quid amplius? *Cor suum tradet* orationi: vt non solo corpore illi præsens adsit, animus vero ac mens alibi in negotiis peregrinetur, quam sancti Doctores vecordiam *cordis* vocant *somnolentiam*. Cor enim languidum, graue, & somnolentum magnum est ad orationem impedimentum; hoc namque illam impedit reuerentiam, quæ cum Deo tractare volenti necessaria est. Quid autem hanc in iusto reuerentiam producit? *Ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.* Cum enim considero in Dei me præsentia versari, & abire me vt tam potentem sublimemque maiestatem alloquar, hoc me reuerenter & attente coram eo cogit consistere. Hæc videlicet præparatio ac dispositio est, quam dum ad orationem accedimus, præferamus oportet. Sed iam vlterius, quamnam iustus orationem faciat videamus: *Aperiet os, inquit, suum in oratione, & ante omnia pro delictis suis deprecabitur,* pro eisdem erubescens, & pœnitens. Talem scilicet à parte nostra facere ipsi orationem debemus, nostra inquam delicta & culpas plangere & Deum rogare vt pro sua clementia nostri misereatur, & peccantibus ignoscat. Satis vero nobis esse non debet, dicere, Cum primum ad Deum conuerterer, generalem omnium flagitiorum meorum confessionem institui, ac tum aliquot eisdem plangendis, plorandis, & pœnitentiæ pro eisdem suscipiendæ dies dedicaui. Neque vero par est, vt, postquam semel confessi sumus, eorum obliuiscamur, sed ea semper præ oculis & in memoria habere oportet, iuxta illud Prophetæ, *Et peccatum meum contra me est semper.* Vnde bene S. Bernardus super illa verba, *Lectulus noster floridus,* sic scribit: (Serm. 46. in Cantic. Cant. 1. 15.) Lectulus tuus, id est cor tuum adhuc fætidus & maleolens est, quia nondũ terram vitiorum ac consuetudinum, quas è mundo tulisti, putiscentiam deposuisti, & sponsum inuitare audes, vt ad eundem dormiturus declinet; iam inquam de aliis altioribus amoris & arctæ cum Deo vnionis exercitiis tractare cupis, tamquam si perfectus fores. Ante cor tuum lacrymis lauare, & expiare stude (*Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo,*) (Psal. 6. 7.) ac virtutum floribus exornare, ac postea sponsum tuum ad lectulum poteris inuitare: vti sponsum fecisse constat. Age primo de osculo pedum, te demisse humiliando, deque peccatis tuis plurimum dolendo, ac de osculo manuum, vt scilicet opera tua bona Deo offeras, & veras solidasque de manibus eius virtutes recipere

cipere procures: tertiumque illud osculum oris, vnionem inquam illam altissimam non ante habere velis, quam ad id te Dominus dignetur sustollere. De antiquo quodam & admodum spirituali Patre memoriæ proditum est, viginti & amplius annos eum illis viæ purgatiuæ exercitiis impendisse; nos vero in ea statim defatigamur, & statim ad osculum oris, & amoris Dei exercitia transire cupimus. Sed bono solidoque ante opus est fundamento, vt tam altum illi ædificium superimponatur. Præter alia multa bona & vtilitates, quæ in hoc exercitio continentur (de quibus postea dicendi erit locus) singulare quoddam aduersus peccata omnia remedium in ea constat contineri: qui enim peccatum assidue detestatur, Deum se offendisse dolet, deque eo intime confunditur, non facile in ipsum relabetur. contra, quod aliqui, qui admodum spirituales & orationi dediti videbantur, & forsitan etiam erant, turpiter prolapsi sint, non altam fœdi huius lapsus causam esse volunt sancti, quam quod hoc exercitium non quantum & quam diu par erat, coluerint: quia ita se aliis exercitiis, & suauioribus sapidioribusque considerationibus sectandis dabant, vt propriæ cognitionis, & peccatorum suorum considerationis exercitia penitus obliuiscerentur. Inde factum, vt præsumptuose nimis sibi confiderent, nec tam timide quam quidem necesse erat, & caute se gesserint; atque ideo prolapsi sunt, quo minime oportebat. Quia scilicet statim vilitatis suæ obliti sunt, ideo etiam ab ea, quam habebant, altitudine corruerunt. Par proinde est, orationem nostram multo tempore solum (vti suadet Sapiens) circa peccatorum admissorum deplorationem versari, donec tandem porrecta nobis manu dicat Dominus, *Amice ascende superius.*

Tract. 8. c. 21. & p. 2. tract. 7. c. 4.

Cur aliqui viri Spirituales prolapsi.

Meditatio peccatorum non deponen[da].

[Luc.] 14. 10.

Iam videamus, quænam sit alta & specialissima illa oratio, quam Dominus, cum placuerit, suis inspirat. Subdit ergo Sapiens, *Si enim magnus Dominus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum.* Si inquam voluerit: neque enim ius hæreditarium id est, sed nonnisi liberalissima quædam & quam maxime gratuita gratia. Tibi scilicet in oratione versanti cœlestis quædam derepente oborietur lux & radius, quo illustratus, magni facere mox incipies, quod ante non intelligebas. Hoc est donum orationis. Quoties antea ipsam vsurpasti, nec rem hanc aduertisti, vti eam modo aduertis? Vocatur autem id *Spiritus intelligentiæ*: quia reuera non videtur esse aliud, quam simplex & nuda quædam apprehensio; adeo scilicet homo per lucem hanc quietatur, & serene tranquillatur. Sicut contingit interdum in hoc mundo, vt homo dum in imaginem quandam perfectam, & omnibus numeris absolutam oculis incidit, eamque diutius visu fixo & irretorto, ac sine vllo mentis discursu, sed magna quadam delectatione, suspensione, & admiratione contemplatur: ea inspicienda satiari nequeat: ita in alta ac sublimi hac oratione & contemplatione fieri certum est: aut potius dicendum, non aliam Beatorum in cœlo orationem videri, dum Deum contemplantur. Beatitudo siquidem in sola visione & contemplatione Dei consistit; in cœlo enim absorpti & immersi erimus, Deum & videndo & continenter amando, idque simplici quadam maiestatis illius diuinæ visione, eius præsentia & gloria fruentes, sine vllo prorsus mentis discursu, ac tædio vel defatigatione, quæ tandem ex vnius eiusdem rei conspectu nasci solet; quinimo canticum illud ac diuinum illud manna semper nobis *nouum* videbitur, atque adeo noua semper & recenti admiratione perfundemur.

Eccles. 39. 8.

Spiritus intelligentiæ.

Canticum nouum.

Hoc ergo modo perfecta & alta illa oratio, quam contemplationem vocant, hic in terris habetur, quando scilicet illam Dominus dare dignatur; quod, cui ea obtigit, nunquam Deum intuendo vel contemplando satietur, idque

sine

sine vllo discursu aut defatigatione, sed simplici duntaxat intuitu. Addit, *Replebit illum.* Hæc namque gratia tam abundans & copiosa est, vt redundet, nec tam angusto queat vase contineri. Vnde etiam subiungit quod hic consequitur, *Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino.* Vnde statim succedunt colloquia. Hoc namque tempus proprium est ad cum Deo loquendum, quando videlicet anima à cœlesti illa luce & sapientia iam mota, edocta & subleuata est. Atque hoc B. P. N. tempus esse ait ad colloquia facienda peroportunum *Occurrente*, inquit, *nobis spirituali motu ad colloquia veniamus.* Quod inprimis notandum est: postquam scilicet ipsi potentiarum nostrarum discursum adhibuimus meditando & considerando, & iam æstu suo meditatio cor inflammauit, & aliquo iam nos impelli mouerique sentimus, tunc commodum colloquiorum, familiarioris cum Deo tractationis, petitionum, & gratiarum concedendarum tempus est: oratio namque è corde, quod iam à Deo motum est, procedens, ab eo solet exaudiri, & apud Maiestatem eius gratiam inuenit. Nam, vt ait Augustinus, quando hominem Deus ad quid postulandum mouet, signum est dare eum velle quod petitur. Hæc est oratio specialis, quam Dominus dat cuicumque voluerit: *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Si, inquam Dominus, qui magnus & potens est, voluerit, facile sublimem hunc & eminentem orationis modum habere possumus.

Eccles. 39. 8.

Spiritus intelligentiæ.

Lib. exercit. spirit. in repetit. 1. & 2. Exercitii 1. hebdomad.

Lib de verb. Dom. serm. 5. & 29.

Si vero ad tam excellens orationis genus nos euehere Domino non placuerit, non propterea, inquit Bernardus, dolere, contristari, aut animum despondere debemus, sed sufficere nobis virtutum exercitium debet, & quod nos Deus in sua gratia conseruet, neu in peccatum sinat prolabi. *Vtinam*, inquit, *detur mihi pax, bonitas, gaudium in spiritu sancto, misereri in hilaritate, tribuere in simplicitate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, & his contentus ero, Cætera* (contemplationes inquam istas sublimes) *Apostolis virisque Apostolicis relinquo, Montes excelsi ceruis, petra refugium erinaceis.* Alti illi contemplationis montes in vsum sint illorum, qui quadam ceruorum ac damarum velocitate, ad perfectionem euolant: ego, qui nonnisi eruens sum, imperfectionum ac peccatorum spinis & aculeis vndeundique plenus, ad illius foramina petræ, quæ est Christus, confugiam, vt me intra sacra eius vulnera abscondam, culpasque ac delicta mea sanguine inde prorumpente abluam, atque hæc mea futura oratio est. Si ergo S. Bernardo vnicum virtutum exercitium, ac dolor contritioque de peccatis sufficiat, & aliam illam orationem excellentem viris Apostolicis, aliisque illustribus sanctis, quibus eam Dominus conferre dignabitur, relinquat; æquum erit vt & nobis ea satis sint, & nostrum in oratione exercitium sit, de peccatis dolere & erubescere, passiones nostras mortificare. vitia ac malas inclinationes & habitus euellere, omnes denique quæcunque in via virtutis nobis occurrere possunt repugnantias ac difficultates expugnare studere; de specialissima vero illa & sublimi oratione nihil solliciti simus, sed exspectemus donec, ad eam nos Dominus subuehere sustollere voluerit, quin etiam tum, cum ad eam vocati videbimur, valde circumspecte & caute nos geramus oportet, quod multis id expositum esse soleat fraudibus & illusionibus. Credit siquidem subinde homo, ad hoc se orationis genus à Deo vocari, quod nescio quam in amoris Dei exercitio dulcedinem, suauitatem, & felicitatem experiatur: adeo vt huc ipse diuinitus non vocetur, sed se sponte ingerat & intrudat. Nam illudit ei satan & caliginem offundit, vt deserat scilicet & omittat ea quæ sibi necessa-

Serm. 47. in Cantic.

Psal. 103. 18.

Virtutum studium vitiorum fuga orationis nostræ sint materia.

necessaria sunt, & tandem nihili faciat, nec in vno, nec in altero proficiat. Nam, (vt apposite peritissimus quidam rerum spiritualium Magister ostendit) quemadmodum insignis temeritas & impudentia foret, si Regis mensæ, sine eius iussu & permissu assideret is, cui expresse Rex imperasset vt ad eam staret, sibique sedenti ministraret: ita parum reuerenter decenterque facit is, qui dulcis contemplationis otio totus vacare cupit, euidenter tamen ad eam ab ipso Deo non vocatus. Quare prudens quoddam hac in re consilium suggerit S. Bonauentura, monetque in eo se hominem exercere debere, quod securum & vtile est, in vitiorum scilicet & prauorum habituum suorum eradicatione, verarumque virtutum in animum insitione: hoc namque iter & planissimum & tutissimum est, & in quo nulla subest fraus, impostura nulla, imo vero quo mortificationi, humiliationi, & resignationi accuratius ac studiosius incubuerit, eo Deo futurus est gratior, plusque apud eum meriturus. At in aliis illis modis excellentibus & extraordinariis, multæ, ait idem Bonauentura, dæmonis latere solent illusiones & imposturæ. Sæpe namque quis putat à Deo proficisci, quod ab eo non prouenit, & multum & magnum esse id, quod vix aliquid & nihil est: quocirca extraordinaria sunt per ordinaria examinanda, non hæc per illa. Atque hæc communis Sanctorum Patrum doctrina est, vti iam iam ostensuri sumus.

Lud. Blos. in specul. spirituali. c. 11.

De process. Relig. c. 20.

Contemplatio periculosa. Meditatio tuta.

Capvt VI.

Doctrina superior amplius declaratur.

Ad maiorem doctrinæ huius confirmationem & declarationem, notant hoc loco sancti Patres, ac rerum spiritualium magistri, vt ad altam illam, de qua ante egimus, orationem & contemplationem perueniamus, magna multaque passionum nostrarum mortificatione opus esse, & solidum ante virtutum moralium, frequenti diuturniorique illarum exercitio, fundamentum iaciendum: quod nisi fiat, frustra nos & irrito conatu ad contemplationem velle ascendere, aut eam exercere. *Oportet,* inquiunt, *vt prius sis Iacob luctans, quam Israel Deum videns, ac dicens, Vidi Deum facie ad faciem:* ante, inquam, passiones & prauos appetitus edomes, quam ad intimam illam cum Deo vnionem peruenias. Vnde Ludouicus Blosius, eum qui ad excellentem quendam diuini amoris gradum gestit pertingere; sua tamen vitia serio corrigere & mortificare, & inordinatum erga creaturas amorem eradicare non procurat, similem esse ait homini, qui plumbo ferroque onustus, & manus pedesque vinctus, in sublimem cupit arborem ascendere. Quocirca spiritus institutoribus ac magistris præscribunt, vt ante, quam eis, quos in spiritualibus erudiendos suscepere, hanc contemplationis doctrinam proponant, cunctas inordinatas passiones mortificare, & virtutum è contra habitus acquirere, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, huicque exercitio sedulo doceant insistere. Hoc ipsi vocant vitam actiuam, quæ contemplatiuam anteeat oportet. Hac de causa, non pauci qui hac via non processerunt, sed sine certo ordine ad contemplationem peruenire voluerunt, postquam iam multis annis orationi vacassent, omni se virtute vacuos, impatientes, iracundos, superbos esse comperiunt, adeo vt, dum vel minima horum vitiorum sese offert occasio, quam primum stomachabundi in verba indignationem & impatientiã testantia prorumpant: vnde colligere est, quam parum adhuc perfecti & mortificati sint. Præclare id R.P.N. Generalis, Euerhardus, Mercurianus, quadã in epistola, quã hac de re scripsit, his verbis ostendit: Multi defectu discretionis potius, quam desiderio profectus,

Gregor. lib. 7. Moral. c. 27. Bernard. serm. 46. in Cant.

Isidor. lib. 3. c. 15. D. Tho. 2. 2. q. 182. a. 3. & Caiet. ibid.

Vita actiua prior est contemplatiua.

Indiscreti contemplantes sæpe vitiosi.

fectus, aliud quoddam orationis exercitium esse inaudientes, communi multo subtilius, amoris Dei inquam, & actiuum anagogicorum, & silentii nescio cuius; ante tempus ad vnitiuæ viæ exercitium ascendere voluerunt, quod nimirum illud & magis heroicum, & perfectius esse, ac facilius multo & suauius per illud tam vitia expugnari, quam virtutes acquiri intelligerent. Et quoniam ante tempus oportunum huic se applicare voluerunt, & multum temporis perdiderunt, & parum profecerunt, ac annis plurimis etiam transactis, passiones suas adeo vegetas habent affectiones adhuc ita indomitas, commoditatesque suas non minus sectantur, tamquam si nullum hactenus cum Deo habuissent commercium: tam quoque adhuc viuit in ipsis propria voluntas, tam difficulter denique iudicium suum subiiciunt, quando Superiores iis quod non allubet, aut voluntati propriæ displicet, iniungere volunt, quasi eo primum die ad Religionem venissent. Rei huius illa vnica causa est, quod volare voluerint antequam haberent alas, & trans viam velut saltu fieri, eamque compendiosiorem facere, non autem eo quo par erat passu procedere, nec ante se mortificationi, virtutumque exercitio dediderunt; itaque sine fundamento bonum construere ædificium non potuerunt, sed super arenam fabricarunt, ac proinde in medio cursu deficiunt. Hæc ille.

Mortificatio præcedat Cõtemplationẽ.

Vt autem appareat quam vera & communis generalisque sit hæc doctrina, in eo communiter omnes sancti Patres conueniunt, dum tres illas partes vel modos orandi, secundum tres vias, quas vocant, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam constituunt (quam doctrinam Sanctus Dionysius Areopagita tradidit, atque ex eo post Nazianzenus, atque adeo omnes quotquot de rebus spiritualibus scripserunt, hausere) in hoc inquam conueniunt, esse nobis ante, quam ad orationem illam tam altam & excellentem adspiremus, ea quæ ad purgatiuam & illuminatiuam viam spectant, sectanda: Ante scilicet dolorem & contritionem de peccatis excitandam, vitia prauasque inclinationes edomandas, verasque virtutes ad exemplum Christi, in quo illæ eminenter resplendent, comparandas: si enim vlterius, his non præmissis, vellemus pergere, sine fundamento id esset construere, ac semper proinde imperfecti claudicaremus: perinde ac si studiosus ad superiores & doctiorum classes admitti vellet, nondum cognitis iis quæ in inferioribus traduntur, & ad vltimum scalæ gradum ascendere, vixdum primo transcenso.

Ordinate in vita spirituali procedendum.

CAPVT VII.

De oratione mentali ordinaria.

SEPOSITA itaque oratione specialissima & extraordinaria, cum quid sit, & quæ eius habendæ ratio, nec docere nec tradere possimus, nec in nostra sit potestate ad eam pertingere, nec eam etiam nobis Deus præscribat, nec denique de illa à nobis rationem exacturus sit; in præsens de oratione mentali ordinaria & communi, quæ aliquo modo doceri, & laboribus, consiliis, & gratiæ diuinæ suppetiis comparari potest, agemus. Inter reliqua, quæ nobis in Societate beneficia contulit Deus, non postremum illud est, sed reliquorum facile summum, quod, quem orationis modum seruare debeamus, nobis sigillatim tradiderit, quod à Sede Apostolica is sit in libro Exercitiorum B. P. N. Ignatii approbatus; sicut videre est è Bulla eisdem præfixa, qua sanctissimus Dominus Paulus Papa tertius ea postquam serio matureque examinasset, approbat & confirmat, atque inprimis vtilia & salutaria esse asserit, omnesque Christi fideles, vt se in iisdem exerceant, cohortatur.

Hunc orandi modum Deus omnipotens Beato Patri Nostro communicauit, ipse nobis, & quidem eodem ordine, quo à Domino ante accepit. Quocirca confidamus oportet fore vt Deus hac nos via & modo, quem ipsemet præscripsit, adiuuet & dirigat, cum hoc ipso tam Beatum Patrem, quam socios eius, ac postea etiam alios plurimos lucrifecerit, in illo quoque ipsam Societatis firmam designationem atque institutum, vti ipsemet testatur, communicarit. Vnde non est necesse, vt alios extraordinarios orationis modos ac methodos inquiramus, sed eum quem illo loco habemus, vt bonos & obsequentes filios decet, seruare sedulo procuremus.

In trium potentiarum exercitio, quod omnium exercitiorum primum est, docet nos Beatus Pater quo sit in reliquis exercitiis modo oratio facienda: scilicet, in singulis punctis quæ meditaturi sumus, tres esse animæ nostræ potentias, memoriam, intellectum, ac voluntatem, exercendas. Primo namque per memoriam oculis intellectus obiiciendum est punctum vel mysterium quod meditando excutiendum est, ac deinde statim per intellectum discurrendum, meditandum, & consideranda illa quæ ad mouendam voluntatem magis oportuna videbuntur: postea vero voluntatis ipsius sequi affectus & motus debent. Tertium illud præcipuum est, & in quo sistendum, & quod maxime spectandum est.

Hic namque meditationis finis est, & fructus, quem ex omnibus intellectus considerationibus ac discursibus elicere oportet. Omnia porro hæc ad voluntatem: tum vt ad bonum aspiret, tũ vt malũ detestetur, excitandam spectant. Hac de causa exercitium hoc tuum est potentiarum cognominatum, quod ipsum primũ fit, in quo hic orationis modus nobis traditur; esto non minus in reliquis exercitiis sequentibus, quam in hoc tres potentiæ animæ exercendæ sunt.

Modus hic orandi, quem Beatus Pater Noster hoc loco nobis tradit, & Societas omnis vsurpat, non est singularis, nec inuentiones habet, quæ illusionibus obnoxiæ sint, vti habent alii, sed admodum communis est, & à priscis Patribus frequentatus, ac naturæ humanæ, quæ discursibus gaudet, & ratione vtitur & regitur, ratione item persuadetur, conuincitur, ac flectitur, accommodus, ac proinde facilior, securior & vtilior. Non ergo instar stupidorum & attonitorum in oratione esse debemus, nihil penitus facientes (ingens namque hoc error foret & illusio) sed in ea Deum, mediante patientiarum nostrarum exercitio, inuocare, & vna cum ipso cooperari; quia creaturarum ipse suarum cooperationem exigit. Atque hoc est, quod in suo Exercitiorum libro Beatus Pater nos docet. Reliqui autem orandi modi, in quibus discursus locum non habent, sed solæ negationes, & nescio quæ silentia, è mystica Theologia desumpta, communiter doceri nec debent, nec quæri, vti supra dicere memini. *Cap.4. & 5.* Vnde dum Nouitii & nuperi, qui passiones suas & exercitium virtutum vix tum perspectum habent, in particulares hosce modos incidunt, mille illusionibus & fraudibus diabolicis scatent; &, dum aliquid se credunt lucrifecisse & profecisse, passionibus adhuc pleni sunt tam indomitis quam ante, quę deinde per hanc orationis dulcedinem, escam & illicium velut consopitæ & quiescentes, postea cum magno animarum periculo excitantur & reuiuiscunt.

Iudicii durities oritur ex indiscreta oratione.

Accedit huc, quod è sigularibus & extraordinariis his orandi modis præfractæ quædam iudicii enascitur durities, quæ post fraudi & illusioni cuilibet viam sternit, quam proinde Beatus Pater Noster Ignatius summopere etiam tumebat, quod non raro eos, qui priuatos hosce modos sectarentur, huic obnoxios esse diceret. In quolibet ergo puncto, quod in oratione meditandum suscipietur, postquam memoria menti repræsentarit mysterium super quo discursum formare cupimus,

pimus ipsum erit intellectu excutiendũ, meditando, & super ipsum discurrendo, mox vero ipsi voluntatis affectus sequantur oportet. Adeo vt rem primo memoria proponat, deinde ipse discursus & meditatio intellectus sequi debeat: hoc namque fundamentum est, à quo omnes actus & exercitia, quæ in oratione facimus, nasci debent, vt quidquid demum in oratione fit, in virtute huius fiat. Rei huius ratio è Philosophicis principiis petita, clara est: voluntas enim nostra cæca quædam potentia est, quæ nullum quidem vestigium figere potest, quin intellectus præcedat. Commune siquidem Philosophorum axioma est, *Nihil volitũ quin præcognitum*, & nihil velle voluntas potest, quin id ante per intellectum transierit, qui ceu seruus tædifer est, face prælata voluntatem illuminans, conducens, & ostendens quid desiderare debeat, quid vero abhorrere. Quare bene acuteque Augustinus, *Inuisa diligi posse ait, incognita nequaquam.* Et æque eleganter Gregorius: *Nemo potest diligere quod prorsus ignorat*: obiectum namque voluntatis bonum est quod intellectu concipimus. Idcirco enim rem aliquam diligimus ac desideramus, quod illam vt bonam & amatu dignam apprehẽdimus; & vice versa ideo quid abhorremus ac fugimus, quod id malum & abominatione dignum imaginamur. Proinde si quando suam aliquem voluntatem ac propositum mutare volumus, rationibus allatis intellectum eius confutare & euincere conamur, ostendendo nimirum id quod agere proponit, nec bonum, nec conueniens esse; alterum vero & melius esse & expedire; vt sic vnum repudiet, alterum amplectatur. Adeo vt actus & discursus intellectus reliquorum, quos in oratione facimus, actuum & exercitiorum sit fundamentum. atque hanc ob rem adeo necessaria est meditatio, quod sequentibus capitibus pluribus sumus declaraturi.

Lib.10.de Trin c.1.
Hom.36.in Euang.

Capvt VIII.

De necessitate meditationis.

HVGO de sancto Victore perfectam esse posse orationem negat, nisi eam aut præcedat aut comitetur meditatio. Et est hæc doctrina Sancti Augustini, dicentis orationem sine meditatione tepidam esse, quod etiam egregie efficaciterque probat; nisi enim quis se in propria miseria infirmitateque cognoscenda & consideranda exerceat, illudetur, & sibi conuenientia in oratione petere nesciret, vti nec eo feruore quod petere par est. Hinc multi, quod seipsi non cognoscant, nec proprias culpas cõsiderent, valde errant illusi, & ea de se præsumunt, quæ minime presumerent, si seipsi perspectos haberent; ac proinde longe alia hi in oratione agunt & versant, quã ea quibus opus habent. Quamobrem si orandi artẽ, & ea quæ tibi conueniunt, à Deo petere nosse velis, tuis ante imperfectionibus & miseriis meditandis & considerandis incumbe, & hac via scies, quid tibi petendum sit; vbi vero magnam euidentemque necessitatem tuam plane perspectam habueris & intellexeris, tunc ipsum quam feruẽtissime, & eo quo oportet modo petes; ad exemplũ sc. pauperis mendici, qui omniũ egen⁹, haud difficulter nouit & intelligit quanta sua sit & necessitas & inopia.

Tract. de laude oration.

Sanctus Bernardus ostensurus non esse ad perfectionis apicem subito euolandum, sed paulatim ascendendum, ait, *Nemo repente fit summus, ascendendo, non volando apprehenditur summitas. Ascendamus igitur velut duobus pedibus, meditatione & oratione: meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit, obtinet: illa viam ostendit, illa deducit: meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus.* Hinc dixit Augustinus, *Intellectus cogitabundus est principium omnis boni.* Qui namq; considerat quã Deus bonus sit in se, quã misericordẽ se exhibuerit erga nos, quãtũ nos dilexerit,

Serm.1.de S. Andrea.

Meditatio Dei bonitatē & nostrām ostendit miseriam.

rit, quantum nostri causa cum egerit, tum passus sit, statim ad tam beneficum Dominum amandum incenditur: & qui culpas & miserias suas intuetur, sese humiliat & parui facit; & qui considerat quam tepide frigideque Deo seruierit, quam sæpe ac grauiter illum offenderit, qualibet se pæna & castigatione dignum sentit. Per meditationem itaque anima omnibus se virtutibus ditat & exornat.

Psal.1. *Psal.118.2.*

Hac de causa tam serio eam nobis Sacra Scriptura commendat: *Beatus*, inquit Psaltes, *vir, qui in lege Domini meditatur die ac nocte*: quia *erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Et, *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Illi namque sunt qui eum ex toto corde requirunt, & hoc causa est eius exquirendi.

Psal. 118.34. *Psalm.118,9.* *Io. Gerson.*

Ideo etiam hoc idem Propheta à Deo postulabat, ad legem eius custodiendam: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Et è contra dicit, *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea*, id est in meis angustiis & afflictionibus, vti id exponit Sanctus Hieronymus. Proinde vna de maximis, quas sancti meditationi & considerationi ascribunt laudibus, aut sane omnium maxima, est, quod ipsa magna omnium virtutum, vniuersorumque bonorum operum sit adiutrix, *soror lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniumque pariter perfectio & consummatrix existens*, ait Gerson.

Defectus meditationis omnium malorum causa. *Ierem.12.11.*

Vt vero vnum alterius contrarii consideratione & intuitu melius cognoscatur, dico vnam de præcipuis omnium quæ in mundo sunt malorum causis esse, quod ipsa desit consideratio, iuxta illam Prophetæ expostulationem, *Desolatione desolata est terra, quia nullus est qui recogitet corde.* Vnica, cur tanta sit quoad spiritualia in terra desolatio, quod tot tantaque in mundo peccata effusis habenis dominentur, causa est, quod vix vllus intra se ingrediatur vt ipsa Dei mysteria in corde suo recogitare & animo versare velit.

Matt.25.41. *Histor.ord. S. Dominici p.1. Lib.3.c.37.* *Cic.Tusc.5.* *Peccatores aut infideles aut stulti.*

Quis enim peccatum mortale committere audeat, cum cogitat Deum propter peccatum mortem oppetiisse, & tam graue malum ipsum esse, vt Deum necesse fuerit humanam carnem assumere, vt in toto rigore iustitiæ pro eo Patri faceret satis? Quis peccare ausus sit, cum recogitat Deum vel ob vnum peccatum lethale impios incendiis æternum duraturis adiudicare? Quis cogitans & expendens illa Domini verba, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*; illam inquam æternitatem, illud *in æternum*, & quod, quamdiu Deus erit Deus, tam diu in inferno ardere debebit, ob momentaneam voluptatem æterna præeligat tormenta? Dicebat Sanctus Thomas Aquinas vnum esse, quod penitus capere & intelligere non posset, quomodo scilicet quis in peccato mortali existens, secure ridere & voluptates captare possit: quod certo nouit se, si tum emoriatur, recta ad infernales carceres detrudendum, cum tamen sciat ne momentum quidem vitæ certum se habere. Purpuratus ille Siculus medias inter epulas, cantus musicos, & delectationes conuiuiales versabatur, quod tamen ceruici eius nudus immineret ensis, è laqueari de seta suspensus, toto corpore pauidus contremiscebat veritus ne is ad singula momenta delaberetur; vnde nihil illum poterat oblectare. Quid erit ergo, si cui non temporalis, sed æterna, quæ è tenui vitæ filo pendet, mors intentetur, quia aut derepente emori potest, aut sanus ac vegetus vesperi dormitum concedere, & mane apud inferos agere? Vnde vir quidam pius ad hoc propositum, duos sibi videri dicebat duntaxat carceres in Republica Christiana esse debere vnum sanctæ Inquisitionis, alterum stultorum. Aut credit, inquit, homo infernum qui semper ardeat, paratum esse peccanti, vel non credit: Si non credit ad san-

ad sanctæ Inquisitionis carcerem rapiatur, vt infidelis & hæreticus; si vero credit, & nihilominus in peccati mortalis statu perseuerare vult, fatuorum & dementium receptaculis includatur: quæ enim maior hac dari dementia ac vesania potest? Non dubito, quin, si quis hæc attente perpendat, fræni cuiusdam instar illi futura sint, quo à peccando retrahatur. Hanc ob causam omni dæmon conatu & studio hanc nobis meditationem & considerationem dissuadere contendit. Sicut Philistæi Sampsoni, quem iam vinctum habebant, oculos ante omnia eruerunt; ita & Diabolus peccatorem ante omnia exerceat, &, cum fidé illi dissuadere & eripere nequeat, hoc saltem procurat, vt ita credat, tanquam si non crederet (*vt videntes non videant, & audientes non audiant, neque intelligant.*) Procurat, inquam, vt non consideret id, quod credit, nec magis ipsum ad animum admittat, quam si plane non crederet; oculos scilicet illi occludit, quod vulpi huic eodem recidit. Nam sicut parum tibi prosit oculos aperire, si in tenebris agas, quia nihil penitus videbis; ita, inquit Augustinus, nihil prodest in luce versari, si oculos occlusos & obseratos habeas; quia nec tum quidquam videbis. Propterea ergo tanti momenti est meditatio & oratio mentalis, vt quæ oculos aperire facit.

Iudic.16.21.

Dæmon hostis meditationis.

Matth.13.13.

Capvt IX.

De magno quodam bono & fructu, quem è meditatione elicere debemus: & ideo eam faciendam esse, vt fructum ex ea aliquem capiamus.

Consvltvm & salutare inprimis est, vt, dum orationi insistimus, affectus & desideria voluntatis exerceamus: de qua re statim agemus; verum ante omnia requiritur, vt hi affectus ac desideria in ratione bene fundentur. Homo namque rationalis est, & ratione, & per viam intelligentiæ agi ducique gaudet. Vnus proinde de præcipuis, ad quos meditatio dirigenda & ordinanda est, scopus esse debet, vt eius adminiculo ab omni fraude & illusione liberemur, in veritatibus solide fundemur, & ad id, quod nobis conuenit & cõgruum est, vltro & gratanter nos applicemus. Atque hic vnus de primarijs debet esse fructibus, quos vt è meditatione colligamus, procurare debemus. Atq; ideo hocce punctũ inprimis notandum est, quod illud hac in materia permagni momenti ac facile primum sit. Initio autem danda homini opera, vt solidum virtutum omnigenarũ fundamentum ponat, & in ijsdem stabiliatur. Vt porro melius hoc ipsum è meditatione colligamus, ipsaq; singularem meditanti fructum adferat, non debet ea aut superficialiter & obiter, aut languide & tepide fieri, sed viuaciter, attente, cum vigore ac mentis tranquillitate. Vnde vitæ huius breuitas, rerum mundanarum fragilitas, inanitas ac vanitas, & quomodo in morte terminentur omnia, tractim & per quietis otium, tibi meditanda & considerande sunt, vt hoc pacto omnia terrena despiciendo, cor tuum ad cœlestia semperque duratura amanda penitus transferas.

Materia meditationis quæ.

Frequenter quoque eodem modo considerandum, animoq; versandum, quam hominum opinio & æstimatio, quæ tamen tantopere nos emouere solet, vana sit; cum nihil tibi hæc vel demat vel addat, neve deteriorem te, vel meliorem reddere queat, vt sic eam parui facere, & contemnere addiscas. Atque ita de reliquis. Hoc scilicet modo quis à fascino & impostura satanica liberatur, & ad ea, quæ conueniunt, facienda inducitur, & animum applicat, ac spiritualis redditur. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.* Supra seipsum scilicet se extollit, & generosa quadam, rerumque omnium mundanarum contemptrice mente assumpta, cum Apostolo ait: *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam:* id est, quæ

Thren.3.28.

Phil.3.8.

quæ ante vt lucrum & emolumentum arbitrabar, iam sapientior redditus, ad lucrifaciendum Christum vt detimentum ac stercus æstimo.

Magna est inter vnam meditationem & aliam, inter vnum cognoscēdi modum & alium differentia: aliter enim rem quampiam cognoscit doctus & sapiens, aliter simplex & idiota. Ille scilicet vere, & prout ipsa in se est, cognoscit; at hic superficialem & exteriorem tantum apparentiam. Si imperitus & rusticus quis pretiosam gemmam inueniat, eam solum ob exteriorem fulgorem & pulchritudinem concupiscit, & in pretio habet; at prudens gemmarius, non tam ob eximium splendorem & gratiam, quam quod eiusdem valorem pretiumq; perspectum habeat, eam desiderat & æstimat. Pari modo inter se differunt, is qui diuina mysteria & res spirituales debito modo meditari & considerare nouit, & is qui earum prorsus ignarus est: quod hic illas superficialiter, & velut in extima facie considerет, vti, quamuis ipsi, ob decus & splendorem, quem in ipsis notat, eximiæ & congruæ videantur, ipsas tamen aut plane non, aut frigide saltem, concupiscat; at qui illas debite meditari, & pro dignitate nouit expendere, minime decipitur, nec errat, & totus ijsdem inhiat; nam quod absconditi thesauri, & margaritæ pretiosæ, quam inuenit, valorem optime perspectum habeat præ illo omnia reliqua parui facit, quinimo contemnit & Matt. 13.46. proterit. *Abijt & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

Matth 9.20. Marc. 5.25. Luc. 8.43. Discrimen hoc in Euangelio nobis declarauit ipsemet Redemptor Iesus, sub inuolucris & symbolo historiæ de muliere illa sanguinis fluxum patiente. Cum enim Redemptor ad curandam, aut potius à mortuis reuocandam Archisynagogi filiam, plurimis illum turbis comitantib. abiret; mulier quædā, quæ duodecim ipsis annis fluxum sanguinis passa erat, & omnem in medicos irrito euentu, quin potius magno valetudinis detrimēto, substantiā profuderat, eo viso, ardenti quodam sanitatis recuperandæ acta desiderio, per confertam hominum multitudinem perrumpit, & magna concepta fide ac spe, dicit intra se: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Venit ergo, & tangit, & statim sanguinis illud profluuium stetit. Conuertens ilico se Christus ad turbas, petit: *Quis me tetigit?* Tum Petrus & reliqui discipuli, *Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, Quis me tetigit?* Scio quidem id, inquit Dominus; nec hoc volo: sed *tetigit me aliquis*, non quidem eo modo, quo reliqui, qui me hinc inde comprimunt, sed modo quodam particulari: *nam & ego noui virtutem de me exisse.* Hoc scilicet volebat, hoc est Christum tangere, & hoc denique interrogat: quia alius ille tactus rudior, quo eum vulgus & reliqua turba tangit, paruifaciendus est. In hoc ergo totum meditationis negotium versatur, vt ita nimirum Christum eiusque mysteria tangamus, vt eorum in nobis vim, virtutem, & fructum sentiamus. Ad hoc permagni refert, vt magna cum attentione in meditatione versemur, tractim & non præcipitanter mysteria singula ruminando, & minutim enucleando. Quod enim non masticatur, nec amaricat, nec sapit; ideo namque & infirmus pilulam integram deglutit, ne illius amaritudinem gustet. Pari modo ideo peccatum, mors, iudicium, infernus peccatori amara non videntur, quod ea minutim non masticet, sed integra degluttiat, rudi & crasso modo, ac velut in fasce compacta accipiendo considerandoque. Ideo quippe mysterium incarnationis, passionis, resurrectionis, ac reliquorum Dei beneficiorum nullum tibi gustum ac saporem continere videntur, quia ea minutim non expendis, non ruminas, nec eo quo debes modo excutis. Itaque hoc sinapis & piperis granum mastica & comminue, ac videbis, quomodo paulatim aduret, & lachrymas oculis tuis excutiet.

***

CAPVT

CAPVT X.

Alia adferuntur bona & commoda, quæ in meditatione includuntur.

ALIVD quoque, & quidem non parui momenti, bonum & fructum in meditatione comprehendi, docet S. Thom. veram nimirum deuotionem, quæ in vita spirituali tam necessaria est, & tam ab ijs, qui in eadem ambulant, desideratur. Deuotio porro nihil est aliud, quam quædam voluntatis ad omne bonum promptitudo & dispositio: vnde & vir deuotus appellandus est is, qui ad omne bonum promptus & dispositus est. Est & hæc doctrina omnium Sanctorum communis. Addit deinde S. Thomas, duas huius deuotionis causas esse, vnam extrinsecam & principalem Deum, inquam; alteram intrinsecam à parte nostra, ipsam scilicet meditationem. Hæc namque voluntatis ad ea, quæ virtutis sunt, promptitudo, ex ipsa intellectus consideratione ac meditatione nascitur: eo quod hæc, post Dei gratiam, suum in corde nostro ignem excitet & accendat. Vnde vera deuotio & feruor spiritus non in dulcedine & gustu sensibili, quem nonnulli in oratione percipiunt & sentiunt, sed in voluntatis ad omnia, quæ Dei cultum spectant, promptitudine & dispositione consistit. Atque hæc deuotio permanens & durabilis est, alia vero illa statim pertransit & euanescit: quia aliud non est, quam quidam deuotionis sensibilis, è subito quodam, quo quis erga rem quampiam appetibilem & amabilem fertur, desiderio prognatæ affectus: sæpe quoque ex ipsa complexione naturali prouenit, quod quis videlicet mitis mollisque sit indolis ac complexionis, & cor tenerum habeat, quod statim ad pathos & affectus & lachrymas emouetur, quæ deuotio mox cessarit, ipsa quoque bona cessant proposita. Est hæc namque nonnisi tener quidam amor, in sensibilibus gustibus & consolationibus fundatus: quia quamdiu hic gustus & deuotio durat, tamdiu homo deuotus & accuratus erit, ac silentij amicus ac recollectionis; cum vero deficit, deficiunt & hæc. At qui in veritate, per continuum meditandi considerandique exercitium, fundati sunt, & per rationem ipsam plane conuicti, & à fraude omni & illusione liberi; hi in virtute durant & perseuerant: qui, quamuis deficiant consolationes & sapidi illi gustus, ijdem manent, qui erant ante, quia manet causa, ob quam tales erant, ipsa scilicet ratio, quæ eos conuicit & emouit. Ille demum fortis & masculus amor est, & ex hoc solo veri Dei serui, quique fructum aliquem fecere, agnoscentur, non autem ex gustibus & consolationib. Passiones nostræ vulgo comparari solent catellis latrantibus, & rictum aperientibus, vt aliquid consolationis accipiant, quibus si suum singulis Deus frustum obijciat, conquiescunt, & latrare desinunt; at pane illo consolationis deuorato, rursum singulæ latrare incipiunt. Ac tum demum apparet, quid vnusquisque sit.

Deuotio est promptitudo ad omne bonum.

Acquiritur meditatione.

Deuotio solida est permanens.

Deuotio sensibilis perit.

Ratio sequenda, non consolatio.

Passiones appetunt consolationes.

Gustus & consolationes bonis mobilibus etiam assimilantur, vt quæ statim consumuntur; solidæ vero virtutes, immobilibus & radicatis, quæ durant & perseuerant, ac proinde etiam maioris sunt pretij.

Consolatio bonum mobile, deuotio immobile.

Inde fit (quod & non raro experimur, & consideratione dignum est) vt nonnulli, qui magnis in oratione consolationibus perfundũtur, postea, vbi tentationes & conflictus ingruunt, deficiant, atq; adeo etiam fatiscentes succumbãt; alij vero vice versa qui magnã in oratione ariditatem semper sentiunt, & quid sit cõsolatio & gustus, plane nesciunt, in tentationibus tamen superandis viriles, & à lapsu sint quam remotissimi. Cuius rei non alia causa est, quam illa, de qua hic ago, quod scilicet illi nonnisi gustibus sensibilibus niterentur; hi vero in oratione solide fundentur, minime decipiantur, à veritate se conuinci patiantur, & in ea stabi-

stabiliantur, atque hinc in eo constantes perseuerent ac maneant, quod semel persuasi sunt, & mente amplexi. Vnde etiam vnum (& est id inprimis salutare) de medijs, quæ dari solent ad in bonis præpositis, quæ in oratione quis concepit, perseuerandum, eaq; opere exequenda, est, vt idem motiuum & rationẽ, quoad bonum hoc propositũ & desideriũ concipiẽdum permotus est, conseruare studeat: quod enim tunc emouit ad desiderandum, etiam postea eum ad idem conseruandum, & opere exequendum adiuuabit.

Propositum exequere, si eius motiuum contines.

Latet & aliud hac in re bonum, scilicet quod, quando quis hoc pacto se in oratione ab illusionibus liberari satagit, & conuinci sinit, etsi forte postea sigillatim medij ac motiui, quo tunc permotus est, non recordetur, in huius tamen illusionum carentiæ & resolutionis, quam in ea concepit, virtute, à veritate & ratione ipsa iam conuictus, firmus, & ad tentationi postea resistendum, & in virtute perseuerandum fortis & inuictus persistat.

Hanc etiam ob causam Gerson tanti meditationem facit: nam rogatus, Religiosone in celsa manenti vtilior & fructuosior foret lectio, an oratio vocalis, an opus aliquod manuale, an demum meditatio? Respondit, omnium, salua semper obedientia, quæ semper præponderet ac præualeat oportet, optimum fore *meditationi* vacare. Atque hanc dedit rationem. Nam esto, inquit, ex oratione vocali & spirituali lectione maiorem quis forte in præsens deuotionem & fructum sentiat, quam è meditatione; mox tamen cum librum de manibus deponit, vel orare vocaliter desinit, hæc deuotio perit & euanescit: at meditatio etiam in futurum hominem iuuat & disponit. Vnde etiam ait, necesse esse, vt nos meditationi habendæ assuescamus, vt, etsi & sonus desit verborum, & libri legendi ad manum non adsint, ipsa meditatio noster sit liber, itaque vera non desit deuotio.

p. 2. Alphab. 34. lit. M. & de sollicit. Eccles. part. 41. Alphab. 37. lit. A.

Meditatio vtilissima occupatio cuius fructus permanet.

***

CAPVT XI.

Quis modus in oratione seruandus, & quis ex eadem colligendus sit fructus, ostenditur.

CONCALVIT *cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* His Psalmographus verbis declarat, ecquæ in oratione seruanda sit ratio, prout etiam multi Doctores & Sancti hunc locum exponunt: qui omnes per ignem hunc, charitatis & amoris, tum erga Deum, tum erga proximum, ignem volunt significari, vt qui per cœlestium meditationem in Regij huius Vatis corde æstuabat & ardebat: *Concaluit*, inquit, *cor meum*, & introrsum æstuauit. Hic scilicet vnicus orationis effectus est. Quomodo autem & vnde hunc ipse ardorem concepit? Quomodo hic in corde eius ignis exarsit? Per meditationem. *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Hæc nempe medium & instrumentum est ad ignem hunc inflammandum. Adeo vt meditari, inquit Cyryllus Alexandrinus, sit velut silicem igniarium percutere, vt ardentes inde scintillæ promicent. Ergo per discursum & meditationem intellectus durus ille cordis tui silex percutiendus est, donec in amore Dei, in humilitatis, mortificationis, ac reliquarum omnium virtutum desiderio inflammescat, nec ante tibi desistendum, quam ignem hunc tum elicias, tum accendas.

Psal. 38. 4.

Hieronym. Ambros. Greg. lib. 23. Moral. c. 5. Glossa interim & alij.

Meditatio accendit ignẽ amoris.

Licet vero meditatio summe bona sit & necessaria, non tamen tota oratio in discursibus & considerationibus intellectus versari debet, nec in illis nobis sistẽdum: hoc namque studere potius esset, quam orare, sed omnes quas habebimus meditationes & considerationes, nonnisi ceu medium quoddã adhibendæ sunt ad virtutum affectus & desideria in corde excitanda & inflammanda. neq; enim vitæ Christianæ & religiosę bonitas ac sanctitas in bonis cogitationibus, & sola rerum sancta-

Meditatio ad voluntatem referenda.

sanctarum intelligentia, sed in solidis ac veris virtutibus consistit, ac præsertim in earundem actibus & operationibus, in quibus, vt ait S. Thomas, vltima ac summa virtutis sita perfectio est. Ac proinde rei huic maxime, dum orationem instituimus, & insistendum & studendum.

1.2.q.3.ar.2.

Hoc vt primum, in materia hac, principium tenendum est: vnde etiam vetus quidam Philosophus (vt citat Gerson) sic ait: *Inquirimus quid sit virtus, non vt sciamus, sed vt boni efficiamur.* Etsi acus sit in suendo necessaria, non ipsa tamen consuit, sed filum; proinde stultus & fatuus foret sartor is, qui die toto acum induceret & educeret è panno, filum tamen ei non inderet: operam namque is luderet, & in vanum laboraret. Hoc porro faciunt, qui in oratione non aliud agunt, quam mente discurrere & meditari, de amore ne hilum laborant. Meditatio instar acus sit oportet, quæ primo quidem ingreditur, sed ita, vt post ipsam etiam amoris & affectus voluntatis, qua Deo vnire nos & copulare debemus, filum ingrediatur.

Super Magnificat, Alphabet. 56. lit D.

Meditatio acus: Charitas filum.

Singillatim hoc nos monet B. N. P. in libro Exercitiorum, quin & sæpius ipsum inculcat; punctis enim, quæ meditanda sunt, breuiter per aliquas cõsiderationes indicatis, ait statim: *Omnia mihi applicanda sunt, vt aliquem inde fructum capiam.* In eo scilicet orationis consistit fructus, vt quis id, quod meditatur, sibi applicare, & ad se & ad propriam vtilitatem, prout sibi necesse fuerit, referre norit. Vnde bene S. Bernard. Sicut sol omnibus quidẽ lucet, sed non omnes indiscriminatim illuminat; ita scientia & meditatio, etsi quid faciendum sit, cunctos edoceat, nõ omnes tamen mouet & concitat ad faciendum, quod docet. Et aliud est, multas diuitias nosse, & aliud, eas possidere: & hominem diuitẽ facit nõ tam multas diuitias nosse, quam eas reipsa possidere. Sic diuersum quid est, nosse Deum, & timere & amare Deum: & sæpe hominem vere sapientem, doctum & diuitem non facit, multa de Deo nosse, sed eum timere & amare.

Serm. 23. in Cant.

Nosse Deum non sufficit, nisi & ames.

Affertur & alia huic rei explicandæ comparatio. Sicut, inquiunt, famelico parum profuerit, mensæ omnigenis exquisitissimisq; epulis instructæ assidere, si de ijs non comedat: Sic orantem parum iuuerit, opiparam & multis insignibus considerationibus abundantem mensam ante se habere, si ex ijs non comedat, eas sibi per voluntatem applicando, vt aliquem ex ijs fructum capiat.

Quid mihi diuitiæ, si non conceditur vti.

Descendo iam ad magis particularia, & dico, affectus & sancta quędam desideria, è meditatione & oratione nobis esse colligenda, primo interius in corde ea efformando ac concipiendo, vt postea suo tempore in opus prodeant. Vnde apposite S. Ambros. *Meditationis*, ait, *præceptorum cœlestium intentio vel finis operatio est.* Sic sancta illa & prodigiosa animalia, quę vidit Ezechiel, inter alia prodigia *manus hominis* habebant *sub pennis*; vt hinc discamus, ipsum intellectus volatum & discursum ad operationẽ ferri debere. Eliciendi ergo ex oratione sunt affectus & desideria humilitatis, quibus scilicet & ipsi nos despiciamus, & ab alijs despici gaudeamus: adhæc desideria, pœnas, afflictiones & dolores pro nomine Dei tolerãdi, & gaudere ijs, quos in pſens habemus: Affectus quoq; paupertatis spiritus, volendo vt omniũ vilissima, quæ domi sunt, nobis cedant, & aliquid ẽt in rebus necessarijs desit. Dolor item & contritio de peccatis, & firma ante disrumpi cupiendi, quã peccare, proposita. Gratitudo ẽt ob accepta beneficia, veraq; & integra in manus Dei resignatio; desiderium deniq; Christi Iesu Domini nostri ac Redemptoris, in omnibus, quæ in ipso resplendent, virtutibus imitandi. Atque huc omnis nostra referri ac spectare debet meditatio; hic quoque fructus est ex ea nobis eliciendus.

In Psal. 118. in octon. 6.

Ezech. 1. 8.

Meditationis finis est operatio.

Affectus varij è meditatione eliciendi.

Vnde sequitur, cũ meditatio & discursus intellectus vsurpetur ceu medium quoddam & motiuum ad voluntatem ad hosce affectus emouendam, & ille sit totius huius negotij finis; in tantum meditationẽ & intellectus discursum adhibẽdum, in quantũ ad hoc necessariũ erit, &

 non

Meditatio cedat affectibus. non aliter. media siquidem fini proportionari & commetiri debet. Proinde cum iam voluntatem ad aliquam virtutem, puta dolorem de peccatis, mundi cōtemptum, amorem Dei, pro ipso patiendi desiderium, aliumve similem affectum concitatam motamq; senserimus; ipsum discursus filiū statim abrumpendū (imitādo videlicet fabros cœmētarios, qui laqueari domorū aut pontiū per se iam solidato, lignea sustentacula omnia submouere solent) & in illo affectu ac desiderio voluntatis tamdiu insistendum, quoad nobis satisfecerimus, ipsumque animæ nostræ profunde impresserimus. *Voluntatis affectibus insistendum.* Est hoc magni momenti documentū quod etiam nobis B.N.P. in Exercitiorum libell. præscribit, *Addit. 4.* ait quippe, vt in eo puncto, in quo deuotionem & sensum quem volumus, sentiemus, maneamus & sistamus, nec ad alia puncta transire anxie laboremus, donec primo eo satiemur, & expleamur.

Simile. Et sicut hortulanus, dum aliquam horti areolam irrigat, mox vt aqua per eam currere incipit, ipsius cursum sistit, eamq; in aridæ telluris sinum leniter penetrare ac descendere sinit, & antequam plane humectata ac satur fuerit, vlterius non pergit. Pari modo, cum boni affectus & desiderij aqua iam per animam nostram, quæ ceu sitibunda & arens quædam terra est, vt ait Propheta (*anima mea sicut terra sine aqua tibi*) currere incipit, omnem discursus impetum abrumpamus, & illa irrigatione & voluntatis affectu, quoad poterimus, contenti simus oportet, donec in cor plane ea penetret & descendat, & ipsi eadem satiemur.

Aliam quoq; ad hoc declarandum, similitudinē, nec minus appositam, adfert Chrysost. Vidistine, inquit, vnquā, quomodo agniculus gestiens vbera materna sugere, eadem iam primum arrepta, huc illucq; distrahat, vt modo quidē ori inserat, modo rursus dimittat, sed statim vt emanantis lactis gustare dulcedinem incipit, fixus loco maneat, & cum quiete id exsugat? Sic se res habet omnino in oratione; antequam enim cœlestis ille ros in animam descendat, homo huc illucque discursat, sed illo iam delapso, quiescamus, illaque suauitate & dulcedine in quiete perfruamur oportet.

Capvt XII.

Quanti referat voluntatis actibus & affectibus iam excitatis insistere & immorari.

Maximi sane refert, in actibus & affectibus voluntatis conquiescere & immorari: quos etiam sancti & vitæ spiritualis Magistri omnes tanti faciunt, vt in eo bonā perfectamq; orationē, quin & ipsam quam vocant contemplationem, asserant consistere; quando nimirum homo per meditationem iam nō tam amoris spectat vel consectatur incentiua, quā amore iam inuēto & optato fruitur, & in intentionis ac desiderij sui termino conquiescit, dicēdo cum sponsa in Canticis: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam:* *Cant. 3. 4.* atq; hoc est, quod ibidem eadem sponsa ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat;* *Cant. 5. 2.* quod in perfecta oratione intellectus quodammodo consopitus dormiat, discursu scil. & speculatione intermissa, & volūtas vigilet, & in spōsi sui amore quodammodo colliquescat. Tam vero sponso suæ sponsæ somnus placet, vt eam ante somno excitari vetet, quam ipsa expergisci velit; *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas ceruosq; camporū, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectā, donec ipsa velit.* *Cant. 3. 5.* Adeo meditatio, & reliquæ, quas orationis assignant partes, ad hanc cōtemplationem dirigantur & ordinentur, ac velut gradus quidam sint, quibus ad eam ascendatur. Vnde Augustin. ait: *Lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat,* *Lib. de scala paradisi. Lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat.* & fruitur eo, quod ante inquisiuit, postulauit, & inuenit. Et huius occasione adducit illud Euangelij: *Quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis.* & addit: *Quærite legendo, inuenietis meditando, pulsate orando, & aperietur vobis contemplando.* *Matth. 7.*

plando. Vnde sancti Patres, vt refert Albertus Magnus, hoc esse docent inter fidelium Catholicorum & Gentilium Philosophorum contemplationẽ discrimen, quod omnis Philosophorũ cõtemplatio aliud non spectet, quam vt ipsa veritatum cognitarum cognitione intellectus perficiatur, ac proinde in solo intellectu sistat; eius namque scopus & finis est quotidie plura & plura scire & nosse: Catholicorum vero ac sanctorum contemplatio, de qua in præsentiarum agimus, in intellectu solo non quiescat, sed vlterius ad voluntatem excitandam, delectandam, & amore diuino inflammandam incendendamque fertur, iuxta illud Sponsæ: *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.* Singillatim porro id notauit sanctus Thomas, de contemplatione quippe loquens, ait, quamuis cõtemplatio essentialiter in intellectu sita sit, vltimam tamen eius perfectionem in amore, & voluntatis affectu consistere: adeo vt primarium contemplationis nostrę intentum & finis voluntatis esse debeat affectus & amor Dei.

Gentiles intellectũ, Sancti voluntatem pascunt.

Cant. 5. 6.

2. 2. q. 11. act. art. 7.

Hoc, ait Augustinus, modo nos orare docuit Redemptor noster Iesus, cum dixit: *Orantes autem nolite multum loqui.* Vnde addit sanctus Augustinus: *Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus; absit ab oratione multa loquutio, sed non desit multa precatio.* aliud, inquam, est multa intellectu agitare ac discurrere, aliud amori & affectibus voluntatis excitandis accurate insistere. Primum in oratione serio fugiamus oportet; hoc namque multiloquium est: at hoc negotium orationis, dicit Augustinus, non multiloquio & inani verbositate peragitur. neque enim cum Deo in oratione rhetorice, non magna discursuum copia, non cogitationum aut argumentorum subtilitate, sed lachrymis, gemitibus, suspirijs, & desiderijs est cordialibus agendum; secundum illud Ieremiæ Prophetæ: *Neque taceat pupilla oculi tui.* Quęrit super ea verba Hieronymus, cur & quomodo Propheta dixerit: *Non taceat pupilla oculi tui.*

Lib. de orando Deum, c. 10: quæ est ep. 121. ad Prob. Matth. 6. 7.

Multiloquiũ orationis vitandum est nimius discursus intellectus.

Tren. 2. 18.

In Psal. 50.

An non lingua sola loquitur? quomodo ergo etiã pupillæ oculorũ loqui possunt? Sic autem sibiipsi Hieronymus respondet: Quando lachrymas coram Deo profundimus, tunc pupillę oculorum ad Deum voces dare dicũtur; quemadmodum tametsi lingua non loquamur, ad Deum nihilominus corde clamare possumus; sicut ait Apostolus: *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater.* Et in Exodo Moysi dixit Dominus: *Quid clamas ad me?* verbum tamen non proferebat, sed tantum intus in corde suo tanto feruore & efficacia orabat, vt ei diceret Deus: *Quid clamas ad me?* Pari ergo modo & nos in oratione oculis ad Deum clamare debemus, lachrymis, inquam, gemitibus, suspirijs, & cordis desiderijs.

Lachrymæ sunt sermo oculorum.

Gal. 4. 6.

Exod. 14. 15.

Cordis clamor optimus.

CAPVT XIII.

Respondetur querelæ & expostulationi nonnullorum, dicentium, non posse se, nec scire meditari, aut intellectu discurrere.

PER hæc simul respondetur communi nonnullorum querelæ, dicẽtium, non posse se, nec scire in oratione intellectu discurrere; quod nullę ipsis considerationes occurrant, quibus meditationis puncta dilatent & extendant, sed statim ipsis aqua hæreat, & habitus deficiat. Non est autem, quod propterea se magnopere torqueant aut crucient: quoniam (vti diximus) hocce orationis negotium magis in affectibus ac desiderijs voluntatis, quam in intellectus discursibus & speculationibus consistit. Monent hoc loco rerum spiritualium Magistri, cauendum esse, ne meditatio intellectus nimia sit, & nimis prolixa: hoc namq, motionem & affectum voluntatis (qui præcipue est spectandus) multum impedire solet; ac tum maxime, cum subtilibus & sublimibus speculationibus quis insistit. Cuius rei ratio naturalis est: certum est enim, si fons aliquis nonnisi modicam

cam aquulam emittit, & hæc per multos tubos deriuatur, quo plus aquæ per vnũ fluit, eo minus per alium manaturum: sic animæ virtus, cum finita & limitata sit, quo magis per intellectus meatum se diffuderit, eo minus per voluntatis canalem defluet. Vnde videmus per experientiam, si quam anima deuotionem ac pios sensus habeat, & interim intellectus per subtilem aliquam speculationem & curiositatem distrahatur & vagetur, cor statim exarescere, & deuotionem illam exstingui. Causa rei huius est, quia aqua hæc per alium intellectus canalem nimis dense fluit, atque ideo ipse voluntatis tubus & conductus exaruit. Hanc etiam esse causam, ait Gerson, cur indoctiores sæpe magis deuoti sint, & melius orationem peragant, quam docti, quod illi minus per intellectum distrahantur, nec alijs speculationibus & curiositatibus sese occupent ac diuagentur; sed statim per simplices ac faciles considerationes voluntatem concitare & mouere satagant; magis proinde hos mouent humiles illæ atque obuiæ considerationes, maioresque in ipsis affectus cient, quam in alijs sublimes & subtiles, vt videre est in sancto illo coquo, quem supra diximus è foco materiali, quem semper præ oculis habebat, materiam & occasionem hausisse de æterno incendio cogitandi; ac tantam inde deuotionem acquisiuisse, vt in medijs occupationibus culinarijs donum habuerit lachrymarum.

Cor exarescit, dũ intellectus speculatione subtili nimis distrahitur.

Simplices sæpe melius meditantur.

Tract. 3. c. 8.

Est hoc inprimis notandum, scilicet affectum & desiderium quammaxime sublime & spirituale esse debere, non curandum autem, vtrum cogitatio & consideratio repat, atque obuia sit & communis. Plurima rei huius exempla habemus in sacris litteris, in quibus Spiritus sanctus sub simplicibus atq; obuijs considerationibus altissimos & profundissimos nobis sensus declarat. S. Ambrosius super illa Prophetæ verba: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* scribens, percunctatur: Cur Propheta, in altum ascendere & euolare volens, columbæ pennas petat, non autem aliarum auium, cum aliæ tamen sint multo columba perniciores & agiliores? Et respondet, quia sciebat, melius ad perfectionis apicem euolare, & sanctius sublimiusq; orationem peragere alas columbæ, i. e. simplices corde, quam sublimia & acuta ingenia, iuxta illam Sapientis sententiam: *Cum simplicibus sermocinatio eius.*

Affectus sit sublimis, etsi cõsideratio sit communis.

Psal. 54. 7.

Serm. 70.

Alæ colũbæ, id est, simplicium meditationi aptiores.

Prou. 3. 32.

Vnde non est, quod homo cõtristetur, aut sese torqueat, quod discurrere mente, & considerationes punctis meditationis dilatandis commodas inuenire nequeat: quinimo melior ac potior illorum conditio est, quibus nimiæ speculationis venam occludit Deus, & econtra venam affectionis recludit, vt intellectu quieto & tranquillo, ipsa in solo Deo volũtas conquiescat, totam se in summi boni amore & fruitione impendens. Si tibi det Deus, vt simplici quadam & facili consideratione (puta cogitando solum, Deum propter te humanam naturam assumpsisse, in præsepio reclinatum esse, in crucem denique pro te actum) in Dei amorem rapiaris, atque ardens tui humiliandi, & pro eius amore mortificãdi desiderium concipias; longe profecto melior & fructuosior illa oratio est, quã si altas & sublimes cõsiderationes & discursus, eosq; plurimos haberes, qa te in eo, quod in oratione optimũ & substantialissimũ est, quinimo eius & finis & fructus, occupas. Vnde patebit, quam grauiter errent illi, qui tum non bonam se orationem instituisse credunt, cum nullæ ipsis considerationes, in quibus occuparentur, occurrerunt, tum vero bonam, quando ijs abundarunt.

S. Ægidius, vt in Chronicis Minoritarũ legitur, vir sanctus & humilis, sic quadam die cum S. Bonauentura, qui Generalis Ordinis Minister erat, locutus fertur: Multas profecto vobis doctis Deus Opt. Max. gratias concessit, quibus eum laudare & seruire potestis; nos vero idiotæ & indocti, qui nihil litterarũ nouimus, quid faciemus, quæso, ad ei placendum? Cui Bonauentura: Etsi aliam Deus homini gratiam non daret, quam quod is ipsum

1. p. li. 1. c. 14.

Simplici tam facilis perfectio, quã cuiuis doctissimo.

ipsum amare posset, hæc vna profecto nimis quam satis esset, vt maiora illi ob hanc, quam ob alias omnes simul obsequia deferrentur. Tum petenti Ægidio; Poteſtne idiota tanto erga Ieſum Chriſtum amore ferri, quanto doctus? Vna, inquit Bonauentura, ſimplex vetula plus Deum amare poteſt, quam profundus aliquis in Theologia Magiſter. Vnde Ægidius, propere exſurgens, magno feruore hortum ingreditur, & ad eam partem, quæ vrbem reſpiciebat, corpore & voce conuerſa clamabat, Vetula, paupercula, indocta, ſimplex, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ama, & maior eſſe poteris, quam F. Bonauentura. Et his dictis, pro more, extra ſe raptus, alienatis ſenſibus, tribus continenter horis in eodem loco manſit.

Capvt XIV.

Duo præſcribuntur monita, quæ ad bene orationem inſtituendam, & fructum ex ea eliciendum magno nobis adiumento futura ſunt.

AD bene orationem inſtituendam, & eum, quem oportet, ex ea fructum capiendum, multum nos iuuabit primo iſthoc fundamentum bene expendere, & præſupponere, nimirum, orationem non tam finem eſſe, quam mediũ, quoad profectum & perfectionem noſtram conducamur. Adeo vt in oratione velut in termino & fine nos ſiſtere non oporteat; neque enim perfectio noſtra in magna quæ habetur conſolatione, dulcedine, & contemplatione, ſed in perfecta ſenſuũ mortificatione, in magna de nobis ipſis, ac paſſionibus & appetitibus noſtris victoria ſita eſt, vt ſcil. nos, quoad eius fieri poteſt, ad beati illius ſtatus iuſtitiæ originalis, in quo creati ſumus, & in quo caro & appetitus rationi prorſus erant ſubiecta & conformia, ratio vero vni parebat Deo, perfectionem, reducere ſtudeamus. Vt

Primum monitum.

Oratio non eſt finis noſter ſed medium ad perfectionem.

Simplicitas facilis perfectio, quã cũ vnde doctiſſimis.

autem huc perueniatur, oratio ceu medium vſurpanda eſt.

Quemadmodum enim in fornace ferrum rigidũ igne molleſcit, vt ipſum tundi, duci, curuari, & quocunque faber voluerit, flecti poſſit; ſic & in oratione fieri conſtat. Si dura ac difficilis nobis ſit mortificatio, ſi durum voluntatem noſtram frangere, durum denique ingruentes aduerſitates ac difficultates pati, ad orationis caminum confugiamus oportet; in eo namque deuotionis calore & igne, atque etiam exemplo Christi cor molleſcit, vt duci, malleari, & quamcunque in partem, ad melius Deo ſeruiendum opus erit, flecti queat. Hoc ſcilicet officium & munus eſt orationis, hic fructus, quem ex illa elicere oportet. Guſtus proinde & conſolationes, quas in ea Dominus dare ſolet, eo non ſpectant aut dirigẽdæ ſunt, vt in ijs ſiſtamus, ſed vt earum adminiculo promptius alacriuſque virtutis & perfectionis viam curramus.

Oratio eſt ignis cor molliens.

Pſal. 118. 32.

Hoc videlicet declarare Spiritus ſanctus nobis voluit, in iſtis Moyſis, à Dei colloquio ad populum redeuntis, radijs. Scriptura quippe refert, mirũ tunc è vultu illius ſplendorem & iubar emicuiſſe, idq; in modũ cornuum. In cornibus porro omne animalium ſitum eſſe robur ſolet: vt hinc nimirum diſcamus, ex ſola oratione vires nos & potentiam ad bene operandum haurire debere.

Cornua Moyſis orationis robur deſignant.

Id ipſum & ſuo Redemptor noſter Ieſus exemplo docuit, cum pridiana paſſionis ſuæ nocte tertio ſe ad orationem contulit, quo eius ope in agonem & anguſtias ſibi iamiam ſubeundas animaretur; non quod hoc eum pacto corroborari oporteret, ſed duntaxat vt ſuo nobis exemplo, vti obſeruat Ambroſius, hic præiret. Apparuiſſe autem tum ei & Angelum Euangeliſta cõmemorat, à quo eſt cõfortatus; ipſum porro adeo animatũ & vegetatum ab oratione ſurrexiſſe, vt mox diceret diſcipulis: *Surgite, eamus* obuiam inimicis, *ecce appropinquat qui me tradet.* Se, inquam, ipſe obtulit, & vltro in illius manus tradidit. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Vti-

Oratio ad patiendum corroborat.

In Luc. 6.

Mat. 26. 46.

Luc. 23. 43.

Eſa. 53. 7.

Vtique vt hinc disceremus, orationem esse nobis ceu vnicam ad difficultates in virtutis via oborientes exsuperandas rationem & medium, vsurpandam.

Oratio est cytharæ cordis attemperatio.

Addit porro Chrysostomus orare nihil esse aliud, quam cordis nostri cytharam ita attemperare & componere, vt gratam Deo symphoniam edat. Ad hoc itaque orationi vacamus, vt cor nostrum attemperemus, passionum & affectuum, atque adeo omnium actionum nostrarũ chordas concordemus & moderemur, vt cuncta tum rationi, tum Deo cõgrua & conuenientia sint. Atque hoc est, quod quotidie in conferentijs & exhortationibus spiritualibus inuicem & dicimus & audimus, orationem videlicet nostram esse debere practicam, id est, ad opus destinari, vt nimirum eius subsidio difficultates expugnentur, ac quælibet resistentiæ & repugnantiæ, in via spirituali exorientes, superentur. Atque hac de causa Spiritus sanctus prudentiam, *scientiæ sanctorum*, nomine appellat: quod prudentia ad operandum dirigatur, ad distinctionem scientiæ litteratorum, quæ duntaxat ad sciendum refertur. Bene igitur docent sancti Scriptores, orationem generale quoddam & efficacissimum esse aduersus omnes tentationes nostras, & quaslibet in vita hac mortali occurrentes necessitates & pericula, remedium. Atque hoc vnum de præcipuis orationis præconijs & laudibus est.

Oratio sit practica.

Prou. 9. 10.

Scientia sanctorum practica.

Oratio generale remedium.

In hist. Relig.

Oratio sola omnes animæ morbos sanat.

Sanctus quidã Monachus apud Theodoretum sic loquitur: Corporales ægritudines proprio singulas remedio curant medici, quinimo non raro, vt vel vnam sanent, varia multipliciaque adhibent: quia omnia hæc remedia nimis quam angusta sunt, & finitæ limitatæque virtutis: sed oratio generale quoddam & efficacissimum est, in omnibus necessitatibus, & ad omnigenis tentationibus & insultibus hostilibus resistendum, vtque omnes virtutes comparentur remedium, quod infinitum bonum, id est, ipsum Deum, animæ applicet; & in eo sese fundet & nitatur. Hanc etiam ob causam orationem omnipotentem vocant: *Omnipotens oratio cum sit, omnia potest.* Quamobrem consulto nobis hoc ipsum orationis remedium aduersus omnigenas tentationes Redemptor noster Iesus præscripsit, dicens: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.*

Oratio omnipotens.

Mat. 24. 41.

Secundum monitum.

Secundum monitum, quod ad superioris executionem permultum nos adiuuabit, est, vt sicut dum ad orationem accedimus, ipsa meditationis puncta præuoluere ac præparare debemus, sic & fructum ex eadem eliciẽdum præuideamus. At dicet aliquis, quomodo fructũ, quem ex oratione capiam, nosse potero, antequam ad eam accedam, vt eum in mente præuisum habeam? Velim hoc clarius & pluribus mihi declares. Libentissime. An non paulo ante ostendi, ideo nos ad orationem accedere, vt in ea necessitatum nostrarum spiritualium remedium inueniamus, ac de nobis ipsis victoriam referamus, nec non passionum & malarum inclinationum nostrarum impetum retundere discamus; ipsam quoq; ceu viam & medium esse, vt vitam meliorem sanctioremque ineamus? Ante ergo quam quis orationem aggrediatur, secum longo tempore mature perpendat oportet ac videat, quænam sit maxima sua spiritualis necessitas; quid, quod maxime profectum suum remoretur, quæ passio & appetitus animæ suæ infestissimus? Atque hoc est, quod præcognitum ac præuisum illum habere necesse est, vt in eo insistat, & id ex oratione eliciat. Exempli gratia; Magnam in me inclinationem sentio, vt ab hominibus magni ducar & æstimer, atque in pretio habear, ac respectibus humanis mirum in modum me moueri, & dum aliqua contemptus ac vilipendij sese offert occasio, turbari & indignari; quin etiam interdum signo aliquo id exterius prodere: hoc mihi videtur esse infestissimum, hoc maxime profectum meum remorari, hoc animæ meæ pacem ac quietem interturbare, hoc mihi grauissimorũ lapsuũ causam esse. Si ergo hæc maxima tua sit necessitas, remedium tuum

Præuidendum quid orandum.

Remedium contra vanam gloriam & magni æstimari velle.

tuum erit, vt ipsum superare & de anima extirpare contendas: atque hoc est, quod præuidere, & ante oculos & cordi te habere necesse est, vt ipsum orationis ope cordi tuo eradices.

Errat proinde grauiter is, qui fortuito & impræuise ad orationem Dei accedit, id scilicet ex ea eliciturus, quod inexpectato in mentem veniet; venatorem imitatus, qui in omnem euentum, ac nulla certa sibi designata fera ad venandum abit, quicquid se obtulerit capiendum, capturus: id interim relinquens, nec curans, quo maxime opus habebit. Non sic ad orationem accedamus, vt scilicet id arripiamus, quod primo nobis occurrerit, sed in id statim oculos conijciamus, quo maxime egebimus.

Meditatio ad certum fructum referenda.

Similia.

Infirmus, qui ad Pharmacopolium abit, non id emit, quod primo illi in manus venit, sed quod morbo suo curando nouit opportunum ac salutare.

Alius superbia ad vsque fauces tumet, alius impatientia plenus est, alius proprij iudicij tenacior, & voluntatis suæ amantior, vt tum apparet, cum harum rerum se vel minima offert occasio, & ipse quotidie in ijs velut fur in flagranti delicto deprehenditur; interim hic ipse in oratione varijs ac peregrinis conceptibus efformandis insistit, in id manus conijciendo, quod primo sibi est obuium, aut præ alijs sapit, modo hinc, modo inde aliquid decerpens. Non est, mihi crede, illa bona proficiendi ratio, sed in id semper homo potissimum respiciat, quo maxime indigebit, & ipsum curare & tollere satagat, cum hac de causa orationi se applicet.

Exhortat. ad Relig. de armatura spir. to.2. p.260.

Ad hoc propositum adfert S. Ephrem exemplum cœci illius Euangelici, Christo Iesu per viam inclamantis, vt sui miseratione moueretur: Considera, inquit, quomodo Christus interroganti, *Quid tibi vis faciam?* ipse statim maximam suam necessitatem, & id, quo magis cruciabatur, repræsentarit, oculorum scilicet carentiam, & hanc sibi tolli petierit, dicens: *Domine vt videã.* Putasne, eũ quid aliud,

Luc.18.41. Mar. 10.41.

Cœcus à Christo petit visum, quo maxime indigebat.

quo reuera etiam indigebat, petijsse, dicendo fortasse, Domine da mihi vestem, quia nudus & inops sum? Nihil minus: illud non petijt, sed cætera omnia relinquens, maximã suam necessitatẽ ostẽdit. Hoc & nos in oratione facere oportet; maximam sc. necessitatẽ nostram repræsentare, & in ea ostendenda tamdiu insistere, donec votorum reddamur cõpotes.

Ne quis vero sit excusationi locus, notandum est, esto certum sit, quod quando is, qui ad orãdum accedit, particularium, quæ sibi desunt, virtutum affectus elicere studet, dare communiter operam debeat, vt ipsa meditationis pũcta & materia cõuenientia sint, & proportionata ad hoc, vt voluntas sua celerius, & maiori firmitate ac feruore ad hosce affectus moueatur, itaq; fructũ, quẽ spectat, facilius colligat; scire nihilominus oportere, quodcunq; exercitiũ & mysteriũ, quod meditatione recogitatur, hominẽ ei qua opus habet rei posse applicare. Oratio namque cœleste velut manna est, eo cuilibet sapore sapiens, quem ex ea gustare & colligere voluerit. Si enim humilitatem ex ea degustare volueris, hunc tibi gustum dabit peccatorum, mortis, passionis Domini, & beneficiorum cœlitus receptorum consideratio: si dolorem & confusionẽ de peccatis tuis, hanc harum materiarum quæcunque libet haud dubie suggeret: si denique gustum patientiæ, etiam hunc sufficienter oratio dabit; atque ita de cæteris.

Etsi materia cuiusque fini apta seli genda,

tamen quæ tamen oratio ce manna omni gustum satiat.

CAPVT XV.

Quomodo intelligendum, quod vna res in oratione cordi habenda & spectanda sit, ea, inquam, qua maxime habebimus opus, & tamdiu illi insistendum, donec eam obtineamus.

NON sic id intelligendũ, quasi semper vnã eandẽq; in oratione rẽ spectare opor-

Actus virtutum, qui se in meditatione offerent, nõ reijciẽdi, quia inuicem subseruiunt.

oporteat: nam vt demus humilitate, aut alia re ſimili, maxime & ſingillatim nos indigere, non propterea aliarum interorandum prohibemur virtutum actibus & exercitijs inſiſtere. Offert ſe, v.g. tibi actus voluntati Dei te in omnibus, quæ de te ipſe facere aut voluerit, aut decreuerit, conformandi, quamdiu potueris, in eo te detine. Optima namq; illa erit oratio, & bene impenſa, atq; humilitati obtinendæ adeo nõ oberit, vt maxime potius ſit profutura. Offert ſeſe gratitudinis, & gratificæ beneficiorum, tum generalium, tum particulariũ à Deo acceptorũ recognitionis actus, mane in eo quantum lubuerit: æquiſſimum namq; eſt quotidie ob recepta beneficia, ac præſertim quod ad Religionem nos vocauerit, Deo gratias agere. Offert ſe quoq; tibi ingẽs de peccatis p̃teritis dolor, & eorundẽ in futurũ deteſtatio, ac conſtans quoddã propoſitũ mille mortes oppetendi, quam Deum vel leuiſſime offendere, in eo te detineas: id enim de optimis & vtiliſſimis eſt actibus, in quibus te orationis tempore exerceas. Offert ſe denique ingens in Deum amor, ardens erga ſalutem animarum zelus ac deſiderium, & magna laborum quorumcunq; pro eadem ſuſcipiendorum ſitis, in ea perſiſtas velim: ſimul etiam in gratia tum tibi, tum proximo, tum etiã vniuerſę Eccleſiæ neceſſaria petenda. Atque hæc vna & primaria orationis pars eſt. Hæc omnia, aliaque id genus in oratione pertractare fas eſt, & ea valde bona futura oratio eſt.

Oratio varios affectus habere poteſt.

Collat. 9. c. 7.

Gen. 4. 24.

Sic Pſalmos, qui perfectiſſima quædam oratio ſunt, omnigenis varijſq; affectibus plenos eſſe cernimus. Propterea etiam Caſſianus & Abbas Nilus, orationem agro omnis generis floribus refertiſſimo, aut ſerto è varijs variorum odorum floribus contexto, aſſimilarunt: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Eſt & alia in hac varietate vtilitas, ſcilicet adminiculo eius, orationem multo nobis faciliorem reddi ſolere, ac proinde diutius in ea nos poſſe perſiſtere & perſeuerare. Nam circa vnum idemque ſemper oberrare, faſtidium progignere ſolet, varietas econtra oblectat & recreat.

Varietas in oratione leuat faſtidiũ.

Ad rem vnã certam obtinendam conatus noſtri ſerio referendi.

Vide tract. 1. c. 3. & 9. & tract. 8. c. 1.

Hoc porro volumus, multum ſc. ad noſtrum in ſpiritu profectum intereſſe, rem vnam ad aliquod tempus cordi habere, & ſerio curare, & eam inprimis, qua in anima maxime opus habere nos comperiemus; atque ei potiſſimum in oratione nos inſiſtere debere, eam inſtanter à Domino efflagitando, & aliquoties per diem vnum atque alterum exercendo, hanc etiam præcipuo nobis ſtudio curandam, & ſemper tum præ oculis, tum animo infixam habendam, donec eius tandem reddamur compotes. Hoc namque modo etiam quælibet in hoc mundo negotia pertractantur. Vnde dicere vulgo homines ſolent; Liberet nos Deus ab homine, qui vnam duntaxat rem agendam habet. D. Thomas de oratione loquens, eo deſiderium aliquod ait eſſe melius & efficacius, quo magis ad rem vnam reſtringitur: atque ad hoc adſtruendum adfert illud Dauidicum: *Vnam petij à Domino, hanc requiram*, & ſemper poſtulabo, donec eius reddar particeps.

2. 2. q. 8. art. 14. arg. 2.

Pſal. 26. 4.

Simile.

Vt qui quandam pernoſſe artem vel ſcientiam vult, nõ ſic eam addiſcit, vt hodie vnam, & cras aliã, & mox rurſus aliam addiſcere incipiat, ſed ad aliquod ſpatiũ temporis vni totum ſeſe applicat, donec eam perdidicerit. Pari modo, qui in quadam virtute abſolutus ac perfectus euadere ſtudet, in ea ſe aliquanto tempore quammaxime exerceat neceſſe eſt, orationem atque adeo omnia exercitia ſua, ad illam obtinendam dirigendo. Præſertim, quod virtutes omnes morales, ex doctrina eiuſdem Thomæ, connexæ ſint, id eſt, ita inuicem colligatæ & concatenatæ, vt, qui vnam perfecte poſſederit, etiam reliquas omnes ſit habiturus. Quocirca, ſi veram humilitatem poſſederis, vna cum ipſa & reliquas virtutes habebis. Superbiæ ergo fibras omnes ſtirpitus corde tuo euelle, & profundiſſimam ei humilitatem inſere; nam ſi hanc perfecte habueris, magnam quo-

1. 2. q. 65. a. 1.

Qui vnam virtutem poßidet, omnes tenet.

que habebis obedientiam, & patientiam, de nulla re conquereris, omnis tibi labor facilis, omniaque etiam asperrima, tibi exigua & leuia videbuntur, si cogites, quam parum habere promerearis. Si humilitatem habueris, habebis & charitatem erga fratres; omnes namque vt bonos intueberis, te ipsum vero solum vt malum: magnam quoque habebis iudicij simplicitatem, & neminem diiudicabis; ita namque proprias imperfectiones & næuos senties, vt de alterius minime sis futurus sollicitus. Atque idem de cæteris virtutibus dicere possemus.

Oratio & examen particulare ad idem conspirent.

Consultũ proinde quoq; est, vt & examen particulare ei applicetur rei, cui applicatur oratio, & hæc ambo simul ad eundem scopum dirigantur: hoc namque modo, omnibus scilicet exercitijs nostris eodem collimantibus, magnus profectus aceruus coaceruatur.

Imo & omnia totius diei desideria.

Plura etiam addit Cassianus: vult namque, vt non modo in examine & oratione mentali, rei huic, qua maxime egebimus, insistamus, verum etiam sæpius per diem ad Deum per orationes iaculatorias, suspiria ac gemitus cordis animum sustollamus; quin & alias pœnitentias, mortificationes, ac particulares deuotiones hunc ad finem suscipiamus, vti postea pluribus sumus ostensuri. Nam si illa sit mea maxima necessitas, si illud vitium, passio, & inclinatio mala, quæ maxime mihi dominetur, & quæ maxime me faciat impingere; si ab eius vitij extirpatione, & huius virtutis impetratione omnium vitiorum aliorum eradicatio, & virtutum omnium consequutio dependet; sane omnis, quæ huic rei impendetur, diligentia & labor, optime collocata erit.

Tract. de ora.

Oratio fons omnia irriga[ns].

Chrysostomus porro orationem similem esse ait fonti in horti cuiusdam medio constituto: nam vt sine illo omnia sicca & arida sunt, cum illo vero omnia vernant, florent & rident: sic ab hoc orationis fonte omnia irriganda esse, & ab illo omnes virtutum, obedientiæ, inquam, patientiæ, mortificationis, silentij & recollectionis, plantas in suo virore, vigore, & decore conseruari. Sed quemadmodum hortus vel pomarium semper aliquem habet florem vel arborem, quæ præ alijs chara est, pluris fit, & quæ ante alias irrigatur; vt, quamuis cæteris irrigandis desit aqua, huic tamen vni nunquam deesse liceat, &, quamuis alijs colendis non suppetat tempus, huic colendæ semper suppetere debeat: ita & in animæ nostræ viridario plantarioque vsuuenit. Omnia quidem ibi per orationis aquam irriganda & conseruanda sunt; semper tamen oculi in vnam rem maxime & ante alias conijciendi sunt, in illam, inquam, qua magis indigebis, in illam præcipue opus est intendere, & ad hanc colendam nunquam tibi deesse tempus debet. Et sicut, dum horto egrederis, illum præ alijs florem seligis, qui tibi maxime arridet, eumque decarpens domum abis; sic & in oratione illi præcipue rei manus erit admouenda, quæ ante alias tibi erit opus, hæcque tibi ex eadem colligenda.

Vni tamen rei obtinendæ præ cæteris insistendum.

Vnum quærendum, reliqua, si se offerant, accept anda.

Hoc pacto sufficienter responsum manet communi illi obiectioni ac quæstioni, num scilicet bona illa sit oratio, in qua quis talem fructum elicit, qui conformis sit exercitio ac rei, quam meditatur? Iam ante ostendimus, etsi in id præcipue hominem collineare oporteat, quod ipsi maxime necessarium est, nihilominus bonum etiam & consultum esse, aliarum virtutum affectus actusque exercere & practicare, prout mysterium, de quo meditatur, exiget. Sed notandum hic (quod sane permagni refert) hos ipsos actus & affectus, quos in oratione circa virtutes in eadem occurrentes concipiemus & habebimus, rei, de qua meditatio instituitur, conformes, non superficialiter ac leuiter debere fieri, sed mature ac tractim, quiete in ijs & per otium nos detinendo, donec satiemur, & eas nobis inhærere, & cor ab ijsdem repleri sentiamus, etsi alioquin tota hora ijs impendatur, vti supra

Affectus voluntati firmiter inculcandus, nec trãscurrendum ad alia.

ſupra indicauimus. Plus enim valet & prodeſt talis actus & affectus vnus, hoc modo continuatus, quam multos diuerſarum virtutum actus concipere, & nonniſi obiter eoſdem percurrere.

Vna de cauſis, ob quas nonnulli non tantum in oratione proficiunt, eſt, quod tam leuiter per virtutum actus tranſeant, & velut ſubſultim hinc inde curſitant: hic, verbi gratia, ad rem veniet actus quidam humilitatis, & faciunt actum humilitatis, & ilico ad alia tranſeunt; occurret mox non minus commode actus quidam obedientiæ, & actum faciunt obedientiæ, deinde alius patientiæ; itaque ad inſtar felium per calentes fauillas diſcurrentium diſcurrunt, quæ eſto ignitæ eſſent, ipſas tamen non adurerent. Vnde dum ab oratione ſurgunt, omnia obliuioni tradita euaneſcunt, & tam ſunt tepidi & immortificati atque antea.

Qui affectus plures tranſiliunt, nullum menti infigunt.

Reuerendus Dominus Magiſter Auila reprehendit eos, qui, cum vna in re bene ſunt, mox, vbi alia oblata fuerit, priori deſerta, ad aliam delabuntur: atque Diaboli id impoſtura & arte fieri, vt dum ſic ab vno ad aliud, in morem picarum, tranſiliunt, omni orationis fructu eos priuet.

Cap. 75. ſuper Audi filia.

Vnde neceſſe & vtile eſt, vt tamdiu in virtutis alicuius affectibus & deſiderijs maneamus, donec ea animæ noſtræ inſerta & impreſſa ſit. Exempli gratia, ſi contritionis & doloris de peccatis actum exercere cupis, tamdiu in eo permaneas neceſſe eſt, donec ingentem peccati horrorem & deteſtationem in teipſo experiaris, dicaſque cum Propheta: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum:* hoc namque firmum te faciet propoſitum concipere mille potius mortes obeundi, quam vel vnum peccatum lethale admittendi. Vnde bene obſeruauit Auguſtinus *in Enchirid.* homines, quod quædam peccata abhorreant, & ex ſe deteſtentur, verbi gratia, blaſphemiam in Deum, parricidium, ideo illa nonniſi rariſſime committere: contra alia peccata, ait, conſuetudine ipſa viluiſſe, quia, inquam, horrorem & metum horum homines amiſerunt, hinc facile in illa incidunt. Pari modo, ſi in humilitate exercere te velis, tamdiu te in affectu ac deſiderio contemptus ac vilipendij detineas neceſſe eſt, donec affectus hic & deſiderium animam tuam penetret, & omnes ſuperbiæ & elationis fumi atque impetus euaneſcant & pereant, teq; ad contemptum & paruam tui æſtimationem ſentias inclinari, atq; ita de reliquarum eſt virtutum affectibus & actibus ſentiendum.

Vnam virtutem prius cõſtanter menti infigas, antequam dilabaris ad alia.

Pſ. 118. 163.

Conſuetudo reddit virtutem facilem.

Vnde etiam liquido patebit, quanti ad profectum noſtrum in ſpiritu momenti ſit futurum, rem vnam tantum cordi habere, & illi ita, vti dixi, inſiſtere, atque in eadem perſeuerare. Si enim affectus & deſiderium contemptus & vilipendij, vel alius quis ſimilis affectus, vna hora mane, & altera veſperi, & tanto ſpatio rurſus die ſequenti in nobis permaneret; certum eſt, longe alium in corde noſtro affectum eum excitaturum, & alio virtutem modo in anima noſtra impreſſum iri, & penetraturam, quam ſi tantum obiter eum percurreremus.

Appoſite Chryſoſtomus: Quemadmodum vna, inquit, pluuia atque irrigatio terræ, etſi alioquin feraciſſimæ, non ſufficit, ſed multas deſcendere pluuias & frequentes irrigationes opus eſt; ſic vt virtus animæ inſeratur & imprimatur, multæ orationis irrigationes præcedant oportet. Huic propoſito adfert illud Pſalmiſtæ: *Septies in die laudem dixi tibi.* Septies ſcilicet per diem animam ipſe ſuam orationis aqua irrigabat, & in vno eodemque affectu ſe detinebat, ſæpius eum reiterando; ſicut ad oculum in multis Pſalmorum locis videre eſt. In vno ſiquidem vigeſies & ſepties repetit: *Quoniam in æternum miſericordia eius;* Miſericordiam diuinam hoc pacto prædicando & exaltando. In alio vero in quinque illis (quos ſolum habet) verſibus vndecies nos ad Deum laudandum excitat & inuitat.

Oratio frequentata virtutem producit.

Pſ. 118 164.

Pſal. 35.

Pſal. 15[illegible]

Ipſe quoque Chriſtus ſuo nos exemplo

plo hunc modum orandi, & in vna eademque re manendi, in oratione, quam in horto habuit, docuit. Neque enim satis illi fuit semel hanc ad Patrem suum orationem fundere, sed secundo & tertio eandem orationem petijt, *eundem sermonem dicens*. Et addit Euangelista, po- Matt. 26. 44. strema vice prolixius eum orasse, quam in principio, diutius in oratione sua perseuerando, vt nos edoceret in vna eademque re, dum oramus, insistere, idem bis tertiove repetendo & resumendo. Hoc namque pacto, & per hanc perseuerantiam & constantiam, eam virtutem & perfectionem, quam desideramus, obtinebimus.

Perseuerantia orationem facit exaudiri.

Caput XVI.

Quomodo inter orandum dudum vni rei insistere poterimus, & traditur praxis cuiusdam modi orandi inprimis vtilis, vt nimirum ad casus particulares descendatur.

Iam reliquum est, vt tradamus, quis modus nobis tum seruandus sit, cum affectum in vna eademque re longo tempore detinere & fouere volemus; cum tantæ is vtilitatis sit, vti ante diximus.

Commune & ordinarium, quod ad hoc dari solet, medium est, eundem actum & affectum voluntatis continuare, vel eum subinde denuo reiterare & repetere; perinde ac si quis rotam voluentem de nouo manu impelleret, ne quiescat; vel ligna camino adderet; ad hoc quidem interdum primam illam adhibendo considerationem, quæ in principio ad hunc nos affectum & desiderium emouit, voluntatem quando eam iam intepescere cernimus, per ipsam expergefacere allaborando, cum Propheta di- Psal. 131, 7. centes: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Vide, quanti tua id referat, & quam rationi sit consentaneum, vt pro Deo id facias, cui tot es nominibus astrictus.

Prima consideratio subinde repetenda.

Quando vero prima iam consideratio ad hoc parum proderit, nec nos emouebit, alia noua consideratio adhibenda erit, vel ad aliud punctum transeundum; hanc ob causam varia puncta præparata semper nos habere par est, vt postquam iam vnum, à quo minime vltra permouendi videmur, decursum fuerit, transeamus ad aliud & rursus aliud, quod nos de nouo emoueat, & affectum erga id, quod volumus, concitet.

Deficiente prima consideratione, alia quærenda.

Adhæc, sicut in mundo ad euitandum fastidium, quod ex assidua vnius cibi sumptione sequi solet, diuersimode cum condire consueuimus, vt ipse nouo illo condimento nouus, ac nouum nobis saporem habere videatur: pari modo, vt multo tempore in vna eademque re in oratione, quæ animæ nostræ cibus & alimentum est, perseuerare possimus, consultum fuerit diuersimode eam condire.

Quomodo orans diu in vna re perseuerare possit.

Fiet id aliquando quidem ad aliud punctum, & aliam considerationem transeundo, vti paulo ante dictum est: quia quotiescunque quis per diuersam rationem & considerationem in vna eademque re mouetur & incitatur, toties eam alio quodammodo & alio modo videtur condire, atque ita ea velut noua redditur.

Noua scilicet consideratione.

Præterea, esto nec noua assumatur ratio, nec noua consideratio, ipse vnius etiam eiusdemque virtutis affectus diuersimode coqui & condiri potest. Verbi causa, aget quis de humilitate; interdum quidem is potest in propriarum miseriarum & infirmitatum cognitione occupari, seipsum ob easdem cõfundendo, & despiciendo, interdum vero desideria excitabit, quibus despici, paruipendi, ac negligi cupiat, humanam opinionem & æstimationem floccifaciendo, sed potius eam vt vanum quid deridendo: inter-

Idem affectus quomodo renouari possit.

Varij modi eiusdem affectus humilitatis conseruandi.

interdum quoque se confundet, & ruborem incutiet, oculos in crimina & flagitia, quæ quotidie committit, conijciens, & veniam illorum, & euitandi remedia postulabit: alias bonitatem Dei se tolerantis admirabitur, cum ne ipsi nos inuicem aliquando tolerare possimus: alias denique immensas illi aget gratias, quod se in alia maiora peccata prolabi non sit passus.

Et sic per hanc varietatem euitatur fastidium, quod ab rei eiusdem continuatione sequi solet, ac facile fit ac sapidum in vnius eiusdemque virtutis actibus affectibusque perdurare & perseuerare; hoc enim pacto ipsa magis in cor penetrat, & profundius imprimitur; quia tandem, sicut lima, quoties per ferrum transit, toties aliquid de eo aufert; ita quoties actum aliquem humilitatis, alteriusve virtutis faciemus, aliquid toties de contrario vitio tollitur ac deraditur.

Actus repetiti virtutem augent.

Præter hunc est & alius in oratione in vna eademque re ad multos dies perdurandi modus, isque facilis & vtilis ad particulares scilicet casus descendere. Notant hoc loco vitæ spiritualis Magistri, satis nobis esse non debere generale quoddam ex oratione Deo seruiendi, proficiendi, aut ad perfectionem in communi adspirandi, desiderium aut propositum elicere, sed ad id singillatim, in quo magis nos Deo seruire, & gratiores esse posse nouimus, descendere debere. Satis quoque esse non debet, generalem quendam erga virtutem etiam particularem affectum colligere, vt scilicet velimus in genere esse humiles, obedientes, mortificati; quia isthoc generale desiderium & velleitatem etiam scelerati quique habent. Nam sicuti virtus in se pulchra est & honorabilis, & magnæ tam quoad hanc vitam, quam aliam vtilitatis, facile est illam sic in genere amare & desiderare. Sed in hac ipsa virtute, quam volumus, ad casus particulares delabamur oportet: verbi gratia, si magnam quandam cum Dei voluntate conformitatem habere volumus, in particularibus rebus nos ei conformare studeamus, tam in morbis, quam bona valetudine; æque in morte ac in vita, in tentatione non minus, quam in consolatione: si de humilitate etiam impetranda agitur, ad particularia descendendum, & casus particulares notandi, in quibus nostri despectus & vilipendij occasiones plerumque occurrere solent, vel possunt: Ac sic de reliquis virtutibus. Hi namque maiorem difficultatem in sui praxi inuoluunt, in hoc virtutis est difficultas sita, per hoc virtus magis apparet & probatur, hæc quoque optima illius habendæ sunt media. Et prius è rebus minoribus ac facilioribus, quas nobis maiorem, si occurrerent, factuas difficultatem putamus, praxeos exempla sumenda sunt, ac semper aliquid addendum, & altius paulatim ascendendum, ita nos in ijs exercendo, quasi eæ iam nobis re ipsa offerrentur, donec eo tandem perueniamus, vt nihil omnino in hac ipsa virtute, quam desideramus, remoræ vel obstaculi sentiamus, sed omnia perfringamus, & nihil occurrat difficultatis, quin transcendamus, plenique victores simus. Cum vero postea aliquæ eius exercendæ reuera occasiones occurrent, in illis nos ante alias exerceamus oportet, nos ad eas superandas, & fructum ex eis capiendum disponendo, quisque iuxta statum suum. Quinimo quidam Dei seruus dicere soleat, semper aliquid nobis in oratione proponendum esse, quod die illo vsurpare & practicare velimus. Vide ergo, ad quam particularia nos in oratione descendere velint.

Ad particulares virtutis actus descendendum.

Virtus in genere nulli non amabilis.

A paruis ad magna ascendendum.

Præludēdum imaginariis artibus.

Ad summa contendendum.

Præsentes occasiones arripiendæ.

Quotidie aliquid exequendum.

Hoc inter cætera, in quibus nos in oratione exercere debemus, non postremum est: nam, vt iante dictum est, oratio nostra debet esse practica, id est, ad operandum directa & destinata, quæque nos in virtute, quam spectamus, operanda & exequenda, difficultatibus occurrere valentibus, perfringendis, & repugnantia omni superanda adiuuet. Permagni proinde refert, vt primo in hac re nos exerceamus, & nostri aliquod periculum

Cap. 14.

culum

culum faciamus, milites strenuos imitando, qui antequam verum conflictum ineant, vmbraticis hastiludiis, torneamentis, & velitationibus arenariis, aliisque exercitiis militaribus se exercere solent, vt, cum reuera manus cum hoste cōserendæ erunt, præparati & exercitati inueniantur. Vnde hoc Cassianus exercitium, tum ad vitia superanda, ac passiones domandas, tum virtutes obtinendas mirifice commendat. Plutarchus quoque & Seneca docent, ignaros non intelligere, quanti ad labores ipsos minuendos referat, cogitatione eosdem ante præcipere & præmeditari. Perutile est, inquiunt, labores & difficultates semper animo agitare, & sibi proponere; nam sicut qui semper res faciles & delectabiles cogitat, torpidus fit & segnis, &, si quando molestum & difficile quid occurrit, magnam difficultatem in eo aggrediendo sentit; & quia ingloriæ molitiei assuetus est, tergum ilico vertit, & de blandis gratisque rebus cogitare incipit: sic qui infirmitatum exiliorum, carcerum, omnigenarumque aduersitatum, quæ incidere possunt, cogitationi se assuefacit, longe, cum hæc ingruent, paratior & magis dispositus erit, atque adeo plus perterrere hæc in principio, quam in extremo nocere comperiet. Vnde bene S. Gregorius: *Minus iacula feriunt, quæ præuidentur*; & ictus qui animo præceptus est, non ita nocet, quam qui inopinate & derepente ingruit. Constat enim magis nos percelli ab hosti subito aggrediente, quam ab eo cuius aduentus præcognitus est & præuisus.

Collat. 19. c. 16.

Epist. ad paci. de tranquill. animi.

Consolat. ad Heluiam c. 5.

Animus præmuniendus contra difficultates futuras.

Hom. 35. super Euangel.

Mirabile prorsus exemplum est, quod quoad hoc de B. P. N. Ignatio legimus. Huic quadam tempestate ægrotanti præcepit medicus, ne quem tristitiæ locum daret, & omnes cogitationes contristare natas à se eliminaret. His auditis secum cogitare ipse attente cœpit, quidnam tam aduerse & triste accidere posset, vt serena animæ suæ pax & tranquillitas eo perturbaretur, ipseque propterea affligeretur, cumq; cogitationis oculis omnia percurrisset, nihil omnino reperit quo se contristari turbarique posse censebat, præterquam si (quod illum etiam maxime afficiebat) aliquam ob causam Societatem nostram perire & dissolui contingeret. Cum vero vlterius pergens se examinaret, quam diu hæcce in se afflictio & pæna duratura esset, si forte isthæc dissolutio contingeret, putabat se, si nulla culpa sua euenisset, per horæ quadrantem duntaxat per orationem mentem in Deū recolligendo ab illa posse turbatione liberari; & priori paci & solitæ mentis hilaritati restitui. Addebat insuper eam se animi quietem & tranquillitatem integram etiam conseruaturum, etsi Societas dissolueretur. Hæc itaque bona & perutilis orationis species est.

Lib. 5. c. 1. vitæ.

S. Iacobus in Canonica sua sic scribit, *Tristatur aliquis vestrum, oret*, ad orationem confugiat, & in ea consolationem & remedium inueniet. Sic scilicet Psaltes faciebat, vti de seipso testatur, *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*: id est, cum dolor & tristitia me obruet, ad Deum recurrebam, ad ipsum cor meum sustollebam, & statim anima gaudio & consolatione perfundebatur.

Iac. 5. 13.

Psalm. 76. 4.

Hæc scilicet Dei voluntas est, sicque id ipse fieri vult, cum vero ipsi id placet, cæteris omnibus id placeat necesse est. Sicut ergo postquam patiendi iam venit occasio, & labor aliquis se obtulit, bonum & consultum est ad orationem confugere, vt æqua mente is, & cum vtilitate suscipiatur: sic quoque magni refert, hoc ipsum remedium ante vsurpare, ne id nobis postea nouum, sed facile admodum & leue videatur.

In difficultatibus & ante eas ad orationem confugiendum.

Vna de causis, cur in aduersitatibus & ærumnis suis Iob adeo fortis & constans fuerit, vt ait Chrysostomus, est, quod eas eo quo diximus modo præuidisset, eas præmeditando, sibi in imaginatione diu ante depingendo, & in iisdem se exercendo tamquam in re quæ sibi posset aliquando accidere. Sic id de se ipse testatur, dicens, *Quia timor quem* time-

Hom. de amicitia.

Iob præmeditatus futura.

timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit. At si id cogitatione non præuertisti, & in ipso etiam eius desiderio difficultatem aliquam sentis, quid erit ergo de opere ipso? Si etiam tum cum in oratione versaris, & adhuc procul ab occasionibus remotus es, vires & animum in te non sentis ad hoc vel illud officium, exercitium, laborem, contemptum amplectendum, quid erit quando & extra orationem eris, & ipsa occasionis & operis difficultas te perterrefaciet, atque ipsum Christi exemplum, quod te haud dubie animat & vigorat, tibi consideratione & meditatione non proponis? Si etiam, postquam id instanter in oratione petisti, se offerēte occasione, deficis; quid erit, cum præmunitus non eris, & in oratione id non postulasti? Si etiam qui nulla proposita facit, sæpenumero impingit, quomodo non labetur, qui vel sero, vel nunquam bonum propositum facit?

Proposita bona præmittenda.

Particulares casus infiniti.

Hoc si obseruetur, amplissima datur ad circa vnam eandemque rem in oratione, & circa vnum & eundem affectum multis horis, quin etiam diebus continenter perseuerandum materia. Casus namque particulares, qui possunt occurrere, & ad quos possumus descendere, infiniti sunt, quibus omnibus vt par esse & sufficere homo possit, non sane parua res est. Vbi vero eo pertinges, vt te ad omnia animum & vires habere, & ad ipsa æquanimiter suscipienda dispositum putes, noli credere idcirco, iam te ad summum venisse, nec rem confectam esse; nam adhuc grandis tibi restat via. Magna quippe est inter dictum & factum, inter desideriū & opus ipsum differentia. Certum est namque opus desiderio longe difficilius esse: quia in opere ipsum obiectum præsens adest, in desiderio vero solum imaginatio. Vnde etiam sæpe contingit, vt in oratione feruentissimi simus, & omnia nos transcendere obstacula posse credamus; postea tamen, dum ad opus descendendum est, & occasio aliqua occurrit, procul nos ab eo quod proposuimus, abesse comperiamus. Proinde satis non est, hæc te in animo desideria sentire, sed danda tibi opera, vt euadant talia & tam efficacia, vt in opus prodeat: ipsum namque virtutis probatio & experimentum est. Si autem vides, opera tua à propositis dissentire, & dum se offert occasio alium te longe esse, quam dum orationi insisteres, erubesce & confundere, quod nonnisi concipiendis desideriis oratio tibi deseruiat; aut potius erubesce, quod non vera, sed phantastica & imaginaria duntaxat hæc desideria sint, cum res quædam læuissima postea animum turbet, inquietet, & retrocedere te à proposito faciat.

Executio longe difficilior proposito.

Cōfundere, si opus propositis non respōdeat.

Atque vt faber, quando opus quod conficiendum suscepit, bene nō succesfit, ferrum fornaci reinserit, vt ipsum recudat, & debitam ei det formam: pari modo tibi ad orationis fornacem redeundum est, vt hæcce tua desideria melius reincendantur, nec ante quiescendum, quam opus cum desiderio concordet & consentiat, ac nihil sit in quo offendas.

Imo vero, ne tum quidem, cum ad occasiones post occursuras bene te sentis dispositum esse, totum credas confectum negotium esse; quia in vno eodemque opere varij ac multi sunt hominis conscendendi gradus, antequam ad summam virtutis perfectionem veniat. Principio namque necesse est, vt te in omnibus, quæ tibi occurrent, occasionibus patienter admittendis exerceas: quia hic primus virtutis est gradus. Perfer saltem patienter, si non potes hilariter & æquanimiter: atque hoc sufficit, vt in eo te ad dies aliquot, aut etiam diutius, exerceas. Ac licet etiam omnes occasiones occurrentes patienter iam perferre didiceris, tamen adhuc multum tibi restabit viæ, antequam ad virtutis perfectionem pertingas. Nam, vt docent Philosophi, inde colligas quempiam virtutis perfectionem attigisse, si eius opera prompte, faciliter & delectabiliter operetur. Vide ergo num humilitatis, paupertatis spiritus, patientiæ, & alia-

Patienter ferre aduersa infimus virtutis gradus.

Virtutis singū actus facilitas.

aliarum reliquarū virtutum opera prompte, facile, & cum voluptate ac iucunditate suscipias: atque hinc colligere poteris, num virtutem iam plane sis assecutus. Vide inquam, num tam tibi gratum sit despici ac contemni, quam iucundum à populo magni pendi & honorari. Atque hæc est regula, quam nobis B. P. N. assignat, ex Euangelio deprompta. Vide num ita tibi arrideat ac placeat summa in victu, vestitu, & lecto paupertas, & quod deteriora quæque quæ domi sunt in vsum tuum cedant, ac auaro opes, abundantia, & opulentia. Vide denique, num ita læteris mortificatione, ac mundus deliciis, quiete, & voluptatibus. Si ergo ad talem in vnaquaque virtute perfectionem perueniendum sit, satis profecto habebimus, in quo nos, non vna solum die, sed & pluribus, & fortasse etiam annis multis exerceamus.

Ad absolutā indifferentiā exercendi sumus.

CAPVT XVII.

In ipsa mysteriorum consideratione tractim etiam nobis procedendum est, neque illa quidem superficialiter & obiter percurrenda. Aliqua proponuntur media, quæ ad hoc nobis vsui erunt.

PEr magni quoque refert, in ipsa mysteriorum diuinorum consideratione, diutius in vna eademque re permanere, nec obiter præcipitanterque per eadem currere. Plus namque vtilitatis nobis afferet mysterium vnum bene & prout oportet consideratum & expensum, quam multa superficialiter ac leui manu inspecta. Hac de causa in exercitiorum libro tanti B. P. N. ipsas Repetitiones facit, vt post singula exercitia statim, vnam atque alteram eius repetitionem fieri iubeat. quod enim prima vice non inuenitur, fortasse inuenietur perseuerādo: *quia qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* *Matth. 7. 8.*
Moses semel petram virga feriens, aquā non elicuit, sed ictu iterato aqua manare incepit. *Num. 20. 11.* Cęcum illum, de quo in Euangelio, simul & semel Dominus visu non donauit, sed paulatim, & per vices. Primo namque saliuam oculis eius applicuit, rogans num quid videret: respondit ille, se quidem in confuso & rudi modo aliquid videre, sed quid sit, interstinguere non posse; *Video homines*, inquit, *velut arbores ambulantes.* *Marc. 8. 24.* Tum Dominus denuo manus oculis admouens, eum ita persanauit, vt & clare videret, & visa ab inuicem distingueret. Sic & in oratione vsu venit, vt dum semel atque iterum ad rem eandem redimus, & in ea perseueramus, ipsa melius & amplius innotescat.

Sensim dat sua dona Deus.

Perinde ac dum quis obscurum aliquē locum ingreditur, initio quidem nihil prorsus videt; at, si aliquantulum in eo maneat aliquid videre incipit. Particulariter autem semper in ipsa rerum quas meditamur consideratione tam diu nos detineamus oportet, donec plane illustremur, veritatem penitus perspiciamus, & ab ea conuincamur, & id quod facere oportet, resolute proponamus. Hic namq; inter fructus ex oratione eliciendos facile primus est; & in eo bene nos fundari oportet, vti ante dicere memini.

Meditationis finis practica resolutio.

Veniamus iam ad media quæ nobis ad mysteria sic meditanda & ponderanda vsui auxilioque esse poterunt. *Cap. 9.* Quando diuinam suam lucem Dominus emittit, animęque oculos illustrat, tam multa ei consideranda, & in quibus se detineat, occurunt, vt cum Propheta dicere queat: *Reuela oculos meos, & considerabo mysteria & mirabilia de lege tua. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit* post victoriam *spolia multa.* *Psal. 118. 18. & 162.* Qui secundus locus declarat & explicat primum. Sic Beatus Franciscus & Augustinus dies noctesque integras breuium illarum sententiarū, *Nouerim te, nouerim me*, &, *Deus meus & omnia*, considerationi impendebāt. Quæ orādi ratio nō absimilis est illi, q̄ beatos illos cœli ciues in cœlo vsurpare

Isa. 6. 3. ait Isaias, qui in diuinæ illius Maiestatis contemplatione suspensi, incessanter ac perpetuo canunt, & identidem repetunt, *Sanctus, sanctus, sanctus.* Idem & Ioannes in Apocalysi facere ait prodigiosa illa animalia, ante thronum Dei stantia, *Apoc. 4. 8.* *Et requiem,* inquit, *non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.*

Verum vt eo perueniamus, faciamus oportet quod à parte nostra faciendum est; assuescamus scilicet diu mysteriorum ipsorum considerationi insistere, singularia quæ in iis occurrunt bene expendendo, & minutim enucleando; & multo tempore hac in re nos exerceamus. *2. p. Alphab. 76. litt. D. & Alphab. 77. litt. Z.* Vnde etiam Gerson, vnum de præcipuis, quæ ad orationem bene faciendam, adhibere possumus mediis, quodque nobis huc valde conferet. Continuum esse ait eiusdem exercitium. Non est id autem huiusmodi, vt verbis & argumentis doceatur, vt multis auditis concionibus ac discursibus, aut varios de orandi modo conscriptos tractatus legendo addiscatur, sed manu operi admouenda, & in eo nos exercendo. *Oratio non præceptis, sed exercitatione discitur.* Quando suum mater aliqua filiolum docere vult incedere, horam integram non impendit dandis præceptis, quæ ei in incedendo obseruanda sunt, dicendo, vt modo sic, modo aliter pedes figat; sed ipsum potius in eundo exercet, & reipsa facit incedere: atque hoc demum pacto puer incedere discit & assuescit. Hæc itaq; vnica scientiæ huius addiscendæ est ratio.

Et licet verum sit, ad donum orationis, ac aliud quodcunque supernaturale impetrandum, nullum exercitium per se sufficere; sed à liberali & gratuita Domini manu ipsum descendere debere: *Prou. 2. 6.* *quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia,* nihilominus diuina eius maiestas exigit, vt in eo ipsi tali modo nos exerceamus, *Deus exigit cooperationem creaturæ.* tanquam si hac solum via & medio ipsum impetrare deberemus. quia *disponit omnia suauiter*; hinc opera gratiæ disponit conformiter, & ad modum naturalium & sicut reliquæ scientiæ atque artes exercitio acquiruntur, sic etiam hanc exercitio nos cupit edocere. Atque vt cytharam continenter pulsando quis fit cytharedus, assidue incedendo puer incedere discit; ita semper orando, perfecte orandi habitum sibi homo comparat. Atque hanc esse rationem ait Gerson, cur hodie tam pauci contemplatiui inueniantur, quod scilicet hoc exercitium hodie in vsu non sit. In priscis illis Monasteriis tam multos inuenire viros erat, orationis & contemplationis studio insignes: hodie vero vix vnum reperias, qui donum habeat orationis.

Pauci hodie Contemplatiui & orationi dediti. Si autem de contemplatione apud eos sermo fit, non minus attoniti stupent, quam si quem peregrina & barbara loquentem lingua, aut metaphysicas aliquas quæstiones tractantem audirent, quæ non intelligunt. Rei huius causa est, inquit, quod olim sancti illi Monachi assidue se in oratione exercerent; & quos de nouo admittebant tyrones, statim huic exercitio applicarent, &, vt ipsum sibi familiare redderent, omnimodis allaborarent: sicut tum in S. Pachomij, tum in aliorum sanctorum Monachorum Regula legere est. Vnde Monasteriis omnibus veluti maximi momenti rem Gerson suadet, vt spirituales aliquos, doctos, & in oratione exercitos viros habere procurent, qui nouitiis Religionem primum ineuntibus iam inde abinitio orandi methodum tradant, & quo se in oratione modo exercere debeant, præscribant.

Præfectus spiritus orationis curam gerat. Beatus vero Pater noster adeo monitum hoc cordi habuit, & in suis constitutionibus passim inculcauit, vt non modo in principio in Domibus probationis, aliquem esse iubeat, qui Nouitios hunc orandi modum doceat, sed in singulis etiam Collegiis ac Domibus Societatis quendam rerum spiritualium Præfectum designari, qui videat quomodo vnusquisque in orationis exercitio studioque se habeat ac proficiat: quod per-

permagni rem illam ponderis esse intelligeret.

Amor Dei reddit orationem facilem. Est & aliud, quod ad continuationem huius exercitij, & ad in eo perseuerandum ac permanendum non mediocriter adiuuabit, magnopere scilicet erga Deũ & spiritualia affici. Sic de se testabatur *Psal 118.97.* Psalmistes, dum diceret, *Quomodo dilexi legem tuam Domine? Toto die & nocte meditatio mea est*: in ea inquam meditanda omnis mea voluptas sita & gaudium. *Psal.118.47.* *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.* Si porro & nos Deum ex toto corde diligeremus, libenter noctu & interdiu de eo meditaremur, atque ita nunquam nobis meditandi materia deesset. Quam porro mater de filio, quem tenere diligit, libenter cogitat; quam etiam parum longe petitis mentis discursibus & considerationibus opus habet, vt eiusdem recordatione se oblectet? statim namque ac de illo loquitur, omnia illius introrsum viscera commouentur, & sine vlterioribus discursibus ac considerationibus lachrymæ illi ex oculis prorumpunt. *Amor memoriam excitat, & affectum mouet.* Hinc si apud viduam de coniuge eius defuncto, quem maxime amabat, agere incipias, statim eam illacrymantem & suspirantem videbis. Si itaque tantum potest amor naturalis (quid dico amor naturalis? imo si etiam lasciuus & venereus amor ita sæpe amantem, vt videmus, absorbere solet, vt is nonnisi de re amata cogitare posse videatur) quanto magis ipse supernaturalis erga infinitam illam Dei bonitatem & pulchritudinem amor id facere poterit. Longe namque potentior est gratia, quam aut natura, aut culpa. Si Deus vnicus & omnis thesaurus noster foret, statim versus illum totum animi nostri desiderium & cor raperetur: *Matt.6.21.* *vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Libenter id quisque animo voluit & agitat, quod amat, & quo delectatur. Hac de causa de forti muliere ait Spiritus sanctus, *Prou.31.18.* *Gustauit & vidit.* Necnon, *Psal.33.9.* *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* *Gustus & visus se inui-cem iuuant.* Gustus quippe & delectatio præcedit visum, visus vero maiorem delectationem & amorem intensiorem causatur. Hinc etiam S. Thomas, *2.2.q.180. art.7.ad1.* hac de re agens contemplationem amoris esse dicit filiam, quod vnicus fons & origo illius sit amor. Addit insuper, finem illius esse amorem: ex eo enim quod Deum quis amet, ad eum meditandum, cogitandum & contemplandum emouetur; & quo magis perspicit & profundius contemplatur, eo etiam maiori erga ipsum dilectione fertur. Quæ enim ex se bona sunt, si inspiciantur etiam contemplando, nos ad sui amorem inuitant; *Amor contemplationis mater & finis.* & quo diutius ea nos & diligentius inspicimus, hoc etiam ea amamus magis, & maiori ex eorum contemplatione & amore gaudio profundimur.

CAPVT XVIII.

Ostenditur clare per praxin, quomodo in nostra sit manu semper bonam orationem instituere, & aliquem ex eadem fructum capere.

ORatio specialissima & extraordinaria, de qua ante locuti sumus, *Cap.4. & seqq.* singulare & particulare quoddam Dei donum est, quod ipse indiscriminatim & passim omnibus nõ elargitur, sed ei duntaxat cui dare voluerit: at ordinariam ac simplicem orationem mentalem, de qua agendum modo, omnino nemini Dominus derogat. Vnde grauiter errant nonnulli, *Orationis donum Deus nulli denegat.* qui ideo se orationem facere non posse, & eidem habendæ ineptos esse credunt, quod sublimem & opulentam illam orationem & contemplationem non sunt assecuti; cum tamen alia illa orandi ratio & bona sit, & inprimis fructuosa, & illius adminiculo ad ipsius perfectionis culmen possimus pertingere, atque adeo ipsa, si sublimem & elatam illam nobis Dominus dare voluerit,

luerit, optima & commodiſſima ad eandem ſit diſpoſitio. De hac ergo oratione in præſentiarum dicemus, quomodo videlicet in noſtra per Dei gratiam ſit poteſtate, eam ſemper bene & prout oportet peragere, & aliquem ex eadem fructum colligere. quod profecto maxime cuiuſdam conſolationis eſt occaſio.

Duobus porro modis facillime ex iis quæ dicta ſunt id colligere poſſumus. Primus eſt, quia modus orandi, quem B. P. N. nos edocet, in tribus animæ noſtræ potentiis tunc exercendis conſiſtit, per memoriam nimirum intellectus oculis obiiciendo ac repreſentando punctum vel myſterium, ſuper quo nobis erit oratio inſtituenda; deinde per intellectum in ipſum punctum penetrandum eſt, diſcurrendo, meditando, & ea conſiderando, quæ ad voluntatem excitandam commodiſſima videbuntur: ſtatim vero ipſi voluntatis affectus & deſideria ſequantur oportet. Atque tertium illud eſſe diximus præcipuum, ac fructum, qui nobis ex oratione capiendus ſit. Adeo vt non in dulcedine ſenſuali, nec in conſolationibus, quas interdum ſentimus & experimur, ſita ſit oratio, ſed in actibus, quos per animæ noſtræ facultates concipimus. Hoc porro facere ſemper in noſtra ſitum eſt manu, eſto ſimus & aridiſſimi & deſolatiſſimi. Etſi enim pumice ſim aridior, in mea tamen poteſtate eſt, adiuuante Dei gratia, quendam deteſtationis ac doloris de peccatis actum, necnon alium amoris Dei, alium patientiæ, alium humilitatis, alium deſiderij, quo velim contemni & vilipendi, elicere, vt ſic Chriſto Ieſu, qui pro me deſpectus & ſpretus fuit, me conformem.

In actibus voluntatis conſiſtit orationis fructus

Hi actus ſemper ſunt in noſtra poteſtate.

Notandum autem hoc loco eſt, non ideo quempiam dici poſſe bonam orationem facere, aut ex ea fructum haurire, quod hoſce actus cum ſenſibili quadam conſolatione ac voluptate peragat, neu quod magno eorum quæ agit ſenſu perfundatur: neque enim in hoc horum ipſorum actuum bonitas ac perfectio, vti nec eorundem meritum conſiſtit. Eſt autem hoc inprimis notandum; quod vulgo permulti in eo ſatis grauiter errare ſolent, cum contriſtantur & puſillanimes fiant, quod bonam ſe orationem facere non putent, eo quod fortaſſe tantum de peccatis & culpis dolorem, nec tãtum erga virtutes affectum & deſiderium, quantum quidem vellent, non ſentiunt. At ſenſus hi ab appetitu ſenſitiuo ſolum proficiſcuntur; voluntas vero potentia ſpiritualis eſt, nec ab illo vllatenus dependet: proinde neceſſe non eſt, ſuos quempiam actus taliter ſentire; ſed ſatis eſt, vt ſua id voluntate velit.

Bona oratio à voluntate non ab appetitu ſenſitiuo dependet.

Vnde Theologi & ſancti Patres, dum de contritione ac dolore de peccatis loquuntur, pœnitentes hoc pacto conſolari ſolent, ideo, dum peccati mortalis grauitatem ad animum reuocant, contriſtantes, quod in lachrymas toti nequeant reſolui, & ſenſibilem illum dolorem in ſe non ſentiant; nam ipſi quidem ſua vellent viſcera præ dolore diſrumpi. Docentque veram contritionem ac dolorem de peccatis non tam in appetitu ſenſitiuo, quam in ſola voluntate conſiſtere. Ideo te pœniteat ac pigeat peccaſſe, quod peccando offenderis Deum, qui præ omnibus & ſuper omnia amare dignus eſt. Hæc namque vera eſt contritio. Illum vero alium ſenſum, ſi quando eum Dominus dare dignatus fuerit, cum magna gratiarum actione admitte; ſin minus, graue id tibi non videatur, quia tale quid à te Deus non exigit. Certum namque eſt, id illum à nobis non petiturum, quod in noſtra non eſt manu. Senſus porro ille, quem habere velles, ſenſibilis quædam conſolatio ac deuotio eſt, quæ in noſtra facultate ſita non eſt. Aliud proinde à nobis Deus Optimus Maximus nõ efflagitat, quam quod in noſtra eſt poteſtate, dolorem inquam quendam voluntatis, qui ab nulla harum rerum dependet.

Contritio vera quam Deus exigit eſt ſemper in noſtra poteſtate. Non illa ſenſibilis conſolatio.

Idem

Idem de amore Dei sententiendum.

Idem quoque est de actibus amoris erga Deum dicendum; vt Deum scilicet ex tota voluntate nostra super omnia creata diligamus; quia ille amor & fortis & appretiatiuus est, & quem à nobis exigit Deus: at alius nonnisi tener amor est, nec in nostra manu consistens. Idem & de aliarum virtutum actibus, nec non omnibus bonis propositis, quæ concipimus, censendum est.

Sola voluntas sine delectatione ad peccatum mortale sufficit. Ergo & ad meritum.

Rei huius veritas è contrario longe fiet manifestior: certum namque est, eum qui sola voluntate peccatum mortale cupit committere, & in ipsum consentit, etsi alioquin nullo alio erga ipsum sensu feratur, nec delectationem ex eo vllam percipiat, mortaliter peccaturum, & infernalia propter hoc supplicia promeriturum; sic contra, vbi bonum tantum volet, esto nullam aliam ex eo delectationem ac sensum habeat, Deo placiturum, ac cœlestem gloriam promeriturum; præsertim cum ad præmiandum sit Deus quam ad castigandum paratior.

Actus desolati hominis sæpe plus merentur.

Quin imo non raro fit, vt id genus actus, quando ita aride sine vllo gustu ac sensibili consolatione fiunt, magis sint meritorij, Deoque gratiores; quod tunc & puriores sint, & fortiores & durabiliores, & plus homo tunc de proprio in eos conferat, quam dum deuotionem sensibilem experitur. Quocirca id etiam solidioris virtutis, & voluntatis in Dei seruitio firmatioris signum est. Qui enim tales sine vllis adminiculis, sine vllo delectationis sensu ac consolatione spirituali actus peragit, quid faceret, si his suppetiis suffulciretur?

Quare scite Reuerendus Magister ac Dominus Ioannes Auila sic ait: alius ille, ceu infans lactens inter brachia quodammodo adhuc gestatur; hic vero instar prouectioris, suismet nititur & incedit pedibus.

In Monili Spirit. c. 9.

Blosius vero eos qui huiusmodi sunt, iis famulis assimilat, qui suis sumptibus ac dispendiis alicui Domino famulantur. Permagni vero interest, vt hoc modo orationem obire assuescamus: plerique enim mortalium magnam vt plurimum in oratione ariditatem sentiunt, aliæ vero illæ consolationes & gustus nonnisi extra ordinem homini adueniunt.

Plerisque in oratione aridi.

Consolatione deficiente potentiis animæ vtendum.

Quemadmodum ij qui per altum mare triremi vehuntur, quando iam ventus deficit, ipso remorum impetu propelluntur; Pari modo qui se in oratione exercere student, si quando prospero illustrationum & blanditiarum Domini vento destituuntur, potentiarum suarum, à Spiritus sancti gratia impulsarum, remis progrediantur oportet, etsi alioquin ea tam copiosa non sit, nec abundans.

Cap. 14.

Oratio est medium ad perfectionem.

Secundo, possumus huc & alia via peruenire: Oratio enim (vti diximus) non tam finis est, quam medium, tum ad in spiritu proficiendum, tum ad passiones & prauos habitus nostros edomandos vsurpandum, vt via penitus complanata, & impedimentis obstaculisque submotis totos nos Deo dedicemus. Quando ab oculis animæ Pauli Apostoli squamæ & albumina, partim per lucem illam cœlestem, partim per vocem illam diuinam, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*; ceciderunt, quam mutatus subito, conuictus, resolutus, & ad voluntatem Dei faciendam flexilis redditus est, dicens, *Domine quid me vis facere?* Hic bonæ scilicet orationis fructus est.

Act. 9. 5.

Cap. 16.

Ad specialia descendendũ & occasiones præmeditanda.

Dicebamus quoque satis nobis esse non debere, quod generalia quædam ex oratione proposita ac desideria eliciamus, sed sigillatim ad id esse descendendum, quo maxime indigebimus; adhæc animum nos præparare & omnimodis cõmunire debere, ad occasiones quæ per diẽ occurrere possunt ac solent, bene excipiẽdas, & ad in omnibus cum ædificatione aliorum procedẽdum. Hoc porro, vt ad propositum nostrum id applicemus, semper

ſemper, per Dei gratiam, in noſtra manu ſitum eſt; ſemper quippe in id oculos animumque intendere poſſumus, quod ante omnia & maxime nobis neceſſarium eſt. Hic ergo in humilitatem, ille in patientiam, alius in obedientiam, alius denique in mortificationem ac reſignationem ſui, oculos coniiciet; & eorum quiſque ab oratione valde humilis, valde reſignatus & indifferens, ac mortificandi, ſuique ad Dei voluntatem conformandi cupidiſſimus ſurgere contendat; atque adeo id inprimis ſemper ex oratione colligere ſtudeat, vt illo die bene & cum ædificatione proximi viuat, pro ſuo ſtatu quiſque & vocatione. Quod ſi feceris, bonam vtilemque ſane orationem habueris, & meliorem haud dubie, quam ſi multis in eadem lachrymis & conſolationibus ſenſibilibus perfuſus fuiſſes.

Quiſque orationem ad id referat quo maxime indiget.

Hoc ſi quis faciat, nullam dolendi contriſtandique cauſam habet, eo quod multos diſcurſus & conſiderationes non habeat, aut aliis piis ſenſibus & deuotionibus non reficiatur: neque enim in eo orationis vis & perfectio conſiſtit, ſed in illo, de quo ante ſumus locuti. Ipſas quoque diſtractiones, & omnes, quæ inuitos nos importune inter orandum inquietare ſolent, cogitationes, parui faciat oportet (de quo tamen ordinarie conqueri ſolemus.) Vbi ergo eas aduertis, & ad teipſum reflectis, in id ſtatim oculos & manum coniice, quod tibi neceſſarium eſſe comperies, nec non in fructum quem te oportet ex oratione colligere: atque hoc pacto reſarcies & compenſabis tempus, quod per alienarum rerum cogitationem inutiliter tibi effluxit; deque dæmone, qui per impertinentes illas ſuggeſtiones & cogitationes orantem te ita diſtrahere conatus eſt, aliqualem vindictam ſumes.

Talis oratio erit fructuoſiſſima.

Diſtractionū iactura quo pacto reſarcienda.

Eſt hoc perutile ſane orationem bene facere volenti monitum. Quemadmodum is, qui cum aliis itineri ſe dedit, ſi quando in via aliquantiſper dormiuit, & ſocij eum multum antegreſſi ſunt, iam expergefactus, ita feſtinat, vt eos attingat, & vno horæ quadrante tantum itineris conficit, quantum fortaſſe hora tota feciſſet, ſi non dormiſſet. Simili modo tu, quando poſt diſtractionem diuturnam ad teipſum redis, vltimo horæ quadrante ita ſedulo & nauiter negotium tuum agere debes, vt vel eo facias quod hora integra feciſſes, ſi attentior fuiſſes. Teipſum ergo tunc, reſque tuas examina, & dicito, Quidnam erat quod ex oratione colligere volebam? quem ex ea fructum decreueram capere? An humilitatem, indifferentiam, reſignationem, an denique quandam cum Deo conformationem? Hunc ſane nihilominus ex ea colligam, etſi frendente & inuito diabolo? Cum vero toto orationis tempore nec quidquam boni egiſſe, nec eum quem prætendebas, ex ea fructum cepiſſe tibi videberis, in ipſo ſaltem eius examine (de quo poſtea loquemur) id facias oportet, & ſic quicquid in oratione peccatum eſt reſarcies, ac ſupplebis, & ſemper aliquem ex ea fructum colliges.

Cap. 14.

Poſt diſtractionem feruentiora propoſita facienda.

Cap. 27.

In examine ſuppleas quod meditationi defuit.

CAPVT XIX.

Facilia aliquot ſuggeruntur media & modi, quibus adiutus homo bonam vtilemque orationem inſtituet.

SVNT & alij modi iique admodum faciles, qui magno nobis ad orationem bene inſtituendam vſui erunt; è quibus ſimul etiam liquido patebit, quomodo ſemper in noſtra poteſtate ſit, bonam fructuoſamque orationem facere, nec non orationem mentalem omnibus conuenire, atque adeo nullum omnino eſſe, qui eam non queat inſtituere.

1. Quantum ad primum, mire profecto huc facit, quod vitæ ſpiritualis magiſtri quoad hoc commonent. Suggerunt

runt igitur vt omnem ab oratione fictionem fucum atque artificium affectatum excludamus; sed ita nos in ea geramus, vti se vulgo homines in temporalibus suis negotiis gerunt. Hi namque primo serio apud se meditantur quid agant, quem ea successum habeant; & quænam ea adhuc melius peragendi sit ratio. Simili modo simpliciter & sine vllo artificio seruus Dei se, quoad orationem, examinet oportet, à se petendo; Quomodo profectus ac salutis meæ negotia se habent? Hoc vnum namque nostrum negotium est, neque aliam ob rem vitam hanc viuimus, quam vt in hoc serio incumbamus. Religiosus itaque rationes à se exposcens, mature serioque apud se cogitet ac percunctetur, Quomodo isthoc mihi negotium succedit? Quænam hisce decem, viginti, triginta, vel etiam quadraginta annis, quibus in Religione vixi, fructum feci? Quid sum lucratus? Quomodo in virtutibus, humilitate ac mortificatione profeci? Videre volo quam reddere Deo rationem potero commoditatum, opportunitatum, & mediorum, quæ in Religione ad peculium & talentum, quod ab ipso accepi, ad augendum amplificandumque adeo commoda habui. Et, si hactenus tempus meum non recte impendi, nec aliquem ex eo vtilitatem capere potui, melius posthac id volo impendere, atque operam seriam dare, ne eo quo hactenus, vita mea reliqua modo elabatur.

Serio quisque & simpliciter se de vita sua ratione & profectu examinet.

Formula se serio examiminandi.

Ad eundem quoque modum quisque in suo statu simpliciter & sincere, ac sine arte vulla, singillatim apud semetipsum poterit exquirere, quomodo in officio suo se gerat, quomodo id in posterum conuenienter, & secundum Dei beneplacitum acturus sit, negotia sua Christiane facturus, familiam ac domum ita gubernaturus, vt domestici ac subditi omnes Deo Optimo Maximo seruiant; quomodo denique æquanimiter occasiones, modestias, & grauamina, quæ status & officium secum trahit, excepturus. In quo sane sat magnam cogitandi, plorandi & corrigendi sui materiam inueniet. Atque hic optimus & vtilissimus quidam orandi erit modus.

Officii sui rationem à se quisque serio exigat.

2. Narrat de quodam Dei famulo Ioannes Gerson, sæpius eum de se sic referre solitum: Quadraginta & amplius iam sunt anni, quibus omni quo potui studio & contentione orationis artem mihi comparare procuraui, nullum vero ad bene orandum inuenire medium potui efficacius, breuius, & compendiosius, quam me pueri, vel paupe-peres mendici, cæci, nudi, & ab omnibus destituti instar coram Deo sistere. Hoc Orationis genus Prophetæ regio perfamiliare fuisse constat, modo quippe se vocat infirmum, modo orphanum, alias cæcum, nonnunquam inopem, denique & mendicum. Quorum nominum pleni eius sunt Psalmi. Quin & experientia scimus, multos, qui hunc orandi modum frequentarunt, sibique familiarem fecerunt sublime quoddam orationis genus esse assecutos. Hoc ipsum & tu vsurpa, & dare tibi hac via Dominus dignabitur id quod habere desideras. Oratio pauperis, optima est oratio. Vide namque, ait Gerson, quanta pauper patientia & humilitate ante diuitis ianuam paruam aliquam stipem exspectet, quam serio & festine eo se conferat vbi eleemosynam scit erogari. Sicut ergo pauper nudus & derelictus, magna humilitate & reuerētia ante diuitis fores eleemosynā petit, & aliquod necessitatis ab eo suæ remediū exspectat: simili modo & nos in oratione Deo sistere debemus, nostram indigentiam, necessitatem, ac miseriam illi aperiendo, & à liberali & munifica manu eius remedium & opem exspectando. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ*, exspectando quod ipsa datura est: *ita oculi nostri ad Dominum Deum no-*

Guliel. Paris. laudat Gersonem quoad hoc exercitium.

Humilitas orationem, reddit frugiferam.

De monte cōtemplat.

Pauperes in oratione emēdandi.

Psalm. 122. 2

strum, donec misereatur nostri.

Pratum spirit. Villegas in Extrauagant.

3. Abbas Paphnutius in abditissima agens solitudine, cum multa de Thaide meretrice, quæ animarum multarum erat laqueus & pestis, quin imo nonnullorum iurgiorum & cædium caussa, inaudisset, ipsam Deo lucrari & ad meliorem frugem conuertere satagens, habitu sæculari assumpto, & pecunia instructus, vrbem in qua ipsa commorabatur, adiit, ipsamque Deo, occasione ex aliquibus eius verbis sumpta, conuertit; cum enim ipse locum ad peccandum secretiorem peteret, ait ipsa, Certus esse potes hoc loco à nullo mortalium te videndum, sed oculos Dei, quantumlibet secreto loco te abdas, effugere minime poteris, quin ab iis videaris. Ipsa narrationis series longa est; sed relictis aliis circumstantiis, veniamus ad id quod proposito nostro deseruit. Postquam ergo Thaida conuertisset, eam in eremum conduxit, & cellulæ cuidam angustæ inclusit, ipsiusque ostium plumbeo sigillo obsignauit, vnica duntaxat relicta fenestella, per quam quotidie aliquid ei panis & aquæ pauxillum daretur. Cum ergo ab ea Paphnutius iam recederet, petiit ipsa, ecquo orandi genere Deum iratum potissimum placaret? Respondit sanctus Abbas, Ore tuo immundo ipsum Dei nomen nominare non mereris, sed hæc tua erit oratio: Positis in terram genibus, & facie ad Orientem conuersa, identidem dices, *Qui plasmasti me, miserere mei.* Triennio itaque continenter hunc orandi modum seruauit, ipsum Dei nomen ore suo proferre non ausa, sed assidue sibi sua peccata & multitudine plurima, & grauitate horrenda ob oculos ponens, & iis quæ Paphnutius edocuerat verbis, misericordiam eorum & veniam à Deo efflagitans. Tantopere porro hæcce Deo oratio placuit, vt, cum hoc exacto triennio Abbatem Antonium Paphnutius rogaret, suane Thaidi Deus peccata remisisset; suos Antonius Monachos euocatos nocte sequenti iusserit separatim apud se quemque in oratione vigilare, vt horum alicui Deus reuelaret caussam, ob quam Paphnutius eo venisset. Omnibus ergo orationi incumbentibus, Paulus, qui inter discipulos Magni Antonij facile primus erat & præcipuus, quendam in cœlo lectum, pretiosis cortinis & stragulis adornatum vidit, eumque à quatuor virginibus custodiri. Ergo tam pretiosum cubile conspiciens, cogitans intra se dicebat: Nulli alij merces & donum hoc reseruatur, quam Patri meo spirituali Antonio. Hæc animo voluenti, allapsa subito vox de cœlo, quæ diceret, Thalamus hic non Patri tuo Antonio, sed Thaidi peccatrici destinatus est. Et ecce quindecim post diebus eam ad gloriam illam ac cœlestem thalamum Deus est euocare dignatus. Hæc ergo orandi formula tibi sufficiat, ac cogita, aliam qui vsurpes te indignum esse, nec promereri; & magis fortasse Deo per hanc orationem, quam per aliam quamlibet, quam tibi fingis, placebis.

Dei nomen peccatrix nominare non audet.

Oratio Thaidis.

Qui plasmasti me miserere mei.

Paulus videt lectum pretiosum in cælis à Deo Thaidi adornari quem quatuor virgines custodirent.

4. Extat tractatus spiritualis manuscriptus, quem de frequenti communione Monachus quidam Carthusianus conscripsit, in quo res quædam singularis de B. P. N. Ignatio, eiusque sociis refertur, quam se auctor à viro fide digno asserit accepisse. Est autem hæc. Cum illi pro more pedibus, & sarcinulis suis onusti iter Bauinonam versus haberent; vir quidam prius eos intuitus, compassione motus est, sed ad sarciunculas eorum gestandas vltro obtulit, & instantissime eas sibi petiit imponi; quod enim valido esset corpore, iis se ferendis parem aiebat. Etsi vero illi initio eas dare recusarent, tandem tamen importunioribus eius precibus victi dederunt, iter suum prosequendo. Postquam iam ad diuersorium ventum esset

esset, sibi quisque Patrum angulum quæritabat, in quo se recolligeret, Deoque se commendaret. Quod baiulus ille conspicatus, etiam angellum quæsiuit, in quo se, ad illorum imitationem, ad orationem genu flexo componeret. Iter ergo suum postea dum prosequuntur, percunctati illum sunt Patres, ecquid in angulo illo suo faceret? quibus ille: Non ego aliud, quam dicere, *Domine hi tui sunt serui, & ego ipsorum iumentum: quod ipsi faciunt, etiam ipse facere volo*: & hoc ipsum Deo ibi offero. Addit vero auctor ita virum illum per hanc orationem profecisse, vt postea admodum spiritualis factus, sublime quoddam & eminens orationis genus sit assecutus. Quis vero nostrum hunc orandi modum, si modo velit, habere non queat?

[...]ira oratio [...]mani baiuli saranarij [...] P. Ignatij [...] sociorum.

[F]ructus orationis humilis.

5. Cognoui ego senem quendam in Societate nostra Patrem, & quidem insignem concionatorem, qui aliam multo tempore orationem non faciebat, quam magna cum humilitate & simplicitate Deo dicere, *Domine ego sum bestia, & orationem facere nescio, tu me quæso ita doceas.* Atque hoc ipse modo mirifice in spiritu profecit, & ad eminentem quendam orationis gradum peruenit, vt vere in eo locum habuerit illud Psalmographi, *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Tu itaque te humilia, teque vt iumentum apud Deum esse crede; & Deus tecum erit. Multum namque apud Deum potest ipsa sui humiliatio, vt per hanc quis apud diuinam eius Maiestatem egregie rem suam agere, magnasq; gratias queat impetrare.

[H]umilis oratio cuiusdam Patris.

Psal. 72. 23.

Quocirca sancti Patres maximi momenti rem hic notant, scilicet, sicut humilitas optima est boni orationis obtinendi ratio, ita & orationem optimam humilitatis tum impetrandæ, tum conseruandæ & augendæ rationem & medium esse debere. Proinde eum qui bene orare vult, ex oratione semper cum maiore humilitate & confusione sui surgere debere aiunt. Vnde sequitur eum, qui nescio cum qua sui satisfactione, & vana in se complacentia, atque occulta suiipsius æstimatione & opinione ab oratione surgit, credendo videlicet iam multum se profecisse, & spiritualem paulatim fieri, orationem illam vt suspectam habere debere. Si ergo dicas, magnas multasque te habere considerationes non posse, nec ad sublimes contemplationes ascendere; humilia te, & hoc vnum saltem ex oratione elicere stude: nam vt ab hoc te excuses, nulla prorsus subest ratio. Atque ea demum optima erit oratio.

Greg. lib. 2. in Ezech. tom. 17. Chrysost. hom. 5. de pœnit. tom. 5.

Oratio & humilitas sibi inuicem causæ.

Vana complacentia orationis linea.

6. Quando quis in oratione recolligere mentem nequit, sed variis hinc inde cogitationibus & tentationibus agitatus ab ea præpeditur, bonũ sui ad eam introducendi medium id est, quod R. P. M. Auila, in quadam epistolarum suarum suggerit: Abiice te, inquit, humiliter ad pedes Christi, ac dicito: Domine in quantum hoc mea culpa est, summopere sane eius me pœnitet, necnon occasionis & causæ, quam à parte mea ipsi dedi: at in quantum tua voluntas est, pœna & castigatio, quam ob grauia peccata mea, quæ alias commisi, & ob præsentes negligentias & imperfectiones commissas merito commerui, quam libentissime eam accepto, summæque mihi voluptati est, hanc à manu tua crucem, ariditatem, distractionem, desolationem, & derelictionem spiritualem accipere. Quocirca patientia & humilitas hæc valde bona erit oratio, Deoque longe acceptior, quam illa forte oratio, quam ipse habere volebas; vt postea plurib. ostendemus.

Lib. 1. epist.

Humilitas & patientia bonam faciunt orationem.

Tract. 8. c. 16

7. P. N. Franciscus Borgia, si quo die sibi bonam orationem fecisse non videbatur, eo se magis mortificare, maioreq; in omnibus operibus suis diligẽtia & circũspectione ambulare studebat, vt hoc pacto aliquatenus cõmissũ in oratione defectũ suppleret, ꝙ nõ ipse modo facere

In vita.

Male orasti, bene labora.

facere solitus erat, sed vt & omnes sui facerent, suadebat. Hoc scilicet bonum est medium, ad omnes in oratione admissos defectus resarciendos, vti & erit ad bene orationem instituendam.

Nilus de orat. c. 17. & 26. in Bibliot. SS. Patrum tom. 3.

Hinc Abbas Nilus de oratione agens, Quemadmodum, inquit, si quando per diem defectum aliquem, nostri obliti, committimus, & delinquimus, statim ob eum à Deo in oratione castigari videmur, quod vultum ipse suum in ea à nobis auertat: ita vice versa si quando in aliquo nos mortificauimus & superauimus, quamprimum ipsum in oratione experimur, vt eius operis nobis mercedem in ea statim, non dilata solutione, soluere velle Deus videatur. *Quidquid durum & asperum, patienter tolerabis, & fructum laboris tempore orationis reperies.*

In oratione Deus punit mala & bona retribuit.

8. Aliud quoque sanctus ille Abbas ad bene orandum medium, & quidem bonum inprimis, & iis quæ iam iam diximus conforme assignat, dicens: *Si orare desideras, nihil facias eorum, quæ orationi aduersantur, vt tibi appropinquet Deus, & tecum ambulet*, magnasque tibi gratias conferat. In genere vero omnes sibi persuadeant, seruo Dei inprimis curandum, vt cor suum expurget, se mortificet, ab omni sibi crimine caueat, semperque id propositum habeat ac decretum, quiduis potius pati & amittere, quam vel vnum lethale crimen committere. Atque in hoc illi in oratione inprimis intendendum, & identidem insistendum, ac sæpius ipsum iteratis actibus repetẽdum: hoc namque, quamdiu in hac vita mortali agimus, nobis pernecessarium esse; & huic vni fundamento inædificare quemlibet nostrum debere quidquid postea perfectionis vult superstruere. Quod qui fecerit, ne ille perutilem fecerit orationem, nec vllam conquerendi, at potius magnam Deo gratias agendi occasionem habebit, etsi eminentius orandi genus non sit adeptus. Neque enim in eo sanctitas consistit, quod præcellens orationis donum quis habeat, sed quod voluntatis diuinæ exactissimus sit obseruator.

Nihil admittendum quod orationi aduersetur.

Sanctitas non est oratio, sed obseruatio diuinæ voluntatis.

Vnde etiam in eo Salomon sublimem illam suam, quam in Ecclesiaste habet, concionem ac parænesin concludit, dum ait, *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo:* quasi diceret, In eo omne hominis esse, & vniuersum omnium obligationum quas habet, ad implementum situm est; & hoc si habeat, sanctus & perfectus esse potest.

Eccles. 12. 13.

9. Rem omnem medio quodam, quod eximiæ omnibus consolationi sit, volo concludere: quando scilicet in oratione illam introductionem, attentionem, deuotionem, & intimam illam vnionem, quam desideras, non sentis, operam saltem da, vt ipsum ardenter velis & desideres, ita namque supplebis, quod tibi arbitraberis deesse. Neque enim minus bona hæc voluntas ac desiderium Deo satisfacit, quam sublimis quædam & excelsa oratio: nec minus voluntate hac sanctoque desiderio lætatur, quam si tota anima amore liquefacta plene sibi iungeretur.

Desiderium bonæ orationis supplet omnes defectus.

F. Barthol. à martyrib. in compend. spirit. c. 19. fol. 25.

Hoc item medium Deus ipse B. Virgini Gertrudi proposuit, vti testatur L. Blosius. Cum enim sancta hæc quodam tempore quæreretur, quod cor suum tam alte in Deum librare non posset, quam aut ipsa vellet, aut facere debere sibi videretur; cælitus à Deo edocta fuit, satis Deo esse quod homo sincere & ex animo ardens quoddam eius rei desiderium habere velit; cum exiguum & forte etiam nullum ipse in se sentit. Tam magnum quippe homo coram Deo desiderium habet, quam magnum id habere ipse vellet. Et addit, Deum non minus libenter ac deliciose in corde huiusmodi desiderium habente (desiderium inquam ac voluntatem talis desiderij habendi) commorari, quam aliquis nostrum in vernantissimo ac floridissimo prato. Sublimi tua oratione Deus opus non habet; aliud

Desiderio deuotionis contentus est Deus.

aliud præter cor tuuum, non quærit, hoc vnum spectat, hoc loco operis acceptat. Totum te illi in oratione offer, cor tuũ illi præsenta, ac cum tali in ea feruore versari desidera, quo ardentissimi Seraphini coram eo consistunt; & hanc Deus voluntatem pro opere ipso intuebitur ac recipiet. Quocirca ea demum bona, iuxta hanc veritatem, erit deuotio, & optima consideratio, vt scilicet dum in oratione tepidos nos & aridos sentiemus, consideremus, quot serui Dei ea ipsa hora in oratione feruenter agant, forte etiam in lachrymis natantes, atque etiam sanguinem effundentes, imaginemur simul cum illis nos orare; nec cum illis modo, verum etiam cum omnibus Angelis ac spiritibus cælestibus, Deum amando & laudando; nosque ad ea quæ illi agunt referamus, hac ratione supplendo quod ipsi facere non possumus, ex toto corde quin & ore ipso, identidem verba illa Ecclesiæ repetentes, *Cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, &c.* quod ipsi dicunt, Domine, idem dico & ego; quod illi agunt, hoc ipsum & ego facere cupio, & quo ipsi modo te laudant & amant, equidem te laudare, benedicere & amare vellem. Interdum quoq; nobis vtile erit ad nos ipsos referre, ad id scilicet tempus, quo alias bonam fecisse orationem nobis videbimur, dicentes: Quod tunc temporis volui Domine volo modo; sicut tunc me totum tibi obtuli, ita me offero in præsens, & sicut tunc temporis peccatorum me pænitebat & humilitatem, patientiam, & obedientiam desiderabam, sic eam nunc Domine desidero, & à te efflagito.

Aliorum ferventes preces Deo offerenda.

Præteritum ardorem repetens offer Deo.

Ante omnia vero mire fructuosum & vtile exercitium est, opera nostra cum operibus Christi coniungere, & eius, sacratissimæque eiusdem passionis meritis defectus nostros & imperfectiones tam in oratione, quam in reliquis operibus nostris commissos supplere, orationes nostras Patri æterno in amoris & feruoris, quo Christus ipse alias in terra orauit, & ipsum laudauit, vnione, ieiunia vero in ieiuniorum eius vnione offerendo; eum quoque rogando, nostram vt impatientiam per filij sui patientiam, superbiam per eius humilitatem, nequitiam per eius innocentiam supplere & instaurare dignetur. Hoc exercitium Dominus quibusdam de particularibus amicis suis, vt ait Blosius, alias reuelauit, vt hac ratione opera nostra meritoria faciamus, & aliquem valorem iis addamus, atque infinito meritorum Christi thesauro paupertatem nostram subleuemus.

Opera nostra inaurenda operibus Christi Domini.

Hoc exercitium amicis suis Deus reuelat.

Lib. 9. Instit. spirit.

Caput XX.

Satis nobis ea esse debet oratio, quæ hactenus proposita est; nec conquerendum expostulandumue, quod ad aliam illam eminentiorem nequeamus pertingere.

Verus humilis, vt ait Albertus Magnus, ad sublimem & eminentem orationis modum, & extraordinarios illos fauores, quos amicis suis interdum Dominus communicare solet, aspirare non audet, imo ne quidem id petere in cor suum admittit. Tam parui namque se facit, vt omni se gratia & spirituali consolatione indignum existimet: atque adeo si qua interdum consolatione eum Dominus visitare dignatur, nonnisi summo cum timore eam recipit, has se ratus fauores & consolationes minime promereri, neq; eum quem oportet ex iis fructum capere posse. Quocirca, si vere essemus humiles, ea orationis specie contenti essemus, quam hactenus descripsimus: imo singularis

li. de adhærendo Deo.

Tutior oratio ordinaria.

cuiusdam beneficij diuini loco haberemus, quod per viam humilitatis nos deducat. hanc quippe viam insistentes tuti erimus & conseruabimur, in alia illa fortasse euanesceremus & periremus.

Serm. 5. in Quadrag.

S. Bernardus ita nobiscum Deum agere asserit, sicut in hoc mundo patres cum filiis paruulis solent: illi namque his panem petentibus libēter eum dant, at cultrum pani scindendo poscentibus eum negant, quod hunc iis minime necessarium esse norint, at aliquod potius damnum inferre posse, eo sese lædendo; Vnde ipse pater arrepto cultro panem discindit, vt ita puer à labore omni liberetur & periculo. Eo prorsus modo agit Deus; dat nimirum tibi panem discissum, gustus vero & consolationes quæ in emmentissima illa oratione continentur, denegat, ne forte te lædas & noceas, inde superbiendo, dum te esse spiritualem putas, & aliis præfers; Vnde longe maius tibi Dominus dat beneficium, quod diuisum tibi det panem, quam si cultrum daret quo tu ipse eum diuideres: si per hanc orationem magnam tibi det constantiam & generosum propositum ante moriendi, quam peccandi, teque toto vitæ tempore præseruet, ne in vllum lethale crimen prolabaris, quæ à te melior ac fructuosior oratio posset desiderari?

Deus dat nobis vtiliora, quam sint ea quæ petimus.

Hoc quoque respondit filij prodigi pater filio suo primogenito: hic namque tanto videns fratrem suum asotum gaudio, plausu, & exultatione à patre in gratiam admitti, indignari cœpit, & paternas ædes ingredi noluit, dicens, Tanto tēpore fideliter tibi domi sum famulatus, semper iussis tuis filialiter obsecut⁹ & morigerus fui; & nunquā mihi vel hædum dedisti, quem cum amicis meis manducarem, huic vero nepotianti, qui omnem suam substantiam consumpsit, & mandata tua spreuit, vitulum saginatum occidisti, splendidum epulum instruxisti, symphoniam adornasti, atq; aliis lætitiæ modis excepisti: Respondit autem pater, *Fili tu semper mecum es*: id est, Non ideo facio fili, quod illum tibi in amore præferam; tu semper domi & apud me conuersaris: æquum etiam erit, vt, quod ipse tibi præsto, agnoscas & æstimes. An non satis tibi fauoris & beneuolentiæ ostendo, quod te semper apud me detineam? Eodem plane modo se res hic habet: num paruum quid tibi videtur esse; Quod Dominus te semper apud se & in domo sua detineat? Lōgesane maius est, quod perseuerantiæ tibi det donum, & ita te sibi constrictum teneat, vt ab eo nunquam peccando desciscas, quam quod post lapsum tibi manum vti filio prodigo factum, amicam porrigat: sicut etiam maius est, ita teneri te ab eo, vt captum non comminuas, quam post collisionem persanari. Si vero hac ipsa quam habes orationis specie, hoc tibi Deus det, quid conqueris? Si per eam magnam quandam tibi ad omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, peragenda promptitudinem, integram indifferentiam ac resignationem tui in omnibus quæ obedientia tibi præscribit, concedat, quid amplius desideras? Si per eam te in humilitate, ac sui timore conseruet, detque vt caute ambules, ab omnibus te occasionibus & periculis, quæ occurrere queant, præseruando, quam ingemiscendi habes causam? Hic nempe fructus est, qui ex oratione, esto ea etiam sublimior & eminentior foret, tibi colligendus esset; &, licet tibi Deus multas in ea consolationes & gustus daret, ad hoc eas debes dirigere. Hoc porro Deus in simplici hac & ordinaria oratione facit; vt qui orationis fructum & finem, sine extraordinariis illis eleuationum, ac spiritualium consolationum mediis elargitur, vt reipsa experiuntur, qui in eadem perseuerant.

Luc. 15. 31.

Si ordinaria oratione omnia à Deo obtines, quid vltra requiris.

Verus orationis fructus.

Hinc duplici nomine propter hoc Deo grates agendæ sunt: primo, quod ab euanescendi & superbiendi periculo,

Bonitas D. qui nos & in humilitate continet & ta-

men omnia elargitur. lo, quod forte subesset, si alia via conduceremur, nos liberet, deinde quod orationis nobis fructum & vtilitatem completissimam det. Ioseph Patriarcha hinc fratres suos aspere & præfracte alloquebatur, illinc vero saccos eorum frumento repleri, ac laute læteque eos ab œconomo suo haberi iussit. Eodem prorsus modo Deus agit nobiscum. *Gen. 42. 7. & 25.*

Ignoramus essentiam orationis & profectus. Vix intelligimur in quo consistat oratio, vel potius in quo noster situs sit profectus & perfectio, quæ finis & fructus vnicus est, ad quem oratio ordinatur. Sæpe vero dum male res succedit, putamus bene eam succedere; & cum bene, tunc malum eius successum esse arbitramur.

Cap. 18. Tu porro illud ex oratione colligere stude, quod ante colligendum monuimus, ac præsertim vt illam diem bene & cum aliorum ædificatione transigere proponas, vt supra dictum est; & bonam tunc orationem feceris, etsi vel pumice aridior, & saxo durior in ea appareris. Quod nisi ex oratione elicias, ea bona dicenda non est, esto toto eius tempore & lachrymis madueris, & ad tertium vsque cœlum in ea euectus fuisse videaris. De hoc ergo orationis genere posthac noli conqueri; de teipso potius conquerito, ac dicito, In mortificatione, in humilitate, in patientia, in silentio, ac recollectione mentis, non eo quo quidem oporteret modo procedo. *Bona actio orationis finis est.*

De teipso non de Deo querere. Hæc sane bona querela & expostulatio est: per hanc namque de teipso conquereris, quod ea non facias, quæ tibi necessario facienda sunt, & vt facias in tua sunt manu: dum vero de oratione tua conquereris, de Deo conqueri videris, quod eum, quem fortasse velles, ad eum tibi aditum, accessum, quietem, & consolationem non tribuat. Quare bona hæc expostulatio non est, nec (vt Bethuliensis ait Iudith) *est sermo, qui Deum ad misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Et sane patet, quam in hoc secus atque oportet, & inuerso modo procedamus: dum videlicet nequaquam cõquerimur de eo quod nos mortificare, humiliare, vitam emendare (quod tamen in nostra est potestate) nolimus; sed de eo tantum, quod in nostris manibus non est, & à gratuito Dei dono penitus dependet. *Iudith. 8. 11.*

Cura ergo, vt te mortifices & superes, atque illud hic age quod proprie in tua situm est manu; Deo autem relinque quæ ipsius sunt curare: magis quippe ipse erga bonum nostrum afficitur de eo sollicitus, quam nos ipsi: hinc si nos præstiterimus quod nostrum est, securi & tuti esse possumus à parte sua eum, in dando quod nobis conuenit, minime defuturum. Pluribus de eo loquemur, vbi de nostræ cum diuinæ voluntatis cõformitate agendi locus erit, vbi simul querelæ & tentationi magis ex professo & proposito satisfaciemus. *Fac quod in te est, reliqua Deus præstabit.* *Tract. 8. c. 24 & seqq. Vide super c. 5. ad finem ex Bernardo.*

Capvt XXI.

Quæ sint causæ, cur in oratione distrahamur, & quæ distractionum curandarum sint remedia.

Est hęc ordinaria quædam quæstio & documentum; vnde etiam communiter sancti Patres de ea agunt, atque satis in particulari Cassianus. Tribus è causis vel radicibus procedere distractionem in oratione posse docent. Primo è nostra socordia ac negligentia, quod nimirum per diem in nimis multa nos diffundamus cum pauca cordis nostri custodia, & exigua sensuum recollectione. Qui ergo ita effunditur, quærere non debet, vndenam postea orationis tempore distrahatur, & cur eam inire nequeat. Certũ est enim, imagines, figuras, ac *Collat. 1. & 7.* *Distractionum tres causæ.* *Socordia nostra.*

ac repræsentationes rerum, quas animo impressas gerit, postea eum in oratione turbaturas, & inquietaturas. Vnde bene Abbas Moises, Etsi, inquit, in hominis potestate non sit; à variis cogitationibus non impugnari, in eius tamen manibus est, eas non admittere, & dum se ingerunt, reiicere.

Coll. 1. Cogitationes quatenus sint in manu nostra.

Addit præterea in eius quoque manibus magna ex parte esse, ipsam illarum cogitationum qualitatem corrigere, & efficere vt sanctæ bonæque cogitationes occurrant, & illæ aliæ de rebus vanis & impertinentibus imaginationes sua è memoria deleantur. Si enim spiritualibus exercitiis se applicet, lectioni inquam, meditationi, orationi, ac bonis sanctisque operibus imcumbat, bonę sanctæque illi cogitationes occurrent: at, si per diem de id genus rebus non agit, sed vanis & impertinentibus sensus suos pascit, certus sit his de rebus se cogitaturum. Et hoc similitudine quadam commoda declarat, quam item adferunt Anselmus & Bernardus. Hi itaque sancti cor humanum lapidi comparant molari; hic quidem semper molit, sed in eius qui præest, manibus est efficere vt vel triticum, vel hordeum, vel siliginem molat: nam quodcunq; ei iniecerit, illud molet. Pari modo cor hominis semper aliquid agitare & cogitare debet, ac semper molat necesse est tua sed industria ac diligentia facere potes, vt vel triticum, vel hordeum, vel siliginem, vel terram molat; quodcunque demum ei ingesseris, illud agitabit.

Collat. 1. c. 18. Cor lapis molaris cogitationes frumentum sunt.

Si itaque, iuxta hanc doctrinam, in oratione recollectus esse velis, per diem cor tuum recollectum, necnon sensuum tuorum portas bene occlusas habere procures oportet. Libenter quippe cum animabus, quæ sunt velut *horti conclusi*, Dominus conuersatur. Vnde etiam commune id priscorum illorum Patrum erat consilium, & adfert illud Cassianus, *Quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus: ex præcedente enim statu mens atque animus in supplicatione formantur.* Et Sanctus Bonauentura, *Qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit; & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia semina germinabunt.*

Hortum conclusum amat Deus.

Collat. 9. Abbat. Isaac. c. 2

Quales ante, tales in oratione erimus.

De profect. Religios. li. 2. c. 58.

Et quoniam communiter & naturaliter illud quis sæpe cogitare solet, erga quod amore fertur; hinc si quidem cor tuum in oratione stabile ac firmum habere velis, & vt cogitationes de rebus vanis & impertinentibus de memoria tua deleantur & abeant, omnino est erga illas affectus mortificandus, vt scilicet terrena omnia contemnere, & in sola cœlestia oculos tuos coniicere assuescas: & quo magis in hoc proficies & cresces, eo etiam maior cordis tui erit firmitas ac stabilitas, atque in oratione attentio.

Amor attentionem generat.

Solent deinde distractiones interdum à dæmonis, qui aduersarius noster est, tentatione proficisci. Quod enim, inquit Basilius, orationem medium ac canalem esse videt, cuius adminiculo vniuersum ad nos bonum deriuatur, omni quo potest studio & conatu ipsam impedire, & mille in ea remoras nobis obiicere studet, vt isthoc sublato præsidio, facilius illi ad animam nostram per fraudes & tentationes aditus & accessus pateat.

2. causa distractionis Tentatio dæmonis.

Serm. de rerū secul. & spiritual. perfect.

Cass lib. 10. c. 10. Nilus c 44. & 47. de orat.

Eodem quippe modo intercipere nos ille ac subuertere satagit, quo Holophernes dux Bethuliam sibi resistentem. Nam vti ille aquæductus & canales, quibus ad vrbem aqua deriuabatur, incidit: ita omni dæmon ope hunc orationis canalem & conductum aut frangere penitus, aut saltem diuertere connititur, per quem ad animam nostram gratiæ & omnium bonorum spiritualium aqua dimanat.

Oratio est aquæductus gratiæ.

Vnde etiam Climacus asserit, sicut ad campanæ sonitum fideles & Religiosi

Gradu 18. Dæmones ad ſignum orationis aduolant.

gioſi viſibiliter ad Deum tum orandum, tum laudandum in Eccleſia congregantur; ita quoque inimicos noſtros, dæmones inquam, ad eundem inuiſibiliter ad nos tentandos, & in oratione interturbandos conuenire.

De Abbate Marulo.

Quidam de priſcis illis Eremi Patribus (vt in Prato ſpirituali Moſchus tradit) cum nocte quadam ad orandum & pſalmodiam pro more cantandam ſurrexiſſet, ſonitum velut tubalem, quo ad conflictum ineundum videbatur prouocari, audiit. Ad hunc cum turbaretur ſenex, neſciens vnde clangor is in vaſta illa ſolitudine proueniret, vtpote in qua nec milites; nec vllus belli eſſet apparatus; ecce derepente illi apparuit diabolus, & ait, Eſto nullum inſtare prælium & conflictum putaret, minime ipſum tamen defuturum: nam hac dæmones voce ad ſeruos Dei oppugnandos & infeſtandos quodammodo exciri. Vnde, ſi ipſe à conflictus diſcrimine immunis & exemptus eſſe vellet, cubitum concederet; ſin minus, ad imminens certamen ſeſe diſponeret. at ipſe, Domino confiſus, orationi nihil veritus ſe dedit, in que eadem perſeuerauit.

Dæmones tuba euocantur ad impediendam orationem.

Dæmon orationem maxime odit.

Inde vero potiſſimum ipſa orationis excellentia & dignitas apparet, quod eam cacodæmon, cane peius & angue deteſtetur, & quocunque modo poteſt, orantem interturbare atque impedire conetur, vti præclare id Sanctus Nilus Abbas obſeruauit. Quælibet alia bona opera, puta ieiunium, flagra, cilicii geſtationem ægre non feret, nec tantopere ea diſturbare nitetur; at orationi ſi quod tempus impendatur, maxime ipſum torquet, & ipſam omnimodis impedire & ſubuertere allaborat.

Nilus c.44. & 47. de ora. & c.100. & ſeqq. referuntur aliqua exempla circa hoc in Biblioth. SS. Patr. tom.3.

[T]empore orationi maxime tentamur.

Inde fit, vt nonnunquam, dum orationi inſiſtimus, magis exagitemur & tentemus, quam alio quolibet tempore. In ea ſiquidem vniuerſum cogitationum agmen, & moles tota in nos ingruere videtur, ac ſubinde quidem adeo malarum & immundarum, vt non ad aliud orationi nos dare videamur, quam vt ea hora ab omni tentationum genere impugnemur & infeſtemur. In ea namque nobis occurrunt & ſe oggerunt ea, quæ toto vitæ tempore ante nobis non occurrerunt, neue in mentem vnquam venerunt; adeo vt in tempus orationis omnia reſeruari videantur. Cuius rei cauſa eſt hæc: nam quoniam diabolus orationem vnicum eſſe nouit omnium malorum noſtrorum remedium, necnon vniuerſorum bonorum ſpiritualium fontem & principium atque adeo efficax quoddam ad omnes virtutes obtinendas medium, hinc illi ea ſummopere diſplicet & omnem ipſe adhibet conatum ad illam omnimodis impediendam.

In oratione ſunt omnia.

Atque adeo à ſanctis Patribus oratio partim tormentum, partim flagellum dæmonum appellari conſueuit. Quod ipſum nobis ad eam maioris faciendam, & ſerio magis illi incumbendum, ſtimulus eſſe debet & motiuum, idque eo magis, quo magis cacodæmonem ex inuidia ab ea nos diuertere & abſtrahere velle videmus.

Oratio flagellum dæmonũ.

Hinc ſancta mater noſtra Eccleſia, à ſpiritu ſancto gubernata (vt quidem Sanctus Thomas, Abulenſis, & alii graues auctores obſeruant) aduerſarii noſtri mores & conſuetudinem, toto ſcilicet conatu ſuo tentandi & oppugnandi eos qui ſe orationi impendunt, probe cognitam habens, decreuit ſalubriter vt ad ſingularum Horarum Canonicarum initium verſiculus ille, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina*, diceretur: quo gratiam & opem à Domino petimus ad eo quo optaret modo orandum, & vt nos nos ab inimicorum noſtrorum inſidiis ac tentationibus tueri dignetur.

Deus in adiutorium meum intende: cur præmittatur horis. Pſal. 69.1.

Tertio, hæc diſtractiones & cogitationes, nonnunquam è nulla noſtra culpa, ſed propria duntaxat imbecillitate & infirmitate noſtra ortum habent: ſumus namque ita debiles & miſeri,

3 cauſa Diſtractionis imbecilitas noſtra.

seri, & natura nostra per peccatum adeo sauciata & destructa fuit, ac præsertim ipsa facultas imaginatiua, vt ne vnam quidem orationem Dominicam recitare possimus, quin à variis & impertinentibus cogitationibus interturbemur, vti gemens deplorabat Sanctus Bernhardus. Quamobrem vtile fuerit, hoc ipsum quod patimur, in orationis materiam sumere, nosipsos humiliando, dum consideramus & agnoscimus, quanta nostra sit fragilitas & delitias: hæc namque humiliatio, & propria suiipsius agnitio, optima futura est oratio. Verum præter hæc & alia quædam remedia, quæ cum sancti Patres, tum vitæ spiritualis magistri suggerunt suppeditabimus.

Remediū imbecillitatis ipsa eius agnitio.

Capvt XXII.

Aliqua alia dantur media, ad attente reuerenterque in oratione versandum.

In regul. breu. 201. & 306. & in Constit. ad Monachos solitar.

Qværit Sanctus Basilius, quomodo cor suum homo in oratione firmum, attentum, & non distractum habere poterit? ac respondet, nullum ad hoc præstantius aut efficacius medium esse, quam si consideret se coram Deo versari, & ab eo se, qualiter & quomodo oret peruideri. Si enim dum cum terreno aliquo Principe loquitur, valde reuerenter & magno cum respectu se gerit, ad singula quæ agit, necnon ad gestus & modum, quo eadem agit, attendens, & ceu summam inurbanitatem duceret, si aut tergum Principi obuerteret, aut sermones aliquos impertinentes proferret; quid non facieri ille, qui attente considerat se coram diuina Maiestate agere, & ab ea non exteriora sua duntaxat, sed & intima cordis sui penetralia perspici? Quis, inquit, fruiturus est, qui oculos & animum ab iis quæ agit, diuertere, aut Deo tergum obuertere audeat, & coram illo impertinentia quædam cogitare præsumat?

Consideratio præsentiæ Dei tollit distractiones.

Hac porro sanctus ille Monachus Iacobus, cuius Theodoretus meminit, comparatione & consideratione, quam magna hæc irreuerentia foret, declarabat, quam & Sanctus Augustinus alibi adducit: Si, inquit, homini cuidam, qui eiusdem mecum naturæ sit, equidem famularer, & eo ipso tempore, quo cibum & potum illi adferri oporteret, cum alio quodam seruo fabularer; an nos iustam ille mei & reprehendendi & castigandi rationem haberet? Si item cum Iudicem quendam adiissem, illi, quas alius quispiam mihi intulit, iniurias enarraturus, ego semiprolata verba adhuc in ore habens, eum relinquerem, dorsumque illi verterem, cum alio quopiam de præsentibus loquerer, an non me tibi videtur Iudex ille merito vt inciuilem habiturus, ac tribunali suo vt male moratum exterminaturus? Id faciunt illi, qui, cum ad orationem sese conferunt, cum Deo collocuturi distrahuntur, de aliis ad orationem non pertinentibus rebus cogitantes.

In histor. SS. Patrū c. 24.

In Psal. 85.

Similia quib. declaratur irreuerentia voluntaria distractionis.

Hoc item medium nobis assignat Beatus Pater Noster in vna Additionum & Notationum, quas ad orationem bene faciendam suggerit. In ea quippe monet, vt paulo ante quam orationem auspicemur, spatio quo oratio Dominica recitaretur, mentem in cælum librantes, consideremus à Deo nos coram videri, ac proinde magna quadam cum reuerentia & humilitate eandem aggrediamur.

In lib. Exercitior.

Præmeditāda oranti Dei præsentia.

Ipsa vero durante meditatione procurandum, ne hæc Dei præsentia nobis excidat, iuxta illa Prophetæ: *Psalmo 18. versiculo 15. Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Imaginare, inquit Chrysostomus, te, cum ad orationem accedis, in aulam illam cælestem ingredi, in qua Rex Regum stellato sedet solio innumeris tum Angelis, tum

In illud P. 4. Miserere mei, &c. t. 2. Orans cælum ingreditur.

lis, tum sanctis circumcinctus, teque ab omnibus illis inspici ac considerari, secundum illud Apostoli, 1. *Corinthiorum 4. versic 9. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Consulit item Bernardus, quod sane & ipsummet vsurpasse & practicasse verisimile est: *Veniens,* inquit, *ad Ecclesiam pone manum tuam super os tuum, & dic: Exspectate hic cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, vt videas voluntatem Domini, & visites templum eius.* Ait vero Climacus, eum, qui, quando orationem peragit, serio considerat, in Dei sese conspectu versari, ceu solidam & immobilem quandam columnam esse, quæ locomoueri nesciat; ac refert, se quadam vice, cum Religiosum quendam præ cæteris in Psalmis decantandis attentiorem notasset, &, præsertim sub initium hymnorum, è vultus gestusue mutatione eum velut cum alio quopiam colloqui colligeret, ex eo deinde petiisse, vt sibi diceret quid hæcce mutatio significaret. Dixisse vero Monachum, Equidem in ipso diuini offici exordio magno quodam studio mentem meam ac cogitationes soleo recolligere, easque ad me aduocans, dico, *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.* Omnes illæ considerationes ad attente & reuerenter in oratione agendum, bonæ sunt & inprimis vtiles.

S. Bernardi præparatio.

In scala spirit. gradu 4. & 18.

Memor præsentia Dei sit stabilis vt columna.

Modus Ante orationē mentem excitãdi.

Alii vero suadent, vt deprecans & meditans se coram sanctissimo Altaris Sacramēto supplex prosternat, si quidem in eo versetur loco in quo ipsum commode facere potest, sin minus, notet saltem, versus quam partem diuinissimum Sacramentum proximum sit, & eo cor suum conuertat.

Coram SS Sacramento orandum.

Alii, vt pias aliquas imagines inspiciat & contempletur.

Alii imagines, cælū alii aspiciunt.

Aliis porro ad hoc solemne est, oculos cælum versus conuertere.

Quin etiam vt bonum habetur, vt quis se, dum in oratione distractus est & aridus, expergefacit, orationes aliquot iaculatorias proferre, & vocali oratione Deum compellare, suam ipsi imbecillitatem debilitatemque repræsentando, & vt ei medeatur, rogando, ac dicere, *Isa 38, v. 14. Domine vim patior, responde pro me.* Cæcus ille Euangelicus etsi cum clamantem Christus Dominus audire nolle se fingeret, & tacitus pertransiret, quin etiam turbæ illi silentium indicerent, non propterea desiit clamare, quin imo vocem efferre cæpit altius ac dicere, *Luc. 18. v. 38. Iesu Fili Dauid, miserere mei.* Hoc ipsum & nos imitari par est, &, tametsi nos Dominus audire nolle se fingat, nosq; non visitet, esto etiam ipsa cogitationum ac tentationum turba & multitudo silere nos iubeat; non propterea à clamando desistere, sed altiori voce dicere, *Iesu fili Dauid miserere mei.* Et, *Confirma me Domine,* & cor meum *in hac hora,* vt de te cogitare, & in oratione firmus & constans esse queam.

Iaculatoriis alii se excitant.

Marc. 10. 47.

Deus pia prece cogendus, nec distractionibus cedendum.

Iudith. 13. 9.

Quare bene sciteq; dicebat sancta illa: Si non potes corde tuo cum Deo loqui, ore saltē sæpe loquere: quod enim sic idē, tidem lingua repetitur cor facile incēdit, & feruorem aliquem producit. Quin etiam seipsa fatetur interdum mentalem orationem ideo facere non potuisse, quod vocales illas orationes, cum à socordia, tū somno prægrauata & impedita omisisset. Quod & nobis ipsis subinde vsu venit, vt, dum ex pigritia, vel torpore, vel quod semisopiti sumus, loqui in oratione desinimus, si rursus loqui incipiamus, statim expergiscamur, & cæptam orationem nouo quodammodo collecto vigere prosequamur.

S. Angela de Fulgino cap. 88. & 62.

Cor frigidum oris flabello accendendum.

Vocalis oratio iuuat mentalem.

Gerson ad hoc, bonam euitandarum distractionum rationem esse ait, ipsam meditationis materiam bene præparasse, & diuersa ad orandum puncta optime digessisse: quia hoc pacto quis, dum distrahitur, statim vbi id aduertit, punctum suum quod certum & constitutum habebat, resumit: ad quod si commode nequeat recurrere, quamprimum aliud ex iis quæ præparauit,

Materiæ commoda distributio distractionibus resistit.

uit, punctum aggreditur, longeque facilius orationis suæ filum sic connectit. Ipsi quoque, quando nos examinamus, comperimus distractionem & euagationum mentis, sæpe non aliam causam esse, quã quod puncta & capita meditationis ordinatim nõ digessimus, nec certos ac præfinitos quosdam limites nobis constituimus, ad quos inter orandum ceu ad signa quædam nota respiceremus.

Præterea hocce monitum, vti & id quod sequitur, pernecessaria sunt vt quis debita eum præparatione ad orationem accedat: Vnde etiam B. N. P. nobis verbis amplissimis & efficacissimis illud inculcat. *Magnopere iuuabit*, inquit, *ante ingressum exercitij tractanda puncta comminisci, & numero certo præfinire.* Quod & ipsum sedulo legimus obseruasse, & non modo sub initium conuersionis, verum etiam postea in senectute, meditationis materiam vesperi prælegere & præparare, & in hac cogitatione lectum petere solitum. Ne quis putet id à solis Nouitiis requiri.

Lib. Exercit. notab. 3. hebdom. 4.
B. P. Ignatius pridie se ad meditandum parabat.

Idem omnibus serio faciendum.

Et esto, quis meditationis materiam & exercitium optime norit, quod eam alias sæpe sit meditatus; nihilominus consultum est eam denuo præparare? præsertim quod, cum illa vt plurimum sit è verbis sacræ scripturæ, quam spiritus sanctus dictauit, deprompta, horum in quiete & per otium lectio nouam attentionem & deuotionem, ad eadem meditanda, & maiorem ex iis fructum colligendum, excitet.

Prima diei cogitatio sit ad meditationẽ excitatio.

Permultum quoque ad nos iuuabit, vt statim atque somno experrecti sumus, omnem aliam cogitationem excludendo, de exercitio quod meditandum est, cogitemus, ad orationem nos per considerationem aliquam rei, quæ meditatione excutienda est, accommodatam præparando. Hanc doctrinam Cassianus, Bonauentura, nec non Ioannes Climacus permagni faciunt; inde namque totum orationis successum, & per consequens bonũ totius diei processum directionemque dependere. Et aduertit bene Climachus, dæmonem, cum tanti momenti id esse videat, sedulo exspectando adiuigilare, vt dum è somno expergiscimur, statim cordis habitaculum occupet, itaque totius diei primitias sibi præoccupet.

Cap. 22.
Dæmon primitias cogitationum præcerpere conatur.

Additque præterea, inter spiritus malignos esse aliquem quem *præcursorem* nũcupant; cuius eæ sunt partes, vt, quando de nocte è somno excitamur, oppugnando nos statim aggrediatur, etiam antequã plene experrecti simus, & tum cum nondum plane homo sui compos est, vt fœdas & obscænas nobis imagines, aut saltem impertinentes obiiciat, vt sic diei totius sibi possessionem capiat; quod hunc totũ cessurum putet ei, qui primo cor occuparit. Quocirca permagni nostra interest, vt & ipsi diligenter aduigilemus caueamusque ne quem huic diabolicæ nequitiæ in corde nostro locum demus, sed vt, quamprimum atque expergiscimur, etiam vixdum plene oculis apertis, ante aliqua cogitatione de Deo cor nostrum sit præmunitum, quam peregrina aliqua imaginatio ad ipsum penetret.

Is Dæmon præcursor à Climaco nominatur.

Huius quoq; rei serio nos commonet B. P. N. Ignatius, additq, idipsum aliquo modo etiam obseruandum, cum alio extra ordinem tempore oratio instituitur, vt sc. paulo ante quam ei nos demus, animum recolligamus cogitemusq; quo vado, coram quo sum compariturus? & exercitium meditandum breuiter, percurrat perinde ac testudinis chordas pertẽperat qui eandem est pulsaturus. Atque adeo in genere. B. P. N. ab huius & similium aliorum præceptorum, quas ipse vocat Additiones, obseruantia, magna ex parte, bonam dicebat orationem, & fructus ex ea collectionem dependere. Nos ipsi quoq; ita se rem habere vt plurimum experimur, sc. cum bene præparati sumus, & hæc præcepta obseruamus, bonum orationis successum esse; sin minus, malum.

Lib. Exercit. spirit. addit. 2. prima hebdomad. & addit. 5. hebdo. 2. & in 1. modo orandi.
Meditatio ante orationem percurrenda.

ex Additionibus pendet successus Meditationis.

Monet per Ecclesiasticum Spiritus sanctus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse, quasi homo qui tentat Deum* *Eccl. 18. 23.*

2.2.q.97. art.3. ad 2. In Regul. Nouit. c.2.

Deum tentare quid sit?

Deum. In quæ verba notant S. Thomas & Bonauentura, eum, qui sine debita præparatione ad orandum se componit, Deum quodammodo tentare. Nam, vt docent Theologi ac sancti Patres, Deum tentare, nihil est aliud, quam aliquid ab eo impetrare velle, ordinatis & necessariis ad hoc mediis non adhibitis. Perinde ac si quis diceret, Nolo comedere, quia potest me Deus sine vllo cibi adminiculo sustentare: ipse me certo alet & pascet; esset hoc tentare Deum, & sine vlla necessitate miraculum fieri postulare. Sic respondit Saluator noster Christus tum, cum ei ad templi pinnaculum subuecto persuadere cacodæmon est conatus, vt se deorsum iaceret; Deum namq; Angelus missurum, qui eum cadentem manibus suis exciperent; *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum*: equidem possum per templi gradus descendere; alterum illud, esse & Deum tentare, ac vt citra necessitatem vllam miraculum patraret, petere. Tam præstans ergo & necessarium ad bene orandum medium est, ipsa præuia ad eam præparatio, vt dicat Sapiens, eum qui sine illa orare gestit, Deum quodammodo tentare, & velle vt miraculose secum agat. Vult quidem Dominus vt bene, attente, ac reuerenter oremus, sed hoc nonnisi per media ordinaria & solita fieri vult, ad eam nimirum eo, quo diximus modo, nos præparando ac disponendo.

Matt. 4.7.

Sine debita præparatione velle orare est Deum tentare.

Capvt XXIII.

Qua se consolari re queant illi, qui in oratione à distractionibus inquietantur.

In Constit. Monast. c. 2.

Distractiones voluntariæ Deum offendunt.

Tvnc solum (vt ad eorum, quos hæc tentatio inquietat, consolationem notat Basilius) in oratione per has cogitationes & distractiones Deus offenditur quando quis propria sua voluntate, sponte, aduertenter, & videndo id quod agit, in oratione distrahitur, & parua cum reuerentia & respectu in ea versatur. Quisquis ad orandum cum deliberato de studiis, officio, aut rebus agendis in oratione cogitandi proposito ac voluntate se componit, reuera meretur vt ei oranti Deus non intendat vel auscultet, sed potius eum propterea castiget. Quocirca egregie Chrysostomus, *Tu non audis, ait, orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam?* Porro quando quis in oratione moraliter facit quod in se est, & quidquid potest, ac nihilominus ex infirmitate distrahitur, & tantam, quantum forsitan vellet, habere attentionem non potest, sed cor hominem deserens ac peregrinans alio diuagatur, iuxta illud Prophetæ, *Cor meum dereliquit me*; tunc adeo Dominum propterea non offendit, vt eum ad compassionem & misericordiam potius flectat. Ipse siquidem infirmitatem & debilitatem nostram perspectam habet. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Id est, quemadmodum pater, qui filium mentis impotem habet, ei compatitur, & magna commiseratione emouetur, quoties eum sensate loqui incipientem in stolidas ineptias & deliramenta desinere videt: ita quadam clementissimus ille pater cœlestis nostri miseratione & compassione tangitur, dum tantam esse naturæ nostræ debilitatem & infirmitatem videt, vt, quo tempore quam sensatissime cum illo nobis agendum est, quam primum in sexcentas cogitationes impertinentes & ineptas dilabamur. Quare etsi nullam omnino in se quis deuotionem & dulcedinem spiritus sentiat, sed insignem potius ariditatem, & quendam variorum cogitationum & imaginationum conflictum, & toto orationis tempore hoc pacto turbetur, non propterea minus hæc eius oratio Deo optimo maximo placet, minorisque in diuino eius conspectu valoris est aut meriti; quin imo sæpe numero & gratior & magis meritoria

Hom. 17. in varia loca Matt. tom. 2.

Non inuoluntaria.

Psal. 39.13.

Ps. 102.13.

Oratio arida sine culpa sæpe plus meretur.

toria esse solet, quam si magnam in eadem animi deuotionem & consolationem sensisset, quod maiorem in illa pro Dei nomine laborem difficultatemque subierit ac perpessus sit: neu minus per illam orationem gratiarum, neue pauciores ad melius Domino seruiendum, & magis in virtute & perfectione crescendum dirigentes fauores consequitur, quamuis eos ipse non percipiat. Prorsus sicut ægroto cibos quosdam succulentos & vegetantes comedenti contingit: hic enim quamuis nullum in eorum sumptione gustum saporemue, & magnam potius afflictionem ac cruciatum percipiat, nihilominus reuigorescit, eorumque adminiculo conseruatur, & vires pristinas recuperat.

Oratio non intermittenda, sed distractionibus fortiter resistendum.

Ex supradictis videre erit, insignem diaboli illusionem, grauem tentationem esse, dum ideo solum quis orationem intermittit, quod à variis cogitationibus & tentationibus impertinentibus dum orat diuexetur. Hoc duntaxat hic admonendum, vt, scilicet caueamus, ne hac occasione, & per speciem debilitatis quasi plura præstare nequeamus, nescio quis tepor ac remissio in animum nostrum irrepat, cum præsertim quocunque, à quolibet vento leui negotio abripiamur, dum cogitationem & imaginationem, quocunque voluerit, libere exspatiari ac diuagari sinimus, vti postea copiosius suo loco ostendemus: sed vt faciamus quod in nob s est, accurate inquam ac diligenter omnes cogitationes inutiles dispellamus & abigamus, sicut olim Abraham Patriarcha aues arcebat & fugabat, ad sacrificium suum importune aduolantes. Quod cum pro eo atque oportet, ac quantum possumus præstiterimus, non est quod amplius nos discruciemus. S. Brigitta, vt in vitæ eius historia legimus, cum quadam vice inter orandum grauibus tentationibus diuexaretur, B. Virgo illi apparens, ait, Cacodæmon omne bonum hominibus inuidens, ipsos dum orationi incumbunt, omni qua potest arte & modo impedire & disturbare satagit: at tu filia, etsi à quibuscunque in ea tentationibus, tametsi impertinentissimis, diuexeris, atque adeo eas dispellere non posse tibi videaris, da operam vt in bona tua voluntate & sanctis desideriis, prout poteris, perseueres; & erit hæc optima & vtilissima oratio, summique apud Deum meriti. Supra porro optimum quoddam, ad recuperandum id quod per distractionem videmur amisisse, medium suggessimus.

Tract. 8. c. 30.

Gen. 15. 11.

Refert Blosius c. 3. Monilis spirit.

Constantia distractionum iacturam resarcit.

Capvt XXIV.

De tentatione ad somnum, vnde ea proueniat, & eius curandæ remedia suggeruntur.

Tentatio ad somnum, quæ est noua quædam distractionis species, nonnunquam à causa aliqua naturali habere ortum potest, puta à somni defectu, à magna corporis defatigatione ac labore, tum à tempore ipso, & ætate, denique à nimio cibo ac potu, etsi is etiam sit aqua. Interdum vero à mera dæmonis tentatione oritur. Sic sibi veteres illi sanctique eremi Patres commemorabant, à Deo in spiritu ostensum, quosdam esse dæmones, qui Monachorum ceruicibus & capitibus insistentes, eas ad dormiendum inducerent; alios vero, qui digitum ori inserendo, eosdem oscitare facerent. Alias hoc à nostra tepiditate ac negligentia nascitur, & quod eo interrogandum simus situ, qui facile somnum conciliet, & ad stertendum inducat. Præcipuum, quod quoad hoc datur remediū, est id hoc quod supra, ad attentionem in oratione habendam, dedimus, vt nimirum recordemur, in Dei nos conspectu versari. Nam vt qui ante Principis oculos versatur, dormire non audet:

Somnus varis de causis oritur.

Dæmones somnum & oscitationem procurant.

Cap. 12.

Memoria præsentiæ Dei somnum fugat

det: ita nos, si consideremus, in diuinæ maiestatis oculis nos agere, & à Deo omnituente videri, non parum erubescere oporteret, quod in oratione obdormiscamus. Bonum quoque remedium est, in pedes stare, inniti, frigida oculos madefacere: vnde etiam solent nonnulli panniculum humectatum penes se dum orant habere, vt eo oculos madefaciant, dum ab hac tentatione impugnantur. Alii vt soporem hunc pellant, vel cœlum assidue intuentur vel lumen ante se accendunt, vel coram sanctissimo Sacramento Altaris aut apud alios etiam orationem instituunt, vel denique se ipsi ante flagellant, quam ad orandum accedant; & hoc pacto se exercitant, ac deuotionem concipiunt. Alii etiam in ipsa oratione aliquem sibi doloré infligunt, quo sese exstimulant, atque adeo, cum soli sunt, nec ab aliis videntur, aliquantisper in modum crucifixi brachia sua extendunt. Huc etiam non parum confert subinde vocaliter loqui, aut vocales aliquas orationes fundere, per quas, vt supra diximus, homo mirum in modum excitatur & vigoratur. His aliisque id genus remediis nos tunc consultum est vti, Dominum rogando, vt ab hac nos infirmitate curare dignetur.

Naturalia remedia.

Vocalis oratio iuuat meditationem.

Cap. 22.

Religiosus quidam ex ordine Cisterciensium, vt eiusdem instituti monachus Cæsarius in suis Dialogis refert, cum sæpius in oratione obdormiret, quadam vice illi Redemptor noster Iesus Christus crucifixus auerso vultu, & tergum obuersum habens, apparuit, dixitque, Quia negligens & torpidus es, idcirco faciem meam non mereris aspicere. Alium vero, vt ibidem refertur, multo asperius corripuit: cum enim is in choro agens, in oratione more solito obdormisset, venit ad eum crucifixus de altari, ac talem illi alapam ad maxillas infregit, vt ex ea triduo post exspiraret. E quibus omnibus satis colligere est, quantopere hæc Deo negligentia ac tepor displiceat. Religiosus quippe torpidus, segnis ac tepidus (vt eo loco Cæsarius ait) Deo nauseam ac vomitum mouet, iuxta illud Apocalypseos, *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.*

Lib. 4. Dial. cap. 29.

Lib. 4. c. 38.

Deus grauiter arguit dormientes in oratione.

Apoc. 3. 16.

Petrus Damianus de S. Abbate Romualdo, Camaldulensis instituti fundatore, deque Monachorum eiusdem oratione loquens, tam graue piaculum apud eos haberi solitum asserit, vel aliquantulum in oratione dormitare, vt qui in hanc culpam incidisset, illum ea S. Romualdus die sacrum Missæ mysterium celebrare prohiberet, quod irreuerenter & indigne in illius Domini conspectu esset versatus, quem erat in altari recepturus.

Dormientes prohibentur sacrificio Missæ.

Caput XXV.

Quanti referat extraordinaria aliqua tempora seligere, vt iis amplius orationi insistamus.

Sicut homines mundani, ad corporis sui refectionem, præter quotidianam & ordinariam cibi sumptionem, extraordinarias quasdam habent recreationes & conuiuia, in quibus plus quam assueuerunt comedere solent: sic æquum nos est, præter quotidianam orationem, spirituales nostras festiuitates & epulas habere, in quibus animæ nostræ, non iam ad mensuram ac dimensum, vti aliis diebus solent, comedant, sed ab abundantia dulcedinis & gratiæ Domini repleantur. Hoc ipsum autem & natura luculenter nos docet: siquidem non satis illi est res, singulis noctibus in terram decidens; sed vult, vt præterea interdum per integram, aut etiam duos septimanas continua pluuia decidat. Nec sine ratione, vt scilicet hoc pacto tellus ita ab aquis penetretur & immadescat, vt nec eam solares æstus, nec arida ventorũ flabra, quæ postea superuenient, queāt arefacere. Ad eundē modum par est animas nostras, præter quotidianũ & cōmunem rorē, singularia aliqua habere tempora, in quib. ita ab virtutib. & medullato deuotionis succo adimpleātur, vt nec occupatio-

pationibus externis nec tentationum ventis, nec mundi succeßibus casibusue ea exarescant. Sic legimus se non paucos viros sanctos, quin & Ecclesiæ Prælatos, occupationibus & negotiis suis ad tempus intermisßis, sæpius per annum ad aliquot dies in locis secretis & sequestratis recolligere solitos, vt sic magis orationi ac contemplationi vacarent. Ita S. Abbas Arsenius vnum ad hoc singulis septimanis seligere diem (sabbathum inquam) solitus fertur, qua nimirum, iam inde à vespera diei præcedentis vsque ad sequentis exortum, in oratione perseuerabat.

S. Arsenius totum Sabbathum orationi dabat.

Vtile porro id est, non tantum ad in virtute magis magisque proficiendum, verum etiam ad minime retrogrediendum: tanta namque hominis est imbecillitas & miseria, tanta nostra ad malum proclinatio, vt etsi nonnunquam cum feruore spiritualia nostra exercitia incipiamus, statim à primæuo illo feruore, cum quo cæpimus, sensim deficiamus & segnescamus. Quemadmodum aqua, quantumuis efferueat, si eam ab igne remoueas, mox paulatim ad naturalem suam frigiditatem redit: pari modo ipsi quamprimum ad teporem & remißionem nostram naturalem reuertimur, quæ etiam nobis magis insita ac naturalior videtur, quam aquæ frigiditas. Dicit quippe Spiritus sanctus: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et, *Quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.* Atque vti è nihilo sumus, ita ad nostrum nihilum ilico redimus. Huc accedit, ideo etiam magis hac nos re opus habere, quia adeo occupati & distenti sumus hic quidem studiis, ille suis ministeriis ac functionibus, alius officio suo & occupationibus exterioribus. Nam, quamuis hæ occupationes bonæ sint ac sanctæ; tamen, sicut culter ex quotidiano vsu hebetescit, & subinde ad cotem exacuendus est, quod eius acies & chalybs factus sit obtusior; ita nos, dum aliorum salutem procuramus, paulatim in spiritu obtundimur, propriamq; salutem negligimus. Axioma præterea Philosophorum est, *Omnis agens agendo patitur*, ac seipsum destruit. Et id in seipso quisque satis experitur. Quocirca permagni refert subinde nos recolligere, à reliquis omnibus occupationibus mentem subducendo, quo hocce damnum sic resarciamus, quotidianum illud detrimentum reparemus, nouas quoque vires ad semper vlterius procedendum acquiramus: magis quippe erga nosipsos, quam erga proximum, obstricti sumus, & bene ordinata caritas à semetipsa incipiat oportet.

Recollectio extra ordinaria arcet teporem.

Gen. 8. 21.

Sap. 12. 10.

Aliis seruiendo consumimur.

Quin & id ad ipsum proximum iuuandum promouendumque permultum interest. Certum namque est à maiore profectu nostro etiam maiorem proximorum profectum dependere: ac proinde nullum, quoad proximum, tempus homo deperdit, dum id sibi impendit; at potius lucrifacit: perinde vt agri nouales interquiescere ad annum sinuntur, vt post proximo maiori prouentu luxurient. Vnde Magister Auila hanc animi recollectionem similem esse aiebat lapidis molaris redacutioni, qua is reddatur ad molendum aptior. Quamobrem quod quis pluribus occupationibus distinetur, adeo causa non est, vt hanc spiritualem recollectionem fugiat, vt, quo erit occupatior, quo pluribus functionibus & negotiis implicatus, eo magis ad hocce remedium opus habeat confugere. Qui vastum mare conscenderunt, sæpe portum subeant necesse est, vt aquã recentem in nauem suam conuehant: ita qui negotiorum tractationi, occupationibusque externis immersi sunt, & proximo totos sese impendunt, inque tot naufragiis, periculis & occasionibus versantur; sæpe ad optatum solitudinis & recollectionis portum recurrant oportet, vt in eo vires spirituales restaurent, sese reficiant, & de rebus necessariis sibi prouideant. Egregium vero rei huius exem-

Qui plus occupantur, sæpius se recolligant.

exemplum in Euangelio videre est Apostoli, vti S. Marcus refert, ita se totos proximis iuuandis impendebant, vt vix cibo sumendo eis tempus suppeteret: tanta scilicet erat hominum ad ipsos confluentium multitudo. Qui cum deinde ad Redemptorem Iesum sese conferrent, rationem gestorum illi redditu-ri, ab illo audierunt, *Venite seorsum in desertum, & requiescite pusillum.* Si vero Apostoli hac recollectione & secessione opus habuere, si hanc ipsis Saluator Iesus consuluit, quanto magis nobis ea futura necessaria?

Marc. 6. 31.

Qui orationis & orandi methodum scripto tradunt, id animæ esse dicunt orationem, quod corpori est somnus: vnde etiam Scriptura somni nomine eam nuncupat: *Ego dormio*, inquit, *& cor meum vigilat*: & sponsus, *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Quin pluribus hoc ipsum demonstrantes, dicunt, quemadmodum corpus somno corporali restauratur, & nouum velut vigorem concipit ac vires, ita animam per somnum hunc orationis reuigorari, & nouam constantiam vigoremque, ad pro Dei nomine laborandum, consequi. Adhæc sicuti homo quantumlibet bonos comedat cibos, nisi necessarii somni quietem capiat, debilitatur & languescit, atque ab amentia & vesania non multum distat; sic eum qui operibus exterioribus quantumuis bonis & sanctis, ita sese dedicat, vt necessarium orationis somnum & quietem habere non valeat, in spiritus infirmitatem & languorem incidere, & in præsentissimo pereundi versari periculo. Atque idcirco dicit sponsus, ne dilectam quis euigilare faciat, donec ipsa velit. Quando quis dormiens è somno, præstrepitu & tumultu excitato expergescit, permolestum id est & importunum: at dum euigilat, quod iam abunde per necessarium somnum corpori satisfactum sit, & fumi ad cerebrum ascendentes, euaporarint, minus id molestum & insuaue est. Pari modo res in anima se habet: cupit siquidem Deus vt nihil omnino ipsam interturbet, nihilque eius orationem impediat; sed vt sponte, cum scilicet tamdiu in ea fuerit, quamdiu opus ipsa sibi eam esse iudicat, euigilet, & tum operibus caritatis se impendat. Hoc quippe modo illa bene & prout oportet, suscipientur.

Cant. 5. 2.
Cant. 8. 4.

Oratio necessaria animæ, vt somnus corpori.

Etsi vero omnium nostrum, nullo non tempore permultum intersit per spiritualia illa exercitia animum recolligere, ac magis diutiusque nos orationi impendere, atque adeo quo id magis & amplius faciemus, eo id futurum sit melius, particulariter tamen certis quibusdam in casibus & occasionibus id magis necessarium est: verbi gratia, dum aduertit homo se in exercitiis suis spiritualibus, orationis, examinum, lectionis spiritualis, &c. intepescere & segnescere, quod scilicet illa non eo quo par est modo obeat, nec fructum quem oportet ex iis colligat: adhæc, dum se in regularum obseruantia languere & negligentem esse, & parua parui ducere animaduertit: præterea se in spiritu non ambulare, sed exterioribus se totum applicare, & negotiis ac rebus quas tractat, nimiopere insistere; denique cum obseruat nullam se de passionibus victoriam referre, ac nulla in re, in qua tamen oporteat, mortificare; tunc, inquam, perutile fuerit ad dies aliquot per hæc exercitia mentem recolligere, vt tandem firmam quandam resolutionem faciat, & victoriam aliquam de seipso referat: siquidem fieri potest, vt tali aliqua temporaria recollectione maiorem à Deo opt. Max. gratiam & robur ad se mortificandum, ac victoriam de seipso aliquam referendam, quam ordinario multorum dierum sudore ac labore consequatur. Sæpe enim fit, vt quis, qui semper cespitat, id est cadit, & mox resurgit, per horum exercitiorum aliquod meliora sapiendo illuminetur, resipiscat,

Tempora recollectionis.

Plus modica recollectio, quam plurimi ordinarii dies conferunt.

ſipiſcat, ad ea quæ oportet animetur in virum alterum mutetur, aliumque viuendi procedendique modum aſſumat. Nam quod quis tanto tempore ſolitudinem ſecum & cum Deo loquendo colat, magna demum ſolet eſſe diſpoſitio, ad Dominum ad cor loquentem audiendum, & miras tunc ab eo gratias & chariſmata recipienda. *Sedebit*, inquit Propheta, *ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* Vnde etiam admirabiles quaſdam & extraordinarias, vidimus mutationes. *Non eſt autem abbreuiata* modo *manus Domini:* ac nunquam eſt de eo diffidendum, ſed ſemper quidquid eſt à parte noſtra, agendum. Vnde noſti, quid in anima tua Deus, mediante hac diſpoſitione, peracturus ſit? Nam fieri poteſt, vt totum profectum & perfectionem tuam huiuſcemodi exercitiis alligarit, ac in iis determinatit. Videtur adhæc recollectio iſthæc poſt longam aliquam profectionem, negotiorum tractationes, & occupationes mentem mire diſtrahere natas, animæ non minus neceſſaria, quam eſt corpori poſt longam infirmitatem ac morbum bona tractatio, recreatio & refectio delicatior, vt ſic homo ſibi reddi ac recuperare quod perdidit valeat. Atque eam ob cauſam perutile eſt, vt, dum huiuſmodi occupationibus vacare debet, per aliqua eas exercitia præueniat, vt deinde maiori ſpiritu, ac ſine vllo ſui detrimento res ſuas obeat. Medicina quippe præſeruatiua multo melior eſt, ea quæ poſtea morbo medetur. Hac etiam de cauſa B. P. Ignatius omnibus ſuperioribus præſcribit vt ſe, antequam munus ſuum exercere incipiant, recolligant ad aliquot dies exercitia ſpiritualia obeundo. Idem quoque conſultum eſt ſeruari, dum quis in longinquam ac diuturnam aliquam miſſionem abiturus eſt. Cuius rei alias exemplum nobis dedit Redemptor noſter Ieſus, qui antequam prædicare inciperet, per quadraginta ipſos dies in deſerto ſe recollegit. Ipſum inſuper tribulationum ac laborum tempus, tam propriorum ac priuatorum, quam publicorum ac generalium totius Eccleſiæ, aut vniuerſæ Religionis, opportuniſſima eſt ad hæc occaſio. Semper namque optima placendi Dei, & miſericordiæ eius obtinendæ in Eccleſia Chriſti habita & vſitata ratio fuit, orationes, pœnitentias & mortificationes adaugere.

Thren. 3. 28.

Iob. 59. 1.

Recollectio occupationibus præmittenda, ceu præſeruatiuum.

Rectores initio ſe recolligant.

Chriſtus ante conciones 40. diebus ſeceſſit.

In neceſſitatibus publicis recollectio inſtituenda.

Omnes hæ, quas recenſuimus, occaſiones valde bonæ ſunt ab exercitiis his vacandum, verum neceſſe non eſt, ipſas occaſiones ſtudioſe conquirere: propria ſiquidem tum neceſſitas & inopia, tum emolumenti ſpes impellere nos debet, vt ſæpius id & deſideremus & procuremus. Non deberet autem effluere annus, quo non ad minimum ſemel ſpirituales haſce ferias vſurpemus, quod cum fit, valde ſincere & ex animo fiat oportet. Tanti quippe momenti res, quanti hæc eſt, non eſt ſpecie tenus, vel pro forma, vel vt hominibus placeamus, obeunda. Porro ſingulariſſimo quodam modo hocce Deus opt. Max. medium Societati contulit; atque id non ſolum in noſtri ipſorum profectum & commodum, verum etiam, vt per id proximo proſimus & opitulemur. Vnde etiam in inſtituti noſtri diplomatis id velut vnum de præcipuis, quæ Societas habet ad proximos iuuandum mediis, refertur. Atque hæc alia eſt ratio, eaque maximi ponderis, cur B. P. nobis horum exercitiorum vſum familiarem etiam eſſe velit, eumque tum in Conſtitutiones noſtras, tum in regulas Sacerdotum retulit, dicens: *Vt in hoc annorum ſpiritualium genere tractando, quod Dei gratia ad ipſius obſequium tantopere conferre cernitur, dexteritatem habere poſſint.* Hac quippe arte Beatum P. N. Ignatium Dominus eſt lucratus, hac omnes

Serio facienda Exercitia.

4. p. Conſtit. c. 8. §. 5. regul. 7. ſacerdot.

Exercitia spiritualia maxime semper vtilia fuere.

omnes eius socios hac eadem postea inducti alii plurimi, tam intra Societatem, quam extra, Dominicæ voci auscultarunt. Et quoniam tam in illis, quam in his Dominum per mirabiles quosdam effectus ad finem; velut per medium tam singulari modo ab ipso profectum concurrere vidimus, spem magnam ac fiduciam concipiamus oportet, ipsum etiam nobis per id auxilio fore, ac plurimas gratias collaturum.

Indulgentia plenaria facientibus Exercitia.

Ad supra dicta addo aliud non minus notabile, quodque ad hanc rem singulari quodam modo iuuare nos & animare debet: singularem scilicet illum fauorem & gratiam, quam sanctissimus Dominus noster Paulus V. Pontifex Maximus, quoad hoc concessit omnibus Religiosis in Bulla vel constitutione, 23. die Maij, anno 1606. Pontificatus sui anno primo data, in qua Indulgentias, quibus Religiosi omnes gaudent, declarat. In ea plenariam Indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem omnibus Religiosis, cuiuscunque ii sint ordinis & instituti, elargitur, qui per decem dies se ad hæc exercitia spiritualia obeunda recolligent, quotiescunque etiam id fecerint. E quibus videre licet, quanti rem hanc summus Pontifex faciat, & nos facere oporteat. Ad maiorem vero omnium consolationem, hoc loco ipsamet Pontificis verba adferam. Sic ergo loquitur: *Iis vero qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, in piorum librorum & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint; addendo sæpe considerationes & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor nouissimorum, passionis Domini nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo; faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharisti Sacramentum sumpserint, aut Missam celebrauerint; toties pro quolibet prædictorum exercitiorum plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

CAPVT XXVI.

De fructu, quem ex his exercitiis colligere debemus &c.

Triplex exercitiorum vsus

TRIA potissimum spectanda nobis in his Exercitiis, & ex iis colligenda sunt. Primum est, reformare nos in iis, quæ quotidie agimus, atque adeo in iisdem nos perficere. Omnis namque profectus noster & perfectio consistit in eo, vt res ordinarias bene riteque obeamus, vti suo loco diximus. Nemo quippe sibi persuadeat, ideo duntaxat exercitia suscipit, vt octo quindecimue diebus reclusus orationi identidem incumbat; sed ideo, vt illic quandam quasi consuetudinem & vsum contrahat melius orationi suæ insistendæ, additionum & documentorum, quæ ad bene orandum præscribi solent, obseruandorum, examinum rite obeundorum, sacrificii Missæ bene tum dicendi, tum audiendi, officii diuini decenter recitandi, ac lectionis spiritualis cum fructu faciendæ, atque ita de reliquis. Ideo namque toto illo tempore se homo à reliquis omnibus occupationibus auellit, vt interea se in has res rite, & prout oportet faciendo solum exerceat, vt sic velut renouatus,

1. Reformatio in ordinariis actionibus omnibus.

Tract. 8. c. 1. & 2.

uatus, & quodam hoc modo ea postea obeundi vsu contracto è recollectionis suæ loco egrediatur. Vnde etiam B. P. N. toto Exercitiorum tempore (quod cum ea integre peraguntur, menstruum esse solet) præscribit, vt examen particulare circa additionum obseruationem, & diligentem & exactum spiritualium horum Exercitiorum peractionem instituatur, si qui in vtroque committuntur defectus, eos annotando, vt sic quendam quis velut habitum & vsum induat ad hæc omnia imposterum optime obeunda. Atque hoc ipsum multis in locis identidem inculcat, vtpote qui probe prospectum haberet, quantum in eo fructus ac boni consisteret. Nec vero quo ad Exercitia spiritualia solum (quanquam id præcipuum sit, quodque robur & spiritum omnibus rebus aliis dare debet) verum etiam quoad omnia exercitia & occupationes exteriores renouatus quis, & velut alium hominem indutus, ab Exercitiis venire debet, quodam ex iis spiritu ac vigore hausto ad officium functionesque suas posthac melius exequendas regulasque accuratius seruandas. Vnde dum quis ab Exercitiis recenter venit, illorum est fructus ex operibus externis colligendus & notandus.

Examen particulare circa additiones.

Fructus exercitiorum spectandus ex operibus.

Certas imperfectiones corrigere.

Alterum, quod ex Exercitiis colligere debemus, est, seria nostri in aliquibus rebus noxiis & imperfectionibus, quas habemus, mortificatio atque expugnatio. Oculos igitur in ea quisque suos conijciat, in quæ communissime ac frequentissime impingere solet, vel in quæ ipse causa est vt alii impingant, dum vel ob illa offenduntur, vel propterea scandalizantur; & his in se defectibus correctis ab exercitiis venire ac prodire studeat; ac tum demum optime exercitia obierit: hanc quippe ea ob causam sunt instituta, hicque potissimum illorum est finis. Vnde etiam libelli, quo ipsa traduntur, titulum in Hispania editione, sic B. P. N. concepit: *Meditationes spirituales, quarum ope & ductu seipsum homo vincat, vitamque & affectus suos ad maius Domini nostri Iesu Christi obsequium dirigat.* Adeo vt quis ab Exercitiis *in virum alium*, vt Sauli ait Samuel, *& in virum profectum*, vt loquitur Apololus, *mutatus* & innouatus plane egredi conari debeat. Vt ipsa scilicet opera postea statim testentur ac clament, hunc Exercitia obiisse: vt, verbi gratia, si ante ea erat loquax, & temporiperda, post eam iam silentii & solitariæ recollectionis amans esse videatur: si ante delitias & commoditates suas consectabatur, iam appareat mortificationis & pœnitentiæ amator: si prius verbis mordacibus proximum offendebat, posthac ab iis abstineat: si ante in regularum obseruantia negligens atque incurius erat, & parua parui pendebat, deinceps sit in obediendo promptus & exactus, parua iam minutaque magni faciat, & nullum per Dei gratiam studio deliberataque voluntate delictum committat. Si quis enim eosdem defectus & imperfectiones, quas habuit, retinere, & talis ab exercitiis prodire velit, qualis ante fuit, quid illi prosunt Exercitia?

1. Reg. 10. 6.
Ephes. 4. 13.

Nouus homo ab Exercitiis prodeat.

Refert S. Ambrosius de quodam adolescente rem miram, quam quandoquidem ipse narrat, & nobis proferre fas est. Is cum & vitæ perditæ & paruæ spei esset, longam profectionem instituit, in qua vna cum cœlo etiam viuendi genus mutauit. Itaque ad suas reuersus, antiquam obuiam habuit amasiam, qua conspecta, quasi aut non nosset, aut contemneret, tacitus pertransit. Ipsa despectum se mirata, & non agnitam ratu, vltro ad eam accessit, eique insusurrans ait, Ego sum illa. Tum ille, At ego non sum ille. Totus quippe erat mutatus, & plane alter. Pari modo & nos mutari & in viros alios reformari oportet, vt cum Apostolo dicere queamus, *Viuo autem iam non ego*, id est, iam non viuit ille qui olim viuebat in lege, qui

Lib. de pœnitent. c. 10.

Gal. 2. 20.

Hieron. in hæc verba. qui Ecclesiam persequebatur, *viuit vero in me Christus.* Atque hoc Christum significare voluisse per illa verba, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum;* asserit Ambrosius. Ille, inquit, seipsum abnegat, qui se in alium hominem mutat, & iam non amplius esse vult is qui solebat esse. *Ambros. Matt. 16. 24. Luc. 9. 23.*

Lib. 1. vitæ, c. 8. Pater Noster Franciscus de Borgia, vti in vita eius legimus, postquam Imperatricis defunctæ corpus Granatam conduxisset (vbi mirifice illum Dominus illustrauit, mundique illi vanitatem in tetro illo mortis spectaculo, quod præ oculis habebat, spectandam dedit) ad aulam iam reuersus, eam plane sibi mutatam videri dixit; quia scilicet ipse per lucem & illustrationem, quam cælitus cæperat, erat mutatus. Porro tales & nos ab Exercitiis, per nouam lucem & illustrationem, quam in iis Dominus solet elargiri, egredi oportet. *P. Borgia mutatus putat aulam mutatam.*

3. Virtus certa, orando & exercitando exquirenda. Tertium, quod ex Exercitiis nobis hauriendum est, & quod è superioribus consequitur, est, vt aliquam virtutem & quendam perfectionis gradum adipisci studeamus, eam inquam inprimis, qua potissimum & præ aliis opus habemus. Ad hoc enim ante vitia euelluntur, vt deinde virtutes inserantur.

Thomas de Kempis. Duæ res, inquit sanctus ille vir, ad profectum quam maxime iuuant: Primum, vt quis magno animi conatu declinet id, quo vitiata & corrupta sua natura propendet (hæc est ea, de qua ante paulo locuti sumus) Altera, vt magno cum feruore ei virtuti comparandæ insistamus, quæ præ aliis nobis est opus; atque hoc tertium illud, de quo in præsentiarum agimus. Vnde ipsum Exercitiorum Directorium, agens de modo, quem in iis seruare nos oporteat, anxie diuque nobis in prima hebdomada hærendum non esse docet, Duo *Cap. 6.* tresue, inquit, ad hoc sufficiunt dies, vt ad alias meditationes, è quibus maior haurietur perfectio, transeundi sit locus oportunitas.

Inter alia vero quæ illo loco hunc ad finem afferuntur, suggeritur, vt aliquas de primariis regulis, in quibus omnis, ad quam aspirare possimus, consistere perfectio videtur, subinde ruminandas suscipiamus, qualis est hæc sequens: *Quemadmodum mundani diligunt & quærunt magna cum diligentia honores, famam, & magni nominis æstimationem in terra: sic nos diligamus & exoptemus quæ iis omnino contraria sunt.* Serio itaque in quadam Exercitiorum recollectione in animum inducamus ad hanc perfectionem aspirare, & huc humilitatis pertingere, vt tantum contumeliis, despectu, opprobriis, iniuriis, falsis ac iniquis testimoniis gaudeas, quantum homines mundani honore, & æstimatione: quod si adeptus fueris, in multis conflictibus & importunis vexationibus, quæ nobis occasione famæ, nominis & existimationis offerri solent (qua nimirum vnus ob doctrinam, alter ob officium ac munus, nonnemo ob functiones & negotia quæ tractat magni fieri amat) quibus profectus spiritualis non mediocriter turbatur & impeditur, victor existes. *Reg. 11. summarii Constit.* *Humilitas perfecta.*

Alias erga hanc regulam affici eamque ad praxin redigere stude. *Omnes rectam habere intentionem studeant etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, vt seruiant & placeant diuinæ bonitati propter seipsam, & propter caritatem & eximia beneficia, quibus præuenit nos, potius quam ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum.* Ad talem intentionis puritatem peruenire satage, vt nulla in re, tam in parua, quam magna, æque in temporalibus, ac æternis, tum proprium commodum & emolumentum quæras, sed in omni- *Reg. 17. summarii Constit. Purissima intentio.*

bus pure vnicam Dei voluntatem & gloriam quæras, ipſaque ita vnicum tuum ſit gaudium ac voluptas, vt tuiipſius, omnis vtilitatis propriæ, ac commodi priuati penitus obliuiſcaris.

Conformitas voluntatis noſtræ cum diuina.

Alias denique perfectiſſimam quandam cum Dei voluntate conformitatem conſequi ſtude, vt omnia quæcunque tibi occurrent, tam magna quam parua, & quomodolibet modo, via, media ea veniant, velut à benigna Dei mane venientia, accepte s. In has, aliosque id genus, ad perfectionem ſpectantes res oculos nos coniicere oportet, dum Exercitia ſpiritualia obimus, nec ante deſiſtere, quam hęc ipſa, quę ſpectamus, conſequamur.

CAPVT XXVII.

Documenta proponuntur aliqua, quæ ad maiorem ex hiſce fructum colligendum conducant.

Cap. 14.

VT vero in maiorem ſpiritualia hæc Exercitia vtilitatem nobis cedant, & is quem diximus, ex iis fructus colligatur; notandum eſt primo, ſicuti ſupra diximus, eum qui orationem accedit, non puncta ſolum ipſa, quæ in oratione meditaturus eſt, præperare, verum & fructum, quem ex ea eſt collecturus, ſibi præfigere debere; ita eum, qui Exercitia eſt facturus, ſibi ſingillatim præſtituere ac præuidere debere quidnam ex iis vtilitatis colligere velit; hoc ſcilicet modo antequam ſe ad ea facienda colligat, videre debet, ac ſecum attente, ſedate, & diu diſpicere, Ecquæ eſt maior mea ſpiritualis neceſſitas? qua re maxime indigeo? ad quid vitioſa mea natura, paſſiones inordinatæ, aut mala conſuetudo mea longo habitu contracta magis propendet? quid eſt, quod animam meam magis exagitat? quid eſt in me, quo fratres mei offendi & male ædificari queant? Atque hoc eſt quod præ oculis habere ac ſibi præfigere debet, vt id ex Exercitiis eliciat, atque id ſerio ac reuera corrigere proponat.

Exercitia ad certum ſcopũ dirigenda.

Hæc optima quædam eſt ad exercitia auſpicanda præparatio. Proinde notandum hic eſt, quando quis ſe ad Exercitia facienda recolligit, eum non tam ſpectare debere, quod magnum & ſublime quoddam orationis genus habere debent, nec tam cogitare, ſe, eo quod ſe in ſolitudine recolligat, & intra cubiculi cuiuſdam receſſum abdat, ſtatim ad Deum aditum, magnam mentis quietem & in oratione attentionem habiturum (fieri quippe poteſt, vt magis tunc diſtrahatur, importunius inquietetur, vexetur, ac tentetur, quam dum externis ſuis officiis & miniſteriis diſtinebatur) quam vt illud quod diximus, ex iiſdem colligat, & ad id ſerio ac reuera animum inducat.

Non conſolatione ſed emendatione Exercitia metienda.

Et ſi id inde elicuerit, bene Exercitia ſua obierit, etſi eam quam optat, deuotionem forte non habebat: ſin minus, eſto iam iam inde à principio eorum ad finem, vſque, in lacrymas aſſidue reſoluatur, & ſenſualem deuotionem ſentiat, non propterea recte & prout oportet, Exercitia fecerit. Neque enim hic eorum finis eſt ac ſcopus, ſed illud prius.

Lib. Exercit. ſpiri. in addit. 1. hebdom. addit. 5.

Huc quoque non mediocriter conferet illud Beati Patris noſtri documentum, quod à nobis ipſe in omni vult oratione obſeruari. Nimirum, vt poſtquam ſuam quis orationis horam iam abſoluit, per horæ quadrantem aut circiter ipſius, vel ſedendo, vel inambulando, ſucceſſum examinet, exploretque quomodo ſibi in ea ſucceſſerit. Si enim male eam proceſſiſſe comperiat, cauſam eius rei exquirat; videat inquam num bene meditationis materiam ante præpararit, num quem impertinentibus alieniſque cogitationibus locum dederit, num à ſomno ſe opprimi ſponte paſſus ſit, num ſpeculationi intellectus nimium intenderit, num corde tor-

Examen poſt Meditationẽ inſtituendum de eius ſucceſſu.

de tor-

de torpido ac remisso ad orationem se applicuerit, num voluntatis affectus excitare neglexerit, tam puram deniq; intentionem non habuerit, vt quidẽ par erit propriam sc. magis in ea consolationem, quã diuinum beneplacitum quærendo. Si in horum quopiam se deliquisse comperiet, doleat, & in futurum melius facere proponat: Si vero bonum oratio successum habuerit, Deo gratias agat, eãdem orandi methodum in aliis post habendis orationibus semper seruare procurans.

Magni sane documentum hoc momẽti est. Primo, quod per isthoc orationis habitę examen ac reflexionem vsu paulatim experientiaque homo addiscat, quænam mali successus orationis suæ sit causa vt ab ea sibi posthac caueat; quænam etiam boni vt ipsam exinde sectetur, quare tum discretio spiritualis, tum magisterium, quod à scientia experimentali ortum trahit, comparatur.

Atque inde est, quod B. P. noster hocce examen & reflexionem orationis permagni faciat, vt perfecti, non in hoc solũ, sed & in aliis omnibus exercitiis & ministeriis nostris magistri euadamus. Vnde in quarta Constitutionũ nostrarum pater, Cõfessario ad bene officio suo fungendũ, perutile fore ait, si postquam alicuius cõfessionem excepit, reflexionem aliquam faciat, visurus apud se & dispecturus num quem eo in opere defectum commiserit, præsertim cum primum huic muneri se applicat, vt eum proxima vice emendet, & prioribus suis defectibus cautior atque sapientior reddatur.

4. p. Constit. c. 8. litr. D.

Confessarius se postea examinet.

Ego & ob hanc causam isthoc orationis examen instituitur: quod etiam primum ac præcipuum est, quod in eo nos facere oportet. Tanti porro momenti ac põderis est oratio, tantiq; nos refert bene eam facere assuescere, & quos in ea cõmittimus defectus, paulatim deponere, vt B. P. nostro ad hoc satis visum non fuerit examẽ, quod quotidie in meridie ac vespere instituimus, sed etiam immediate statim atque oratio est absoluta, eam à nobis explorari & examinari iubeat.

Altera, & quidẽ nõ inferioris momẽti, res est, quæ in hoc examine orãti faciẽda, vt videat quem ex hac oratione fructum elicuerit, & eũ denuo ceu ruminatum recolligere studeat, sicut dum quis quandã lectionis suæ repetitionem faciẽs, omnes conclusiones & assertiones eius paucis recolligit, atq; eorum velut recapitulationem facit. Tanti vero hocce examen faciendum est, vt si cui tempus non sit ipsius statim post absolutam orationem instituendi, ei illud in ipsa oratione, circa finem eius, sit instituendum.

Fructus etiã Meditationis examinãdus.

Examen potius faciendũ in oratione ipsa quam amittendum.

Addere his & aliud monitũ possumus; nempe salutare consiliũ fore, vt quæ quis ex oratione colligit, bona inquã desideria & proposita, scripto, non pluribus, sed paucis verbis committat, necnon aliquas veritates, doctrinas, illustrationes, aut mẽtis serenationes, quas in ea Dominus dare solet, modo circa quasdam virtutes, modo circa ipsa mysteria, de quibus meditatur. Sic alias primos nostros Patres fuisse legimus, atque inprimis B. P. N. Ignatium, P. Petrum Fabrum; vnde etiam nonnulla, quæ ipsi sua quoad hoc manu conscripserunt, calamo exarata in manibus nostrorum versantur. Idem quoque faciendum consulebat B. P. Franciscus Xauerius, sicuti in eius vita legimus. Idipsum & in Directorio Exercitiorum nobis faciendum præscribitur. Adhæc R. P. N. Generalis Claudius Aquauiua, in suis, quos ad curandos animę morbos scripsit Industriis, cum de oratione loquitur, etiã atq; etiam illud nobis cõmendat. Et præterquã quod hac ratione bona proposita & desideria magis magisq; perficiantur, cordiq; imprimantur profundius, iã pridem longo vsu & experientia cognitum est, magnum suo tempore ex horum scriptorum relectione hominem consequi fructum solere. Quod enim hæc ei propria fuerint, & vt talia ipse ea alias senserit, hinc eum postea magis quam alia quælibet cõmouent & facile eædem illi species denuo obiiciuntur: cum vero huc se postea pertingere non posse videt confunditur, quod non sitis, qui

Notanda lumina & proposita Orationis.

Lib. 6. c. 13. eius vita.

Cap. 2. & 4. Directorii Exercit. spir. Cap. 3.

Fructus duplex huius scriptionis.

fuit

fuit ante, & adeo in via Domini non progrediatur, vt potius retrocedat. Adeo vt aut ad vlterius tendendum animetur, aut saltem magna sui id quod sibi imperfectione deest, confusione suppleat. Quamobrem magni semper emolumenti & profectus occasio id esse solet, eo præsertim tempore, quo quis Exercitia obit.

Capvt XXVIII.

De lectione spirituali, quantique ea sit momenti, & aliqua suggeruntur eius bene fructuoseque habendæ media.

Lectio orationis soror est, magnaque eiusdem adiutoria & subsidium. Vnde Timotheo suo suadet Apostolus Paulus, *priori ad Timotheum quarto, versiculo decimotertio*, ei vt attenderet: *Attende lectioni.* Tam porro spiritualis hæc lectio necessaria est ei, cui Deo seruire propositum est, vt Athanasius in quadam ad Monachos exhortatione dicat, *Sine loquendi studio neminem ad Deum intentum videas*; quod qui intermitteret, statim in suo profectu deficere ac retrocedere comperietur. Quare Diuus Hieronymus epistola ad Eustochium virginem, sacram hanc lectionem etiam atque etiam illi commendat: *Tenenti, inquit, codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat*: Quin adeo sancti omnes mirum in modum spiritualem hãc lectionem commendant. Quantorum vero ea commodorum sit procreatrix, quotidiana satis nos docet experientia: cum omnes historiæ illustribus, quas eius adminiculo Deus est operatus, conuersationibus sint refertæ.

Lectio spiritualis quotidie vsurpãda. Quoniam vero lectio hæc tam necessaria & potens est ad in spiritu proficiendum ratio, hinc ipsi Religionum sacrarum institutores, partim Apostoli doctrina, partim authoritate & experientia sanctorum nixi, in suis Regulis statuerunt, vt quotquot suum institutum profiterentur, quotidie spirituali lectioni insisterent. Sic Humberto teste Sanctus Benedictus quotidie præstitutum aliquod lectioni huic in suis Monasteriis tempus esse voluit; adhæc, vt tempore illo duo de senioribus monachis domum totam obirent, inspecturi num quis lectionem hanc aut ipse emitteret, aut vt ab alio eadem omitteretur, in causa esset. Vnde manifeste patet quo illam ipse loco haberet: simul etiam per transennam notandum, quam sint visitationes illæ, quæ quotidie in domibus nostris eo tempore quo spiritualibus exercitiis vacatur, peragi solent, in veterum Sanctorum doctrina ac praxi fundatæ. Qui porro in hoc deliquisset, eum prima ac secunda vice leniter blandeque corripi sanctus ille Patriarcha volebat; sed si deinde non resipisceret, tertia vice ita castigari, vt exemplo illius cæteri metuentes à simili sibi delicto cauerent. *In Proleg.* *Visitatio tẽpore orationis.*

In Societate vero ad hanc spiritualem lectionem singulari quadam regula obstricti sumus, quæ iubet: *Singuli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ, orationi, meditationi, lectionique impendant cum omni diligentia in Domino.* Ipse etiam superior domus ac rerum spiritualium præfectus curare iubentur, vt singuli quotidie aliquod lectioni pie tempus impendant. *Reg. 1. commoni.*

Et generaliter, quicunque virtutis ac perfectionis studio intendunt, medium hoc indies in spirituali aliquo libro legendi vsurpare vt saluberrimum consueuerunt; hinc, vt omnes id maiori cum fructu peragant, aliqua hic adferemus, quæ ad bene ipsum obeundum auxilio esse & vsui poterunt.

Sanctus Ambrosius exhortando nos, vt quodcunque possumus, tempus orationi ac lectioni spirituali dedicemus, ait, *Cur non illa tempora, quibus ab* *Lib. 1. Offic. c. 20.*

Eccle-

Deus in lectione nobis loquitur.

Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum reuisas, Christum alloquaris, Christum audias? Nam illum, inquit, alloquimur, *cum oramus, illum audimus, cum diuina legimus oracula.* Hæc igitur sit prima fructus è lectione spirituali colligendi ratio, vt scilicet ipsi nobis persuadeamus, nobiscum Deum quodammodo colloqui, & nobis ea quæ è libro legimus, dictare.

Epist.143. ad Demetriadem virgin.

Hoc quoque medium notat Augustinus, dum ait; *Ita Scripturas sanctas lege, vt semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed etiam impleri iubet.* Quin & aliam ipse considerationem, eamque & bonam & deuotam inprimis ad hoc producit: *Diuinæ Scripturæ quasi litteræ de patria nostra sunt.* Vis, inquit scire, quo sacra Scriptura legenda sit modo? Non secus ac litteræ, quæ nobis de patria nostra allatæ sint, è quibus discamus quid in cælo, patria nostra, in qua patres, fratres, amici, noti ac familiares nostri agunt, & ad quam incessanter aspiramus & anhelamus, geratur.

Dei verba nō modo scire sed & facere oportet.

Serm.56.ad fratrem in Eremo.

Sacra Scriptura sunt litteræ ex patria.

De eadem reloquens Sanctus Gregorius ait nos, dum Sacram Scripturam (idem quoque de alia qualibet lectione spirituali intelligendum) legimus, animæ oculis quoddam velut speculum obiicere, vt in eo quales interius simus; perspiciamus. Hic siquidem cognoscimus & videmus omne quod habemus tum bonum, tum malum: deinde quantum in via spiritus progrediamur, quam etiam procul adhuc à perfectionis meta absimus. In iis interdum mirabilia sanctorum gesta & opera referuntur, vt iis lectis ad eorum imitationem prouocemur, & ne, visis illustribus illorum victoriis ac triumphis in tentationibus ac laboribus fracti debilitatique fatiscamus.

Sacra lectio Speculum est.

Alias ibi non solum virtutes ipsorum, sed & graues lapsus enarrantur, vt in illis, quid nobis imitandum, in his vero quid cauendum ac metuendum sit, videamus. Sic in sacris litteris alias nobis in exemplum proponitur Iob, spumæ instar, allisione & in medio tentationum excrescens; alias vero Dauid, qui eisdem ingruentibus diffluxit ac dilapsus est: vt ille nos tribulationibus obrutos animet, & in spem erigat; hic vero in summa prosperitate & consolationibus humilia nos sapere, timere, ac nunquam de nobis ipsis præsumere aut confidere, sed magna cum circumspectione & cautela in omnibus ambulare doceat.

Sanctorū vitia eque ac virtutes nos erudiunt.

Vnde bene Augustinus: *Optime*, inquit, *vteris lectione diuina, si eam tibi adhibeas speculi vice, vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat*, quæ ibi reprehenduntur, *vel pulchra plus ornet*, & iis, quæ ibi leget exemplis & virtutibus sese condecoret.

Epist.143.ad Demetriadem virgin.

Vt autem in singulari ad modum hac in re seruandum veniamus, notemus oportet quod hæc lectio in vtilitatem cedat, eam nec festinatam, nec præcipitatam (vti historiam aliquam legere solemus) sed maxime distinctam & attentam esse debere. Nam sicut pluuia præceps & nimbus vehementior terram non penetrat, nec fertilem reddit, sed lenis & rarior; ita, vt lectio in cor ingrediatur & amplius penetret, necesse est eam distincte, interrupte, & cum matura quadam rei lectæ excussione fieri. Bonum ergo & consultum est, vt, cum in pium aliquem locum incidimus, in eo paulo diutius hærentes subsistamus, & veluti stationem quandam figamus, tum lecta ruminando, tum per ea voluntatem mouere & concitare procurando, eo plane modo, quo id in meditatione fit quod etsi in meditatione fiat diutius ac productius, in qua nimirum rebus cogitatis amplius inhæretur, eæ ruminantur, & velut digeruntur; aliquo tamen modo id et-

Lectio non sit festina.

Galli bibentes legenti imitandi.

id etiam in lectione spirituali obseruandum est.

Bernardus Ep. seu tract. ad frat. de monte Dei. Et in spec. mon. S. Ephrem. ser. 7. Chrys. hom. 29. sup. Gen. Aug. ser. 38. ad frat. in Eremo.

Atque id fieri suadent sancti, docentque in lectione spirituali imitari nos debere bibentem gallinam: hæc namq; cum aquæ pauxillũ bibit, statim caput sustollit; dein rursus aliquantum sumens, rursus caput eleuat.

E quo ad oculum patet, quis orationis & lectionis sit consensus, quam vna alteri subueniat: in tantum quidem, vt dum aliquem primo sensim ad orationem mentalem frequentandam inducere, & in hoc paulatim ac pedetentim procedere volumus (ita scilicet id exigente hominis dispositione) ei ante omnia consulamus, vt libros quosdam spirituales legat, & in hac lectione aliquas stationes & velut pausas, eo quo diximus modo, faciat: quia sæpe per hanc Dominus viam hominem ad orationis exercitium solet conducere. Quin imo solemus nonnullis, quando orationem facere nesciunt, ac nihil boni in ea sibi facere posse videntur, consulere, vt aliquem librum pium in manus sumant, & orationem cum lectione coniungant; aliquid scilicet è libro legant, & mox illud meditentur & super eo orationem instituant, deinde rursus ad lectionem redeundo, paululum è libro suo legant, vt ante.

Lectio orationi viam sternit.

Hoc namque pacto intellectus cum verbis lectis sic adhæreſcit, non tam libere potest se in diuersas imaginationes & alienas cogitationes diffundedere, vti dum effusis habenis liber & dissolutus est. Adeo vt & in lectione orationem nobis instituere liceat.

Lectio orationem iuuat.

Hinc tanti lectionem spiritualem sancti Patres faciunt, vt easdem pene in ipsam, quas in orationem, laudes & præconia effundant. Docent namque ipsam ceu spiritualem animæ cibum esse quæ eam corroberet, & aduersus tentationes constantem reddat; quæ bonas sanctasque cogitationes, ac desideria cælestia in ea progignat; quæ intellectum nostrum illuminet; quæ voluntatem inflammet & accendat; quæ sæculi tristitias auferat; quæ veram, spiritualem, ac secundum Deum lætitiam in animo producat, aliosque id genus effectus causetur.

Eadem encomia lectionis & orationis.

Aliud ad è lectione spirituali fructum capiendum monitum dat Sanctus Bernardus, dicens, *Si ad legendum accedat, non tam quærat scientiam, quam saporem* & gustum voluntatis nam sola intellectus scientia aridum quid est, nisi voluntati ea applicetur, vt per eam scilicet affectus foueatur, & deuotio animi conseruetur, vtpote quæ lectionem & succidam ac fructuosam reddit, & eiusdem finis est. Est hoc inprimis notandum: magna quippe est inter lectionem quæ pure tantum, ad sciendum & eam quæ ad in spiritu proficiendum suscipitur; inter eum quam propter alios, & eam quam propter se quis instituit, differentia. Primum namque quoddam velut studium est, alterum lectio spiritualis. Quocirca si, dum legis, id spectas vt aliquid vel tibi addiscas, vel notes quod postea aliis prædices & denunties; erit hoc nonnisi ceu quoddam studium propter alios institutum; non autem spiritualis lectio, ad tui vnius profectum suscepta. Alia ad id tempora sat commoda non desunt: *Ecclesiastic. tertio, versiculo primo: Nam omnia tempus habent*, tempus porro lectionis spiritualis non est ad hoc, sed ad illud quod diximus, institutum.

In specul. Monach.

Legendum vt proficias non vt discas aut doceas.

Eadem de causa commendant hoc loco etiam Patres, vt non multa eodem tempore legantur, nec multæ simul paginæ obiter percurrantur, ne spiritus prolixa lectione defatigetur potius quam recreetur.

Ephrem. ser. 7. S. Bernard. Epist. ad fratres de monte Dei.

Quod & nouum documentum est, ac bonum & necessarium inprimis nonnullis, qui omnem in eo felicitatem suam collocare videntur, quod multa legant, & multos libros euoluant. Quemadmo-

Non multa legenda.

admodum enim non multorum ciborum ingestio corpus humanum sustentat, sed bona paucorum alimentorum digestio ; ita nec animam multa alit lectio sed bona lectorum ruminatio ac digestio. Vnde etiam suadent, non passim difficilia & obscura, sed facilia ; & potius deuota quam inuoluta & intricata in lectione spirituali legi debere : difficilia namque & obscuritatis deuotionem fatigare, & spiritum exstinguere & arefacere solent.

Li. 5. de erud. didasc c. 7. *Deuota legenda non subtilia.*

Hugo de Sancto Victore, quendam Dei seruum per visionem à Deo monitum fuisse scribit, vt rerum obscurarum lectione omissa, vitas ac martyria sanctorum, aliaque simplicia & deuota legeret : quorum etiam lectio post magnum illi in spiritu profectum attulit.

Ep. ad frat. de monte Dei.

Quocirca bene Sanctus Bernhardus : *Sed & de quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fidelius digeratur , & rursus reuocatum crebrius ruminetur, quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum , vt aliena cogitare non libeat.*

Non legendũ vt legas, sed vt inde postea opereris.

Sicut enim ideo cibum corporalem non comedimus, vt illud temporis quo comedimus spatium commestioni impendatur; sed tantum vt in virtute illius alimenti , quod tum quidem sumimus, toto die & reliqua etiã vita laborare possimus: ita lectio , quæ spiritualis animæ nostræ cibus & refectio est (quia Dei sunt verba) non tam seruit, vt tempus quo legimus , bene insumatur, quam vt aliquem postea per diem ex ea fructum capiamus.

Oratio lectioni.

Bonum quoque erit, nosque omni in re permultum iuuabit, vt antequam legere incipiamus , cor ad Deum sustollamus, gratiam ab eo poscentes, vt quod lecturi sumus, in vtilitatem nostram cedat , cordis fibris intimis insculptum & infixum maneat, & per id erga virtutem animatiores, & erga id quod muneris nostri est, magis illustrati ac resolutiores fiamus. Sic legimus Sanctum Gregorium, antequam lectioni se applicaret, semper oratione præmissa, ad eam se præparasse, ac illum Psalmistæ versiculum ,, *Psalmo centesimo decimooctauo, versiculo centesimo decimoquinto : Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei*, recitare solitum.

Lectio concionem superat.

Vt vero lectionem hanc spiritualem pluris faciamus , & ad eandem magis animemur, solent eam sancti Patres auditioni verbi Dei assimilare , dicuntque quod, esto lectio tantæ non sit energice, quantæ viua vox, alias tamen vtilitates includat, quibus vicissim conciones carent.

Primo, quod prædicatorẽ quis semper & omni tempore ad manum habere non potest, vti bonum aliquem librum. *1. Quia semper haberi potest.*

Deinde, quod bene dictum est in concione, statim pertransit, ac proinde tantum in me effectum non facit: at quod liber bonum continet sæpe reuolui, ruminari , & ponderari potest , ac per consequens maioris est roboris & energiæ. *2. & Repeti.*

Tertio bonus liber bonus ac sincerus mihi est consiliarius : nam , vt bene dixit Philosophus, Quod amicus vel consiliarius dicere mihi interdum non audet, liber intrepide dicit ac suggerit , vitiorum meorum ac defectuum me commonens modo me obiurgans, modo exhortans. *3. Nõ erubescit.*

Quarto , per lectionem conuersor & colloquor cum iis qui librum conscripserunt : hinc aliquando cum Bernardo , subinde cum Gregorio , modo cum Basilio , alias cum Chrysostomo colloqui , eos velut præsentes loquentes audire, & auscultare, ea quæ mihi dicunt, potero , perinde ac si tunc illorum forem discipulus. *4. Dat copiam colloquendi cũ ipsis Scriptoribus.*

Quare dicunt, nec immerito, libros bonos, ob ingentes quas ex iis haurire diuitias & bona licet, ceu publicum ac patentem quendam thesaurum videri. *Libri sunt thesaurus.*

Tot tantaque denique sunt bona , & commoda, quæ è spirituali lectione proficiscuntur , vt Sanctus Hieronymus de interiori animæ æstu loquens, *Epist. ad Damasum.*

 roget,

roget, vbinam hoc incendium & flamma consistat? ac respondeat, minime dubitandum esse, quin id in sacris litteris, per quarum lectionem anima in Dei amorem incenditur, & ab omnibus vitiis suis expurgatur, situm sit. Et ad hoc propositum adfert illud, quod duo illi Discipuli, quibus in Emaus castellum abeuntibus in via Christus in forma & specie peregrini apparuit, & quibuscum è sacra Scriptura multa loquebatur, illo disparente ad inuicem dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Nec non illud Dauidicum: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Psalmo vndecimo, versiculo septimo.* Et Sanctus Ambrosius sacram lectionem esse ait ceu animæ vitam, vtpote testante id Domino.

Lectio sacra ceu ignis accendit animã.

Serm. 3.55.

Quod autem inquit *sacrarum litterarum lectio vita sit. Ioannis sexto, versiculo sexagesimo quarto.* Dominus testatur, dicens: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Vt ergo vitam spiritualem viuamus, ac semper in spiritu, atque in amore Dei ardentes & inflammati ambulemus, sacræ lectioni serio nos applicemus, & eo quo diximus modo eam vsurpemus.

Lectio sacra vita animæ.

Multa adferre exempla possemus, ad bona & vtilitates magnas, quæ hac ex lectione sequuntur, adstruendas; sed vnum Sancti Augustini attulisse satis erit in præsens, quod etiam singularia continet documenta. Refert ergo sanctus hic Præsul, venisse ad se quodam die nobilem ex Africa virum, nomine Politianum. Hic ei narrabat quæ passim per orbem de Magno Antonio prodigia & mira sermone omnium spargebantur. Addebat inter cætera, se, interim dum Imperator Treueris spectaculis publicis se oblectaret, cum aliis tribus sociis, Imperatoriam curiam etiam sectantibus, in hortos suburbanos animi causa deambulatum exisse, & illorum duos ab aliis diuulsos, in quandam eremicolæ casulam incidisse, inque ea librum, quo Magni Antonii vita scripta continebatur inuenisse.

Lib. 8. Confess. c. 6.

Horum alter cum legere in eo inciperet, illico cor eius sancto quodam amore cæpit inardescere, & suipsius pertæsus, amico ait, Dic mihi, obsecro, quid omnibus illis laboribus nostris, quos tot annis castra Imperatoria sequendo, & toties magno cum vitæ discrimine confligendo, subimus, spectamus? Melioremne sortem nanciscemur, quam vt in interiorem Imperatoris familiaritatem & amicitiam admittamur? In hoc vero statu quam omnia sunt turbinibus, vicissitudini, mutationi, summoque periculo obnoxia! Et ad hoc ingens periculum per quam multa variaque pericula peruenitur! Amicus autem Dei si voluero, ecce ex hoc esse momento possum.

S. Antonii vita lectio conuersionis occasio.

Hæc dicens, per nouæ vitæ quam cæperat parturitionem nonnihil turbatus, iterum suos ad librum oculos retulit, introrsumque animo mutatus, rebus mundanis, vt quidem statim videre fuit, serio valedicere proposuit. Vt enim legere cessauit, multisque in corde illius cogitationum fluctibus, in diuersa pellentibus, ad spei scopulos collisis, & altum suspirans, socio dixit: Equidem iam totus quietus & tranquilla sum mente, iam ab omni spe nostra & prætensione animum abrupi, sic Deo seruire plane mecum statui, & iam inde ab hac hora isthoc in loco hærebo. Tu, si sequi piget & imitari, mihi saltem noli obstaculo esse vel aduersari. Tum alter, tam luculenta affulgente laboris spe, se ab eo diuelli, aut eius societatem derelinquere posse negauit. Quare ambo sufficientibus sumptibus comparatis, omnia scilicet quæ habebant relinquendo, spiritualis vitæ ædificium construere cæperunt, ac Christum nudum nudi sequi; quin & (quod non minus mirandum) sponsas, quibus ambo desponsi

erant,

erant, magna constantia deseruere, quæ pio sponsorum suorum audito proposito, Deo se pariter consecrarunt, virginitatisque votum conceperunt. Hæc de aliis quidem commemorat Augustinus: sed hoc apud eum exemplum tanti fuit roboris, vt statim apud amicorum suorum quempiam, magno animi motu exclamans dixerit: *Quid agimus? quid est hoc? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt; & nos cum doctrinis demergimur in profundum.* Rem prosequens Augustinus, hoc in sensu & lancinantis animi motu in vicinum se ait hortum abiisse, & sub ficu quadam prostratum, & lacrymis habenas laxando, magna cum cordis angustia & turbatione dicere cœpisse: *Et tu Domine vsquequo? Vsquequo irasceris in finem? nesciet finẽ ira tua? ne reminiscaris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum.* Et hæc verba, *Vsquequo, vsquequo,* nec non, *Cras, cras: quare non hodie? cur non hodie finis turpitudinis meæ?* Magno quodam pietatis sensu ac motu animi identidem repetenti & ingeminanti vox de cœlo allapsa est, clamans, *Tolle lege, tolle lege.* Tunc se de loco, in quo sedebat, surrexisse ad codicem sacrum, quem apud se habebat, in manus accipiendum, vt aliquid in eo legeret. Audiuerat namque, hunc ipsum Antonium, dum casu in templo ex Euangelio audit legi, *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo,* omnibus quas possidebat, facultatibus abdicatis, Christum Iesum sequi proposuisse. Hoc ergo se exemplo, & magis voce audita commotum librum arripuisse, & in eo legisse scribit. Qua in lectione tantam illi Deus Pater luminum lucem infudit, vt omnibus quæ mundi sunt, relictis, totum se illius obsequio manciparit.

Cap. 8.

S. Antonius & S. Augustinus ex lectione conuersi.

Matt. 19. 21.

* * *

TRACTATVS SEXTVS

De Præsentia Dei.

CAPVT I.

De exercitii huius præstantia, deque magnis quæ eodem continentur, bonis.

Psal. 104. 4.

*Varite Dominum & confirmamini: quærite faciem eius semper,* ait Vates Regius. Per faciem Domini, inquit Augustinus, ipsa eius intelligitur præsentia: ac consequenter faciem Domini quærere, aliud non est, quam semper in eius præsentia ambulare, cor ad ipsum per pium desiderium & amorem conuertendo. Hesychius porro in vltima centuria (citat hunc quoque S. Bonauentura) ait, semper in hoc præsentiæ Dei exercitio ambulare, esse quodammodo beatitudinem cœlestem in hac vita auspicare: Sanctorum quippe beatitudo in perpetua Dei visione consistit, nunquam vt eius conspectu priuentur. Cum ergo in hac vita clare & vti reuera est Deum videre non possimus (quia id beatorum proprium est) nostro saltem modo, & prout id humana fragilitas feret, eos imitemur, semper & vbique Deum videre, intueri &

In Psal. 104.

Beatitudinis initium est memoria præsentiæ Dei.

Tom. 2 opuscul. Lib. 2. de profect. Religios. c. 29.

amare procurando. Nam sicut nos Deus condidit, vt semper apud illum in cœlo versaremur, eoque ibi frueremur, ita etiam in terra quoddam illius beatitudinis nos voluit specimen & imaginem habere, semper coram illo ambulantes, eum contemplantes & honorantes, etsi alioquin imperfecte & obscure. *Videmus* quippe Deum *nunc* per fidem, velut *per speculum in ænigmate*, postea *autem* manifeste *facie ad faciem*. *Illa*, inquit Hesychius, *visio clara præmium* est gloria & beatitudo, quam speramus; *ista obscura, meritum*, cuius ope alia illa obtinenda est, cæterum pro modulo nostro cælites ac beatos imitamur, dum operam damus, vt in operibus quæ agimus, nunquam Deum ex oculis amittamus.

1. Cor. 13. 12.

Visio obscura meretur claram.

Ac velut Angeli, qui ad nos custodiendos ac tuendos deputati sunt, ita his sese ministeriis occupant, vt tamen beato Dei conspectu neutiquam priuentur (sicut Angelus Raphael Tobiæ aiebat, *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest vtor*) Deoque pascuntur & sustentantur: *semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*. Pari modo nobis, etsi comedamus, bibamus, cum hominibus agamus & conuersemur, quin adeo rebus his detineri & occupari videamur, danda opera est, vt ille cibus noster & occupatio non sit; sed cibus alius inuisibilis, quique ab hominibus non videatur, Deum scilicet assidue contemplari & amare, sanctissimamque eius voluntatem exacte obseruare.

Vt Angeli semper Deū intueamur.

Tob. 12. 19.

Matt. 18. 10.

Præsentia Dei cibus animæ.

Veteres sane Patres, & sancti illi Patriarchæ magno semper conatu & studio in hoc in præsentia Dei assidue ambulandi exercitium incubuerunt. De se quippe Psaltes ait, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper; quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Satis namque ei non erat, septies in die laudem Deo canere, nisi & eum semper sibi præsentem habere procuraret. Tam continuum scilicet & frequens priscis illis Patribus hocce exercitium erit, vt commune prouerbium apud eos foret hoc, *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.*

Psal. 15. 8.

Magna porro & singularia sunt bona & vtilitates, quæ ex hoc in conspectu Dei ambulandi exercitio quo eum semper nobis præsentem consideramus & spectamus, consequuntur; hinc tantopere erga ipsum sancti omnes afficiebantur. Hoc namque sufficit, vt quis in omnibus operibus suis circumspectus admodum & bene compositus incedat. Quis enim, obsecro, seruus ante Domini sui oculos non pro eo vt oportet, se gereret? Quis seruus adeo futurus audax & proteruus, vt hero præsente non agat, quod fieri ille iubet, aut illo inspiciente eum audeat offendere? Quis denique fur furari audeat, se à Iudice coram videri, & gesta sua notari videns? Cum ergo Deus, qui noster est Iudex, & omnipotens est, & efficere potest vt aperiente terra infernus deuoret eum à quo iniuriam accipit (vti & interdum fieri permisit) nos desuper inspectet, quis eum offendere præsumat? Vnde sic orabat S. Augustinus: Quando cum attentione cōsidero Domine te, semper me cōtemplari, ac noctu & interdiu super me excubare, & quidem tam sedulo ac diligenter, quasi tibi alia nulla tum in cœlo, tum in terra, præter me solum creatura gubernanda esset; cum inquam attente considero omnia opera, cogitationes ac desideria mea tibi plane patere, & aperta ante oculos tuos esse, timore pariter & ingenti rubore confundor: quoniam nobis magna est indita necessitas iuste recteque viuendi, quia cuncta facimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis. Si enim hic in terra ob viri alicuius grauis præsentiam modeste & composite

3. Reg. 17. 1.
4. Reg. 3. 14.

Præsentia Dei peccatum arcet.

Cap. 14. Soliloq.
Deus singulis intendit, ac si soli essent.

nos gerimus, quid non faciet ipsa Dei Opt. Maximi præsentia?

S. Hieronymus in illam Domini de ingrata Hierosolyma per os Ezechielis prolatam expostulationem, *Meique oblita es*, *scribens*, ait, *Memoria enim Dei excludit cuncta flagitia.* Idem quoque habet S. Ambrosius. Alio quoque loco idem Hieronymus dicit: *Certe* tam efficax medium est ipsa iugis Dei memoria, & semper nos coram illo ambulare imaginari, vt *quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, nunquam quod ei displicet faceremus.* Hoc vnum scilicet Thaidi peccatrici, ad flagitiosam vitam deserendam, & solitudinem, vt pœnitentiam in ea ageret, petendam (vt ante diximus) satis fuit. Vnde dicebat olim Iob, *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Quasi diceret, Deus me ceu testis oculatissimus desuper contemplatur, ac mea enumerat vestigia; quis ergo peccare aut graue quid agere sustineat? Econtra omnis improborum dissolutio, ruina & perditio inde duntaxat ortum habet, quod Deum præsentem adesse, seque ab eo videri non recordentur, iuxta illud quod toties Scriptura sub persona impiorum repetendo inculcat, *Et dixisti, Non est qui videat me.* Et, *Non videbit nouissima nostra.* Ita id notauit S. Hieronymus scribens in supra indicatum Ezechielis caput 22. in quo multorum scelerum ac peccatorum quæ in ea vigebant, Hierosolymam coarguens Propheta, tandem concludens ait, vnicam horum omnium causam, originem, & fontem esse, quod Dei sui esset oblita. Quam etiam causam multis aliis in locis Scriptura diuina assignat. Nam vt equus freno, & nauis gubernaculo suo destituta in suam perniciem, interitum & exitium fertur, ita homo isthoc freno carens, post suas concupiscentias & passiones effrenes præceps abit. Vnde de impio canit Psalmographus, *Non est Deus in conspectu eius*, id est, Deum præ oculis non habet; ideo *inquinatæ sunt viæ* (id est opera) *illius in omni tempore.*

Ezech. 22. 12.

Lib. de fide resurr. tom. 4.

In Ezech. 8. in illud, Dicunt enim, non videb.

Tract. 5. c. 19.

Iob. 31. 4.

Isa. 47. 10.

Ier. 12. 4.

Obliuio Dei causa omnis peccati.

Præsentia Dei frænum peccatoris.

Psal. 9. 26.

Hinc etiam D. Basilius omnibus prope tentationibus, laboribus, atque adeo omnibus quæ incidere possunt rebus & occasionibus, nullum aliud remedium, quam hanc ipsam Dei præsentiam multis in locis assignat. Quamobrem si breue quoddam & compendiosum perfectionis obtinendæ medium, quodque omnium aliorum medium vim & energiam eminenter in se comprehendat & complectatur, cupis, vnum hoc obserua; quod etiam vt tale Deus ipse Abrahamo Patriarchæ olim suggessit, dicens, *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quo loco, vti & aliis multis Scripturæ locis, imperatiuum pro futuro capitur, quo certitudo & infallibilitas ipsa successus declaretur. Tam certum namque est, te perfectum fore, si Dei in conspectu semper ambules, teque iugiter ab eo videri consideres, vt statim te vt talem existimare possis. Nam sicut stellæ ab aspectu solis, quem præsentem habent, & quem intuentur, lucem hauriunt, ad tum intus, tum extra se splendendum, necnon virtutem, ad suos in terram influxus immittendos. Non secus viri iusti, qui veluti stellæ in Dei Eclesia collucent, ab ipso Dei aspectu, quod scilicet eum præsentem semper habeant, & suas versus eum cogitationes & desideria conuertant, lucem illam mutuantur, qua in interiori quidem suo (quod Deus intuetur) veris solidisque virtutibus; in exteriori vero, quod patet hominibus, omni decentia honestateque resplendent, & virtutem ac rocur ad alios ædificandos, & fructum iis afferendum colligunt. Nullo in mundo res est, quæ magis proprie ac melius declaret quam nos necesse sit semper in Dei conspectu ambulare, quam hæc de qua loquimur. Vide enim quæ

In Regul. breuiorib. & in Regul. fusius disp.

Præsentia Dei summũ perfectionis remedium.

Gen. 17. 1.

Vt stella à Sole sic iusti à præsentia Dei pendent.

Lunæ ſit à ſole dependentia, ac quam illa neceſſario ſemper in eius conſpectu verſari debeat: Luna nullam ex ſe claritatem habet, præterquam illam quam à ſole recipit pro aſpectus quo ipſum reſpicit diuerſitate, iuxta claritatem quam recipit à ſole in corpora inferiora operatur, itaque eius effectus ſunt pro claritatis acceptæ magnitudine vel paruitate maiores vel minores. Hinc dum aliquid Lunæ obijcitur, quod Solis ei aſpectum & viſionem ſubtrahit ſtatim eo ipſo momento deliquium & ecclypſin patitur, ſuamque claritatem & ſplendorem, & vna cum eo non minimam ſuæ in operando efficaciæ, quam luce mediante habebat, partem amittit. Eodem plane modo ſe habet anima cum Deo qui eius ſol eſt.

Atque idcirco ſancti Patres hoc exercitium tantopere nobis commendant. Ambroſius namque & Bernardus, docentes quam eiuſdem continuatio & in eo perſeuerantia nobis ſit neceſſaria, dicunt; *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia. Sic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria.* Alio vero loco idem Bernhardus ſic loquitur, *In omni actu vel cogitatu ſuo ſibi Deum adeſſe memoret* Religioſus: *& omne tempus, quod de ipſo non cogitat, perdidiſſe ſe computet.* Cum Deus non obliuiſcatur noſtri; par erit nos illius nunquam obliuiſcamur. Atque inde S. Auguſtinus in illud Pſalmi 32. *Firmabo ſuper te oculos meos*, ſcribens, velut paraphraſtice ait, *Non à te auferam oculos meos*, quia & tu non aufers *à me oculos tuos*, ſemper eos infixos habebo; ſicut habebat ille qui dicebat, *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Nazianzenus denique ait, *Non tam ſæpe reſpirare, quam Dei meminiſſe debemus.* Nam quemadmodum neceſſaria nobis eſt ad cor refrigerandum, ac naturalem calorem nonnihil imminuendum reſpiratio: ſic neceſſe non eſt orationem aſſidue ad Deum recurrere, quo inordinatum concupiſcentiæ ardorem, à quo ad peccandum ſolicitamur & exſtimulemur, refrenemus.

Lib. de dignit. condit. hum.

Deus ſemper benefacit nobis.

In ſpecul. Monachor.

Tempus perditum quo Dei non recordantur.

In Pſal. 31. 8.

Pſal. 24. 15.

In orat. 1. Theolog.

Reſpiratio noſtra ſit præſentia Dei.

Capvt II.

In quo hocce ſemper in Dei præſentia verſandi exercitium ſitum ſit.

Vt vero melius aliquam è præſenti exercitio vtilitatem capiamus, ante oſtendamus neceſſe eſt, in quo ipſum conſiſtat. In duobus id potiſſimum punctis ſitum eſt, in duobus ſcilicet actibus; vno intellectus, voluntatis altero: Primus actus eſt intellectus, quia ille (vt docent Philoſophi) ſemper ad quemcumque voluntatis actum requiritur ac præſupponitur. Principio ergo, intellectu ipſo conſiderandum eſt, Deum hoc & quolibet alio loco præſentem adeſſe, vniuerſum mundum replere, in omnibus, & qualibet eorum parte, & in quacumque demum creatura, quantumlibet exigua, totum exiſtere. Et ſic quidam fidei actus concipiendus eſt; quia hæc vna de veritatibus eſt, quas nobis fides credendas proponit. Ait quippe Apoſtolus: *Non longe eſt* Deus *ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Vnde etiam aiebat Auguſtinus, *Intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam.* Intra te eſt; quin imo magis præſens, intimus & intrinſecus tibi eſt, quam tu ipſe tibi. In ipſo viuimus, mouemur, & eſſe noſtrum habemus. Ipſe vitam dat omni viuenti, & omni quod aliquo modo potens eſt, potentiam; omni quod eſt ſuum eſſe: qui ſi præſens non adeſſet, omnia ſuſtentando, vniuerſa eſſe deſinerent, & in nihilum redigerentur. Conſidera deinde vndiquaque te Deo plenum eſſe, à Deo circumcingi & ambiri, inque Deo velut natare, quod

Duo actus hic requiruntur Intellectus & Voluntatis.

Ille præmittendus.

Intellectus proponit præſentiam Dei quæ eſt de fide.

Act. 17. 27.

Lib. 10. Confeſſ. c. 27.

Deus vbique eſt & omnia conſeruat.

quod verba illa, *Pleni ſunt cœli & terra gloria tua*, egregie & liquido declarant.

Nonnulli, vt melius adhoc peruenirant, mundum hunc vniuerſum Deo plenum, vti reuera eſt, conſiderant, ſeque ipſos in maris huius infiniti (quod Deus eſt) medio conſtitutos, & ab eo circumuallatos & cinctos imaginantur: non ſecus ac ſpongia in medio mari natitans, tota & prorſus ab aquis imbibitur & penetratur, quin etiam vndiquaque ab aquis cingitur & circumdatur.

Plus in Deo ſumus quam ſpongia in mari.

Nec vero impertinens & inepta eſt comparatio, vt tenus noſtro ingenio comprehendatur, etſi alioquin ſimilitudo hæc anguſta plane rem non adæquet, nec ad eius fundum pertingat, & quod intendimus, per omnia non declaret. Nam ſi ſpongia hæc in medio mari conſtituta aſcendat ſurſum, tandem finem & extremum inuenit; ſi deorſum deſcendat, fundum; ſi ad hoc latus vel illud declinet, terminum reperit. at in Deo nihil tale reperies. De eo namque Propheta: *Si deſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Pſal. 138. 8.

Spongia terminum inuenit & penetrari nequit, ſecus nos in Deo.

Nullum enim in Deo extremum vel terminus eſt: vtpote qui immenſus & infinitus eſt. Præterea ſpongia, quia quoddam corpus eſt, non poteſt plane ab aqua, quæ aliud corpus eſt, penetrari; ſed nos in omnibus, & per omnia à Deo, qui purus eſt ſpiritus, penetramur. Cæteroquin hæ atque aliæ ſimiles comparationes, etſi tenues & impares ſint, conferunt & bonæ ſunt, vt nos mortales infinitam Dei immenſitatem aliquatenus intelligamus, &, quomodo ipſe in nobis, atque adeo in omnibus rebus, præſens & intimus, ſit, nouerimus. Atque hanc ob cauſam illis vtitur S. Auguſtinus.

Epiſt. 57. ad Dardan. & lib. 7. Confeſſ. c. 5.

Cæterum in hoc exercitio notandum eſt, non eſſe ad hanc Dei præſentiam habendam neceſſe, conceptum aut repreſentationem aliquam de Deo per imaginationem formare, eum ad latus noſtrum, aut in alio quolibet loco deſignato adeſſe fingendo, neque eum in tali forma aut figura nobis imaginari. Sunt enim nonnulli qui Ieſum Chriſtum ante ſe, vel ad latus ſuum ſibi repræſentant, quod item vbique cum ipſis ambulet, atque in omnibus quæ agunt, ipſos inſpiciat; itaque ſemper in Dei verſantur conſpectu. Horum quidam ſibi repreſentant Chriſtum crucifixum, alii columnæ alligatum, alii in oratione in horto ſanguineas guttas effundentem, alii eum in alio paſſionis tormento conſtitutum, vel gaudioſum aliquod myſterium ſanctiſſimæ vitæ ſuæ obeuntem, prout ſe quiſque magis emoueri ſentiet. Vel modo eum ſibi repreſentant hoc modo illud opus peragentem. Et quamquam hoc inprimis vtile ac bonum ſit, modo quis bene eo vti norit; communiter tamen loquendo nobis id vſquequaque non quadrat, neue ſemper expedit: omnes namque hæ rerum corporalium figuræ & imaginationes caput & cerebrum defatigant, debilitant, & perturbant. SS. Bernardus & Bonauentura longo alio id & commodiori modo facere norant, quam nos, miramque in eo facilitatem & quietem inueniebant; hinc ſe in illa vulnerum Chriſti Ieſu foramina, & intra latus illius apertum ingerebant; illud vnicum ipſorum erat aſylum, refugium & ſolatium, ſibi dici putantes illa ſponſi ad ſponſam verba, *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna materiæ.* Alias ipſam crucis radicem ac baſim cordi ſuo implantatam & infixam eſſe imaginabantur, magnaque animi dulcedine ac teneritudine illas ſanguinis guttas, quæ è fontibus Saluatoris procurrebant ac profluebant, intra os ſuum ſe recipere cogitabant. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Hi quidem ſancti id bene & prout oportebat facie-

Ieſum corporeum imaginari vtile, ſed difficile.

Cant. 2. 31.

Sancti bene norant imaginari nobis id periculoſum.

Iſa. 12. 3.

faciebant, atque inde mirifice proficiebant: at si toto die in id genus considerationibus & hac Dei præsentia versari velis, vno forte vel die vel mense, quo hanc præsentiam vsurpabis, omnem anni integri orationis fructum amittes: quia hocce exercitio tibi lædes caput.

Ad oculum hinc patebit, quam hoc nos merito præmonere oporteat: cum etiam in compositione loci (quæ vnum est de orationis præambulis, qua præsentes nos esse imaginamur rei quæ meditanda est, cogitando eam reuera ante oculos nostros geri) facienda notent illi qui de orandi methodo scripserunt, non esse imaginationem magnopere per figuram ac repræsentationem illarum rerum corporalium, quæ cogitantur, obruendam, tum ne caput ac cerebrum lædatur, tum ob alia illusionum hic occurrere solitarum pericula. Itaque si vel in vno orationis præambulo, quod tam breuiter tamen, & inquiete, & per otium fit, & in quo in nullam rem aliam hominem necesse est intendere, tanta circumspectione & cautela opus sit; quid erit ergo, quando toto die, & inter alias occupationes, hanc compositionem vsurpare volet?

Imaginationi cauendum in hoc exercitio.

Porro Dei præsentia, de qua in præsens agimus, omnes illas imaginationes & considerationes violentas excludit, atque ab iis nimis quam remota est: hic namque de præsentia Dei loquimur, in quantum Deus est; quem necesse non est fingere præsentem hic adesse, sed tutius ipsum firmiter credere: vere namque adest.

Præsentia Dei credenda non imaginanda.

Christus Iesus, Redemptor noster, in quantum homo, tam in cœlo est, quam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: at non est vbique & quouis loco præsens. Quocirca dum Christum, in quantum homo est, præsentē nobis imaginamur, mera id imaginatio est, quam ipsi nobis fingimus: verum in quantum Deus, vere hic præsens adest, & intra me, & quouis loco, omniaque replet. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Necesse autem non est fingere, quod reuera à parte rei existit, sed potius id, quod vere est, credere.

Christus qua homo non est vbique, vt Deus. Sap. 1. 7.

Secundo, ipsa Christi humanitas per imaginationem quidem figurari ac repræsentari potest, quia corpus habet ac figuram: at Deus, in quantum Deus est, figurari imaginariue non potest, vti re uera est, quia corpore & figura omni caret, cum purus sit spiritus. Ne Angelum quidem, imo nec animam nostram, prout vere est, imaginari aut concipere possumus, quia spiritus est; quanto minus imaginari aut concipere qualis sit Deus?

Deus incorporeus sub imaginationem non cadit.

Quomodo ergo Deum præsentē contemplari aut fingere possumus? non aliter scilicet, quam quendam fidei actum faciendo, præsupponendo inquam credendoque Deum vere hic præsentem adesse, cum id ipsa nos doceat fides; ita tamen, vt scire nolimus, quomodo aut qualis sit. Plane sicut Mosen fecisse ait Apostolus, qui Deum *inuisibilem tanquā videns sustinebat*, & eum ceu præsentem & quasi coram videret considerabat, scire nolens aut imaginari, quomodo esset; perinde ac dum quis cum amico suo de nocte in tenebris loquitur, & de eius forma nihil sollicitus est, neue de ea vel cogitat; sola amici sui conuersatione & præsentia, quem præsentem esse nouit, fruens ac se oblectans. Ita & nos Deum præsentem fingere debemus: sufficit quippe nos scire, amicum nostrum hic adesse, eo vt fruamur, neque necesse non est sollicite inquirere vel considerare quomodo aut qualis sit, quia nunquam eo pertingemus; vtpote cum adhuc in caliginosa nocte agamus: exspectemus vero donec dies lucescat, & alterius vitæ aurora adueniat. tunc quippe se nobis manifestabit, & clare eum prout reuera est, videre poterimus. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Hac de causa Deus Mosi apparuit in nebula & obscura caligine, vt scilicet eum non videas, sed solum præsentem adesse credas. Quidquid diximus hactenus, ad primum intellectus actum, qui præ-

Credamus Deum adesse, plura non inquiramus.

1. Ioan. 3. 2.

præsupponendus est, spectat. Notandum vero, præcipuam exercitii huius partem neutiquam in hoc consistere: quippe non intellectus tantum occupandus est, Deum præsentem considerando; sed & voluntas, eum & desiderando & amando, seque illi vniendo. Atque ideo in his voluntatis actibus exercitium hoc præcipue consistit. De qua re capite sequenti locuturi sumus.

Actus voluntatis potior.

CAPVT III.

De actibus voluntatis, in quibus Exercitium hoc potissimum consistit, & quomodo in iis nos exercere debeamus.

S. Bonauentura in mystica sua Theologia docet, ipsos voluntatis actus, quibus in sancto hoc exercitio cor ad Deum eleuandum est, ardentia quædam esse cordis desideria, quibus se anima perfecto quodam amore Deo vnire desiderat; necnon affectus quosdam inflammatos, viua etiam quædam è visceribus intimis profecta suspiria, quibus ipsa ad Deum anhelat; denique pios quosdam & amorosos voluntatis motus, quibus, ceu alis quibusdam spiritualibus, se extollit, ac sursum librat ac subleuat, Deoque se arctius colligare & constringere allaborat. Hæc desideria & vehementes atque ardentes cordis affectus, à sanctis Patribus aspirationes vocantur; quod his anima se ad Deum subleuet; quod idem est atque ad Deum aspirare: & quia, vt reddit Bonauentura, sicut respirando anhelitum & spiritum ex interiori corporis nostri, sine vlla præuia deliberatione trahimur; ita etiam celerrime, & interdum sine deliberatione præuia, vel quasi sine illa, ardentia hæc desideria, ex intimis cordis penetralibus ducimus & prolicimus.

Vita 3. & in opusc 15. memor. c. 22.

Aspirationes dictæ ad imitationem respirationis.

Aspirationes porro has & desideria homo per breues quasdam & frequentes orationes declarat, quas iaculatorias, id est, *raptim eiaculatas* (vt quidem ait S. Augustinus) nuncupant. Sunt hæ namque ceu ardentia quædam iacula & sagittæ, quæ ex corde intimo euibratæ, in momento ad Deum subito efferuntur & emittuntur.

Epistol. ad Probam, quæ est 121.

Iaculatoriæ à velocitate dictæ.

Hocce orationum genus frequens ac familiare priscis illis erat Ægyptiis monachis, vt ait Cassianus; & has ipsi permagni faciebant; partim quia eo quod sunt breues, caput non lædunt; partim quia cum feruore quodam & spiritu eleuato eiaculantur, & subito ante Dei conspectum sese sistunt. Atque ideo nullum dæmoni eius qui eas concipit perturbandi, aut aliquod in corde eius impedimentum objiciendi locum dant. Notanda proinde sunt illa S. Augustini verba ab iis qui se orationi applicant: *Ne*, inquit, *illa vigilans & erecta intentio, quæ tamen necessaria est oranti* ad cum debita reuerentia & respectu orandum, *per productiores moras haberetur*, vti in longa oratione fieri solet. Per has ergo orationes iaculatorias sancti illi Monachi Deum sibi semper præsentem imaginabantur, suum frequentissime cor ad Deum sustollentes, & assidue cum ipso conuersantes & tractantes.

Lib. 2. de instit. renunciant.

Iaculatoriæ Dæmonem non metuunt.

Epistol. ad Probam. Chrysost. homil. 79.

Abbas Isaac collat. 10. c. 10.

Atque ideo hic in præsentia Dei ambulandi modus nobis vt plurimum conuenientior, facilior, & fructuosior est: sed ipsam exercitii huius praxin iam pluribus opus erit declarare: hanc Cassianus in communi illo versiculo, in quo singulas suas Horas Ecclesia exorditur, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*, ait includi. Si quod negotium, in quo graue periculum subest, auspicaris, sic Deum, vt te, ad bene ex eo emergendum, iuuare dignetur, ora, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.* In omni siquidem re Dei auxilio opus habemus & succursu, hinc ipsum semper nos exposcere oportet.

Collat. 10. c. 10.

Psal. 69. 2.

Deus in adiutorium meum intende &c. Hæc oratio ad omnia seruit.

Addit præterea Cassianus, versum hunc mirabilem esse, & ad quoscunque affectus nostros, in quolibet statu, occasione, & casu qui inciderit, declarandos oportunum. Per illum namque diuinam opem petimus; per illum nos humiliamus, necessitatem & miseriam nostram agnoscentes; per illum mentem eleuamus, & à Deo nos exaudiendos & adiuuandos confidimus; per illum in amorem Domini, qui nostrum refugium & protector est, inflammamur. In eo denique impenetrabile quoddam in omnibus conflictibus & tentationibus, quæ possunt incidere, scutum, loricam cuilibet telo imperuiam, murum quoque à nulla machina expugnabilem inuenies: quocirca iugiter eum tam in ore, quam in corde habeas necesse est; atque adeo hic continua & perpetua tibi esse debet oratio, necnon tuum in præsentia Dei semper ambulandi exercitium.

Benedicam Dominum in omni tempore.

Exercitii huius praxin S. Basilius in eo ponit, vt qualibet ex re Dei recordandi occasionem capiamus. Concedis? Deo gratias age: vestem induis? Deo gratias age: in agrum aut hortum prodis? benedic Deum, qui illa creauit: contemplaris cœlum aut solem, aut reliqua omnia creata? Vniuersorum creatorem lauda: inter dormiendum, quoties somno excitaberis, toties cor ad Deum sustolle.

Iaculatoriæ triplices iuxta tres vias, & si omnes à singulis vsurpari queant.

Alii, quoniam in vita spirituali tres sunt viæ, prima purgatiua, quæ Incipientium est; secunda illuminatiua, quæ Proficientium propria; tertia demum vnitiua, quæ ad perfectos spectat; tria aspirationum & orationum iaculatoriarum genera ponunt. Primæ ad peccatorum veniam obtinendam, & animam à vitiis atque affectionibus terrenis expurgandam diriguntur; atque hæ ad viam purgatiuam spectant: aliæ ad virtutes obtinendas, tentationes superandas, difficultates & labores virtutis habendæ ergo suscipiendos; hæ ad viam pertinent illuminatiuam: aliæ denique ad vnionem animæ cum Deo per perfecti amoris vinculum impetrandam; hæ ad viam vnitiuam referuntur: vt nimirum in hoc exercitio se quisque iuxta statum & dispositionem suam exerceat. Quamobrem (quantum quidem ad hoc spectat) fas sit hominem, esto etiam sit perfectissimus, nonnunquam se in dolore de peccatis concipiendo, ac in venia illorum à Deo petenda, & gratia ad ipsum nunquam amplius offendendum exposcenda exercere. Et erit hoc, bonum & Deo gratissimum exercitium. Quin imo tam hic, quam qui animam à vitiis & inordinatis passionibus expurgare, & virtutes ei inserere studet, se poterit etiam in actibus amoris erga Deum concipiendis, quo hoc ipsum maiori facilitate & suauitate faciat, exercere. Ergo omnes omnino se in hoc exercitio exercere possunt: modo quidem huiuscemodi verbis & actibus concipiendis: Vtinam te Domine nunquam offendissem? Ne permittas, Domine, vt te posthac amplius offendam. Da potius vt moriar, quam vt peccem. Det vtinam diuina tua Maiestas, mille potius mortibus moriar, quam in vllum lethale peccatum incidam.

Purgatiuæ.

Illuminatiuæ.

Alias, immensas illi pro beneficiis ab eo receptis, partim generalibus, partim particularibus, gratias agendo, vel virtutes aliquas postulando, modo quidem profundam humilitatem, modo perfectā obedientiam, interdum feruentem caritatem, subinde patientiam cor ad Deum sustollendum.

Vnitiuæ.

Alias deniq; per aliquos actus amoris, & magnam cum sanctissima eius voluntate conformitatem, suum quis potest cor ad Deum eleuare, dicendo, verbi gratia, *Dilectus meus mihi: & ego illi. Non mea voluntas, sed tua fiat. Quid enim est mihi in cælo, & à te quid volui super terram?*

Cant. 2. 16. Luc. 22. 42. Psal. 72. 25.

Iaculatoriæ optimæ quæ è proprio nascuntur.

Hæ aliæque id genus aspirationes & orationes iaculatoriæ perutiles sunt ad hoc præsentiæ Dei exercitium semper colendum: optimæ autem & efficacissimæ esse solent illæ, quas animus à Deo motus

motus & concitatus per seipse concipit, etsi forte verbis nō tum compositis & ordinatis, atque illæ priores sunt quas iam attulimus, concipiantur. Minus vero necessarium est, vt orationes hæ & multæ & diuersæ sint: nam vel vna, sæpius magno cum affectu repetita, satis esse poterit, vt multos dies, quin imo toto vitæ tempore, in hoc exercitio se quis impendat. Si enim te proficere comperias, frequenter & identidem illa Apostoli Pauli verba, *Actor.9.versic.6. Domine quid me vis facere?* Vel illa Sponsæ, *Cantic.2 versic. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vel denique illa Prophetæ: *Psalm.72.vers.25. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* repetendo; non est necesse ad alia transeas: sed in hoc mane & persevera, & hoc continuum tuum exercitium, & in præsentia Dei ambulandi studium sit.

Non est necesse plures esse aut diuersas.

Caput IV.

Exercitii huius praxis amplius declaratur, necnon quidam valde facilis, fructuosus, multamque perfectionem includens in præsentia Dei ambulandi modus proponitur.

Inter alias aspirationes & orationes iaculatorias, à nobis vsurpandas identidem, non postrema, sed facile princeps, & ad exercitii huius praxin conuenientissima est illa, quam nos docet Apostolus, dicens, *priori Corinthiorum decimo, versiculo trigesimo primo: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* In omnibus scilicet quæ ages, aut saltem quam potes frequentissime, cor tuū stude ad Deū sustollere, ac dicere, Propter te Domine hoc ago, vt sic te delectem, tibique gratificer: quia id ita fieri iubes. Voluntas tua, mea est, tuum beneplacitum meum: aliud equidem velle & nolle non habeo, quā quod ipse aut voles aut noles: quin omne meum gaudium, voluptas, atque exultatio est, vt voluntatem tuam adimpleam, tibi placeam, satisfaciam, & gratificer, nec aliud est in cælo vel in terra, quod cupiam, desiderem, aut in quod oculos meos coniiciam.

Ad maiorem Dei gloriam.

Est hæc optima in Dei conspectu iugiter ambulandi ratio, atque ea admodum facilis, vtilis, magnamque perfectionem includens: hoc namque est in continuo quodam amoris Dei exercitio agere.

Quoniam vero hac de re in aliis locis egimus, hoc tantum hic addere visum, hanc vnam de optimis & fructuosissimis, quas habere possumus, in oratione semper agendi rationibus esse. Vt nihil aliud, quod ad plenam exercitii huius commendationem laudemque dicatur, deesse videatur quam dicere, per ipsum nos continuam illam & iugem consequi orationem, quam in Euangelio Saluator noster Christus à sequacibus exigit, *Oportet semper orare, & non deficere.* Ecquæ enim dari melior oratio potest, quā quod maiorem Dei gloriam & honorem semper desideret, eiusque voluntati semper & in omnibus se conformet; vt videlicet aliud non velit, vel nolit, quā quod Deus vult, aut non vult, & omnis & vnica eius voluptas & beneplacitum sit, voluptas & beneplacitum Dei.

Tract.3.c.8. Tract.8.c.4.

Luc. 18.1.

Optima hæc est oratio cito cor immutans.

Hanc ob causam insignis quidam Doctor Theologus non sine ratione tradit, eum, qui per affectus hos & desideria interiora in hoc exercitio diligenter perseuerabit, tantas ex eo vtilitates capturum, vt suum ipse cor breuissimo tempore mutatum, & plane alium factum se esse, percepturus sit, adhæc cum particularem quandam in eo à rebus terrenis auersionem, tum singularem erga Deum & diuina affectum notaturus. Hoc scilicet est iam incipere esse ciuem cæli, & domus Dei intimum, familiarem & domesticum. (*Iam non estis*, inquit Apostolus, *hospites &*

Dionys. Carthus. Lib.1. de contemplat. c. 25.

Facit ciues cæli.

Ephes.2.29.

aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.) Illi nimirum sunt nobiles illi, quos in Apocalypsi sua Ioannes conspexit, nomen Dei in frontibus suis scriptum habentes, quod est continua quædam & iugis Dei memoria & præsentia. (*Et videbant faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.*) Eorum namque conuersatio & studium non tam in terra est, quam in cælo. *Nostra autem conuersatio in cælis est. Non contemplantibus nobis quæ videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.*

Apoc. 22. 4. *Phil. 3. 20.* *2. Cor. 4. 18.*

Notandum autem est, quando hos actus concipimus dicendo: Propter te Domine hoc ago, ac propter nomen tuum, & quia tu ita vis, aut alios huiusmodi, ita eos concipi & dici debere, quasi cum Deo coram loqueremus, non vero quasi cor vel cogitationem procul à nobis, vel extra nos eleuaremus. Permagni porro in hoc exercitio hæc aduertentia interest: Id namque proprie est in Dei præsentia ambulare; hoc est, quod exercitium hoc facile, suaue & sapidum reddit, vtque moueat, & fructum maiorem producat, efficit. Quin & in aliis omnibus orationibus, in quibus nimirum meditamur Christum aut in cruce fixum, aut ad columnam alligatum, monent, qui de orationis habendæ methodo scripserunt, id ita nos imaginari debere, non quasi in Hierusalem, & iam à mille eoque amplius annis contigerit (quia hoc magis hominem fatigat, & minus animum mouet) sed quasi coram, & ante oculos nostros gereretur, ita vt nobis & virgarum ictus, & clauorum infligendorum sonitum audire videamur. Simili modo cum de morte meditandum erit, ex illorum doctrina fingere nos debemus, velut morti vicinos à medicis omnibus derelictos, & cereum sacrum manibus gestantes. Quanto ergo magis erunt illi, quos diximus actus in hoc de Dei præsentia exercitio ita concipiendi, non tanquam cum aliquo absente & procul posito, sed quasi cum Deo præsente loqueremur, cum id & ipsum exercitium exigat, & reuera ita sit.

Coram cum Deo loquere, nec extra te abeas.

Meditatio facienda ac si res coram ageretur.

CAPVT V.

Ostenditur in quibus hoc in Dei præsentia ambulandi, exercitium, ab aliis exercitiis differat, & iis præcellat.

VT exercitii huius, & modi in Dei præsentia ambulandi, de quo hactenus locuti sumus, dignitas & vtilitas magis innotescant, itaque ipsum melius intelligatur, aliquot eius differentias & excellentias adducemus. Primo, in aliis exercitiis, quibus nonnulli ad coram Deo ambulandum, trahi solent, omnia nonnisi meri intellectus conceptus ac speculationes esse, & in Deo sibi præsente fingendo solum consistere videntur: porro hoc nostrum, illum intellectus & fidei actum (Deum scilicet præsentem esse) præsupponit, vnde vlterius ad actus amoris Dei concipiendos progreditur: atque in hoc id potissimum consistit. Hoc autem primo & melius & fructuosius esse, ad oculum patet. Et sicut in materia de oratione diximus supra, non tam esse in actibus intellectus (quæ est meditatio & rerũ cõsideratio) quã in actib. volũtatis, id est, in affectib. & desideriis virtutis, & imitatione Christi sistendum, atque is esse fructus orationis debet: ita præcipua huius exercitii pars & fructuosissima, & optima, in actibus voluntatis consistit. Quocirca hoc vnum est, cui sic debemus insistere.

Tract. 5. c. 11.

1. Hoc exercitium in voluntate maxime consistit.

Secunda, quæ ex dictis sequitur, est, exercitium præ cæteris cum facillimum esse tum suauissimum. In reliquis namq; quodam opus est discursu & fatigatione intellectus atq; imaginationis, ad res nobis imaginãdas, atq; hoc cerebrũ afficere & lædere solet: quare non potest esse tam diuturnum, at in hoc exercitio nullus omnino requiritur discursus, sed soli affectus & actus voluntatis, qui sine vlla defatigatione concipiuntur. Etsi enim verum sit aliquem in eo intellectus actum reperiri,

2. Hinc suauius & facilius.

riri, hic ipse tamen per fidem præsupponitur, ita vt nos necesse non sit defatigare. Sicut, dum Venerabile Altaris Sacramentum adoramus, per fidem præsupponimus Saluatorem nostrũ Iesum vere in eo præsentem adesse; ita vt omnis nostra attentio & occupatio eo spectet, vt eum Dominum adoremus, reuereamur, amemus, & gratias agamus ei, quem vere ibi præsentem esse scimus; ita plane se res in hoc exercitio habet. Hinc, quia facilius est, diutius in ea quis perdurare valet ac perseuerare: nam & ægrotis, qui aliam orationẽ instituere nequeunt, consulere solemus, vt frequenter suum per affectus & actus aliquos voluntatis cor ad Deum eleuent: hi namq; magna facilitate fieri possunt. Proinde, etsi alia exercitii huius nõ esset præcellentia, quã quod diutius in eo perseuerare & perdurare possumus, quam in reliquis, magni sane ipsum faciendum esset; quanto ergo pluris cum per tot alios titulos ipsis præcellat & dignius sit?

Facile ægri cor ad Deum eleuant.

Tertia ac principalis, & quæ imprimis hoc loco notanda venit, est, ipsam Dei præsentiam non eo tantum spectare, vt in ea sistamus, sed vt eius adminiculo & ope cuncta quę agimus opera debite laudabiliterque agamus. Si enim satis nobis esse putaremus, quod Deum præsentem adesse imaginemur, & idcirco opera nostra negligentius exequeremur multosque in iisdem errores committeremus; non bona ea esset deuotio, sed mera potius illusio. Quippe hoc ante omnia curandum, vt, quamuis oculo vno diuinam eius maiestatem respiciamus, alium tamen ad opera nostra conuertamus, vt nimirum ea propter ipsum bene exequi studeamus.

Quod porro cogitemus in Dei omnia cernentis conspectu nos agere, medium efficax id nobis esse debet, ad melius & perfectius omnia quæ facimus obeunda. Quod sane melius per hoc, quam per alia quęlibet exercitia fit: cum in aliis intellectus non parum circa figuras illas corporales, quas quis sibi repræsentare gestit, vel circa conceptus, quos ex eo quod præ oculis habet, elicere vult occupetur, & sępenumero, vt ipsam bonam cogitationẽ eliciat, nõ satis respiciet ad id quod facit, atq; idcirco ipsum nõ bene faciat. Porro isthoc exercitio, quia in eo nulla est intellectus occupatio, ipsum operũ exercitiũ neutiquã impeditur; imo poti⁹ magnopere confert, vt hæc bene, ac prout oportet peragantur: quia homo pure ea propter Dei amorem, & coram Deo, à quo videtur, agit. Hinc ea taliter & tam bene agere contendit, vt ante Dei oculos comparere digna sint, atque adeo nihil contineant, quod maiestatis eius sit præsentia indignum. Circa quod supra aliud punctum attulimus; quod nouus quidam in præsentia Dei ambulandi modus, quemque etiam bonum & vtilem esse sancti Patres tradunt, esse potest, quare eum hic repetere superfluum ducimus.

Vno oculo Deus, altero actiones nostræ consideranda.

Præsentiæ Dei memoria non speculatiua sed practica sit oportet. *Tract. 2. c. 3.*

* * *

TRACTA-



TRACTATVS SEPTIMVS

De Examine conſcientiæ.

CAPVT I.

Quanti momenti ſit ipſum conſcientiæ examen.

Examinis conſcientiæ antiquitas.



NTER cætera profectus noſtri in ſpiritu media, non poſtremum partim dignitate, partim efficacia eſt, ipſum conſcientiæ examen: quod etiam, vt tale, à ſanctis Patribus mirifice nobis commendatur. Sanctus Baſilius quippe, qui de antiquiſſimis eſt, qui Regulas Monachis conſcripſere, iis in regula præcipit, vt examen hoc quotidie inſtituant. Idem quoque in ſua regula præſcribit Sanctus Auguſtinus: ſuos etiam Sanctus Antonius Abbas idem edocuit, atque ipſum vt obſeruarent, ſerio commendauit. His accedunt Sanctus Bernhardus, Bonauentura, Caſſianus, & communiter omnes.

Hom.1. de inſtit. Monach. & ſerm.1. de renunt. ſæc. & ſpir. profec. Lib.50. homiliar. hom. 24. De inter domo. c.65. & in ſpecul. monach. Collat. S. Abbatis Serap. c.14. Hugo de S. Victore lib. de animi c.6. Doroth. doct. 10. & 11. ſer. de pænit. to.5.

Chryſoſtomus porro, explicans illa Prophetæ Dauidis verba, *In cubilibus veſtris compungimini, Pſalmo quarto, verſiculo quinto*, de hoc examine loquens, & vt ipſum ſingulis veſperis ante ſomnum fiat conſulens, prægnantibus duabus rationibus ad hoc conatur inducere. Prima eſt, vt die ſequenti magis diſpoſiti & paratiores ad non peccandum, & ad eas culpas, in quas pridie prolapſi ſumus, cauendas inueniamur: quod enim hodie nos examinauerimus, deque iis dolorem conceperimus, necnon emendationis propoſitum fecerimus; certum eſt, id frænum quoddam fore ad eaſdem poſtera die rurſus non committendas.

Vtilitates quatuor examinis conſcientiæ.

Secunda, quin etiam pro die hodierno freni cuiuſdam loco nobis erit, quod conſcientia nobis veſperi ſit examinanda. Quod enim nouerimus nobis etiam hoc ipſo die rationem de commiſſis reddendam, noſque examinandos eſſe, nobis id inſtar ſtimuli futurum eſt, vt circumſpectius, cautius ac prudentius viuamus.

1.2. Examen conſcientiæ refrænat præſentem & ſequentē diem.

Nam, ait Chryſoſtomus, ſicut paterfamilias quotidie ab œconomo ſuo rationes expoſcit, ne, ſi eas ſemel dare omittat, id ei alicuius negligentiæ & obliuionis, vt poſt rationes intricatæ inueniantur, occaſio ſit: ita nos æquum erit, illas quotidie à nobis expoſcere, ne, ſi in eo ſegneſcamus, & noſtri obliuiſcamur, computus vacillet.

Simile.

Tertiam rationem dant S S. Ephrem & Ioannes Climachus, dicentes, quemadmodum ſeduli & prouidi mercatores quotidie diei lapſæ cum lucra, tum diſpendia ſupputant, & ad rationes reuocant, &, ſi quod detrimentum comperiunt, ipſum ſummo ſtudio reparare ac reſarcire ſatagunt: pari modo noſtrum eſſe quotidie noſipſos examinare, & compendii diſpendiique noſtri ſpiritualis rationes inire: ne iactura indies fiat deterior & increſcat, itaque peculium tandem totum diſpereat; ſed ipſum

Ser. aſcet. de vita relig.

3. Quotidie lucrum ſpiritale examinandum.

ipsum extemplo resarciamus & instauremus.

Doctrin. II. Aliud insuper examinis huius quotidiani commodum adfert S. Dorotheus, scilicet, dum sic quotidie delicta nostra examinamus, eorumque nos pœnitet, vitium ac passionem inordinatam profundas in nobis radices non acturum, nec prauas in corde nostro habitus & consuetudines non adaugendas. Contra, anima in sua examinanda conscientia negligens similis esse dicitur vineæ & agro hominis pigri & negligentis, per quem transiens Sapiens, eius se maceriam destructam, & à sentibus & vrticis repletum vidisse testatur: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Sic anima eius, qui de conscientia sua examinanda parum laborat, instar vineæ incultæ siluescit, & sterile quoddam fit solum vepribus & infelici lolio horridum. Hæc namque sterilis carnis nostræ terra nunquam nõ aliquas herbas noxias progerminat: hinc semper sarculum & runcinam in manu habere nos oportet, ad vrticas & zizania indies suppullulantia euellenda & eruncinanda. Sarculi porro loco est hoc, de quo agimus, examen, vt per hoc & nequitia, & quod exsurgere incipiebat malum, ac vitiositas omnis extirpetur & eradicetur, &, ne proserpat vlterius, & radices profundiores agat, impediatur.

4. Examen conscientiæ impedit radices passionum.

Prou. 24. 30.

Examen sarculum animæ.

Non solum autem Sancti, verum ipsi etiam Gentiles Philosophi, lumine naturali, quam hocce medium & necessarium & efficax sit, facile intellexerunt. Nam magnus ille Philosophus Pythagoras, vti S. Hieronymus & D. Thomas referunt, inter alia documenta id suis discipulis præcipue præscribebat, nimirum duo vt quotidie quisque sibi designaret tempora, vnum mane, alterum vesperi, quibus se in tribus potissimum rebus examinaret, scilicet: *Quid feci, quomodo id feci, quid agendorum omisi?* tum si quid in ijs boni notaret, gauderet; si vero quid mali, de eo doleret. Idem quoque commendant, & faciendum suadent Seneca, Plutarchus, Epictetus, & alij.

To. 1. in apol. cont. Rufin. c. 10.
Li. de regim. princip c. 22.

Gentiles ipsi tria examinanda proposuere.

Hac de causa B. P. N. Ignatius, cum sanctorum omnium doctrinam secutus, tum ratione & experientia nixus, ipsum examen conscientiæ serio nobis commendat, ceu mediorum omnium, quæ quidem à parte nostra ad in spiritu proficiendum afferre possumus, & primarium & efficacissimum. Vnde sic in Regula quadam singulari præscribit: *Vtantur quotidie omnes cõsciẽtiæ suæ examinatione consueta.* Alio vero loco ipsum bis per diem fieri iubet. Quinimo tanti ipsum faciebat, vt oratione id ac meditatione quodammodo melius & antiquius duceret. Per examen quippe executioni mandandum & opere adimplendum est, quod in oratione facturum se homo proposuit; passionum, inquam, mortificatio, vitiorumque & imperfectionum malarum exstirpatio.

Examen conscientiæ efficacissimum perfectionis medium.

3 p. Const. c. 1. §. 11. & reg. 6.

S. Bonauentura vero ipsum conscientiæ examen efficacissimum esse ait medium, quod à parte quidem nostra afferre possumus, ad spiritualiter proficiendum. Vnde etiam tanti ipsum in Societate nostra fit, vt expresse signo campana dato, bis per diem, primo in prandio, & deinde vesperi ad id vocemur: & non minus horum examinum tempore, quam orationis, cubicula singulorum lustrentur, vt nemo ipsum facere omittat, tam matutinum, quam vespertinum.

Societatis Iesu in examinanda conscientia sedulitas.

Nec solum suos hoc examen vsurpare B. P. voluit, sed etiam alijs quibuscum agimus, à nobis id vult commendari ac persuaderi. Vnde etiam boni & naui Societatis operarij, si quando alicuius conscientiam tractant, statim examen tum generale, tum particulare ad malam aliquam consuetudinem, puta iurandi, mentiendi, detrahendi, aut similem aliam exstirpandam, vt instituat, consulere consueuerunt: vti primos nostros Patres fecisse constat; atque inprimis B. Petrum Fabrum, quem ijs, quorum spiritus excolebat,

p. 7. Const. c. 4. lit. F. & lib. Exerc. spirit. reg. seu annot. 18. ex prior.

Examen vtrumque externis communicandum.

lebat, hocce deuotionis exercitium ante alia tradere ſolitum legimus.

Lib. 5. c. 10. vitæ eius.

Quinimo ſi quem B. P. N. ab aliquo vitio curare vellet, non modo eum particulare hoc examen facere iubebat; verum etiam ne obliuiſceretur opere id exequi, eum, antequam cibum in prandio ſumeret, vel veſperi cubitum concederet, rationem eius viro alicui fido, quem ad hoc illi ipſe aſſignabat, dare volebat, eiq; declarare, num examen eo, quo ipſe id fieri præſcripſiſſet, modo, feciſſet.

Examinis cõſcientiæ ratio reddenda.

Lib. 2. vitæ.

Conſtat ad hæc ſuos ipſum ſocios multo tempore in ſolis conſcientiæ examinibus & Sacramentorum frequentatione exercuiſſe; quod crederet, ſi modo hoc bene fieret, ſatis illud eſſe, vt ſe quis eius adminiculo in virtute conſeruaret.

Ex dictis colligere debemus, tanto nobis in pretio hocce conſcientiæ bis quotidie exercendæ exercitium habendum eſſe, vt id velut maxime neceſſarium & efficaciſſimum medium ad in ſpiritu proficiendum eſſe arbitremur, atque vt tale ipſum ſingulis diebus vſurpemus, nobiſque perſuadeamus, quo die ipſum omiſimus rem nos, quę de præcipuis Religionis noſtrę eſt, omiſiſſe. Nulla quippe adeo pręgnans & vrgens eſſe debet occupatio, quæ ad examen hoc omittendum ſufficiat: ſi tamen id ob occupationem vrgentem ac neceſſariam hora aſſignata quis facere nequeat, ipſum poſtea, quam poterit citiſſime, facere procuret, vt iſtatim à ſumpto prandio, antequam aliud quid operis aggrediatur.

Examen conſcientiæ nunquam omittendum.

Ne quidem ab infirmis.

Imo ne quidem morbus, aut corporis indiſpoſitio, eſto is ab oratione prolixiori habenda excuſet, legitima eſſe cauſa poteſt ad examina omittenda. Quapropter omnes intelligant, & norint oportet, nunquam fas eſſe examina, tam particulare, quam generale, quacunq; etiam ex cauſa omittere.

Materia examinis pro infirmis.

Huc accedit, quod ægrotanti pluſquam ſatis materiæ ſit, circa quam particulare ſuum examen tunc faciat; puta, circa voluntatis ſuæ infirmitate, ac doloribus, quos ſibi Deus immittit, nec non in medicamentis ac catapotijs, quæ medicus præſcribit (vtpote quæ interdum morbo ipſo grauius morbidum cruciant & affligunt) cum diuina conformationem; nec non circa patientem errorum defectuumque, quos circa ſe fieri putat, tolerantiam.

CAPVT II.

Quibus de rebus particulare ſit examen inſtituendum.

Examina duo, generale & particulare.

DVo examina in Societate in vſu ſunt; vnum particulare, alterum generale: illud quidem circa vnam rem ſolam verſatur, atque ideo particulare dicitur; hoc vero omnia delicta, quæ per diem, cogitando, loquendo, operandove commiſerimus, examinantur; idcirco etiam generale nominatur, quod vniuerſa complectatur. Prius de particulari loquendum, ac deinde breuiter de generali afferemus id, quod de eo videtur dicendum: quia multa eorum, quæ in particulari examine ſeruanda præſcribentur, etiam in generali locum habent: proinde quæ de particulari dicentur, etiam in generali vſui eſſe poterunt. Duo ergo potiſſimum circa hoc examen inquirenda ſunt. Primum, quibus de rebus id ſit inſtituendum. Alterum, quomodo.

Duo in particulari examine quærenda, quid & quomodo.

Circa primum, vt ſcilicet nouerimus, quibuſnam potiſſimum de rebus in hoc ſit examine agendum, notanda inprimis eſt illa regula & admonitio, quam è ſancto Bonauentura B. P. N. in libro ſuo Exercitiorum aſſignat: Non aliter, inquit, nobiſcum agit dæmon, quam dux aliquis cum ciuitate & arce, quam oppugnare & expugnare geſtit: ante omnia enim hic quam accuratiſſime inquirit & explorat, quanam eius murus parte minus ſit aut natura aut arte munitus: quod vbi notarit, omnem huc tormentorum & machinarum ſuarum vim conuertit, huc milites omnes conniti iubet, etſi plurimi ipſorum hac incurſione certiſ-

Lib. exercit. ſpir. in reg. ad motus anim. diſcer. reg. 14. Bonauen. 5. p. breuiloquij.

Simile.

ſimum

ſsimum vitæ ſint periculum adituri. Hac namque parte diſiecta, aditu iam dato, facile locum occupabit. Pari modo Diabolus omnimodis, qua anima noſtra parte debiliſſima ſit, explorat, vt per hanc nos oppugnet & debellet. Noſtrum proinde eſt id caute præuertere, & ſerio nos contra aduerſarium noſtrum communire; præuidere, inquam, & attente notare, quæ animæ noſtræ pars ſit infirmiſſima, & quæ à virtutum armatura præ alijs minus inſtructa, qualis nimirum eſt illa, ad quam nos vel indoles & naturalis inclinatio, vel paſſio aliqua inordinata, vel mala conſuetudo, prauus denique habitus maxime rapit: atque ideo de illa communienda quammaxime nos laborare oportet.

Vnū vitium maxime cauendum.

Vnde etiam illud nos præcipue & maiori accuratione ac diligentia, ſancti Patres, & vitæ ſpiritualis Magiſtri, ex animo euellere debere docent, quod eo maxime & præ alijs opus habeamus. Quocirca circa illud potiſſimum particulare nobis examen faciendum.

Dorotheus ſerm. 12. Hugo de S. Victore.

Duas huius rei rationes aſſignat Caſſianus: Prima, quia illud eſt, quod in maiora nos conijcit pericula, & in maiores imperfectiones cogit impingere: vnde maiori neceſſe nos eſt in eo eradicando diligentia & conatu aduigilare.

Coll. 5. Abb. Serap. c. 14.

1. Quia ab eo ſæpius expugnamur.

Secunda, quod, cum hoſtes validiſſimos, & à quibus magis laceſſimur, debellauerimus, alios minores facili negotio proſtratos ſuperaturi ſimus: etenim per priorem triumphum ac victoriam tum anima fit valentior ac robuſtior, tum hoſtis infirmior.

2. Quia fortiori victo, facile reliqui ſubiugantur.

Adfert huius occaſione in exemplum Caſſianus priſca illa Romanorum ſpectacula, coram Imperatoribus ipſis exhiberi ſolita, in quibus cum varijs beſtijs ac feris ex arena emiſſis beſtiarij certabant; inter quos ſi qui eminere, & ſui quidem roboris ſpecimen dare, aliquam vero Imperatori voluptatem adferre vellent, in illam primo belluam irruebant, quam reliquis videbant & ferociorem & fortiorem; qua proſtrata ac iugulata, cæteras haud difficile ſternebant. Itidem & nos, inquit, agere oportet. Quotidiana quippe experientia videmus, vnumquemque noſtrum communiter aliquod vitium velut princeps habere, quod nos violenter poſt ſe trahat ac rapiat, ob magnam ſcilicet, qua erga ipſum afficimur ac propendemus, inclinationem. Sunt enim quædam paſſiones, quas *prædominantes* vocāt, quæ nobis violēter dominari, & quo nolumus inuitos nos impellere videntur. Hinc dicentes nonnullos audimus; hunc ni defectum haberem, nihil prorſus videtur eſſe, quod me turbaret & affligeret. Circa hoc ergo potiſſimum examen particulare eſt inſtituendum.

Exemplum profanum.

Paſſio prædominans prius expugnanda.

Rex Syriæ aduerſus Regem Iſrael bello decertans (vti ſacra refert hiſtoria 2. *Paralip.* 18. 30.) militibus ſuis indixit, vt in nullum alium, quam ipſum Regem Iſrael tela ſua dirigerent: *Ne pugnetis*, inquit, *contra minimum, aut contra maximum, niſi contra Regem Iſrael*: ratus, victo & necato Rege, reliquum exercitum facile profligandum. Et ita reuera factum eſt: Achab namque Rege ſagitta, quam quidam de turba Syriorum caſu & fortuito emiſit, conuulnerato, debellatum eſt, & prælium finem habuit. Id ipſum & nos par eſt imitari: principe namq; vitio profligato, cetera facili negotio ſuccumbent & victa cedent.

Exemplum ſacrum.

Giganti huic Goliæ ceruices præſcinde, & mox reliqua Philiſtæorum multitudo in fugam ſe dabit, & fundetur. Hæc optima quædam eſt regula generalis, ad perſpiciendum, de qua re nobis examen hoc faciendum eſt.

Aliud.

Nullum porro in particulari, quoad hoc, melius ac ſalutarius dari præceptum poteſt, quam vt ſuum quiſque Confeſſarium ac patrem ſpiritualem iam plena & exacta illi conſcientiæ ſuæ, nec non vniuerſarum inclinationum, paſſionum, affectionum, & prauorum habituum ratione data, nihil vt ipſum celet, ſuper ea re conſulat. Illi ſiquidem vniuſcuiuſque neceſſitate hoc modo perſpecta, nec non particularibus quibuſdā notatis cir-

Confeſſarius detmateriam examinis particularis.

circumstantijs, facile erit definire ac dicere, de quo potissimum particulare examen poterit instituere.

Hinc quicunque conscientiæ suæ rationem alteri reddit, ei ante omnia aperiat ac declaret oportet, super quo particulare examen faciat, & quem ex illo fructum colligat; sicut in Regulis Præfecti rerum spiritualium, & in particulari, quam de hoc habemus, instructione traditur.

Magni sane refert hominem in re, quæ maxime sibi sit conueniens, vt super ea particulare examen faciat, deligenda non errare. *Simile.* Sicuti permultum medicus ille præstiterit, qui ipsam morbi radicem recte tangit: tum quippe solide & ex arte ei remedia adhibentur, & quæ præscribit medicamenta, effectum sortiuntur, & operantur: ita & nos non exiguum quid, sed permultum fecerimus, si ipsam infirmitatem, ac morborum nostrorum radicem certo inuenerimus: nam hac inuenta, etiam illi recte certoque poterunt curari, examinis remedium & medicinam illis applicando. *Radix examine particulari euellenda.* Vna namque è causis, ob quas tam parum ex examine multi proficiant, est, quod ei ipsum non applicent malo, cui vere applicandum est. Si arboris radicem præcidas, si lolij fibras aut radicem euellas, statim reliqua extima exarescent & flauescent: at si tantum ramos luxuriantes relicta radice amputes, statim truncus repullulabit & succrescet.

Caput III.

Duo magni momenti præcepta assignantur, ad in re, de qua examen particulare instituendum sit, eligenda, non errandum.

Vt vero in hoc ad particularia veniamus, duo magni momenti capita hic ante omnia notanda sunt. Primum, quando quis exteriores aliquos defectus, qui fratres offendunt & scandalizant, in se notat, ante omnia vt a se per examen particulare eijciat, curare debet; *1. Defectus scandalosi primum eradicandi.* etsi alioquin alios defectus interiores habeat qui sint maiores. Verbi causa; si quis in loquendo aliquem defectum habeat, tum quod nimis multa loquatur, tum quod inter loquendum aliqua impatientiæ aut choleræ signa prodat, tum quod ea loquatur, quæ fratrem offendere & mortificare possint, vel forte verba detractoria, vel quæ nomen bonum alicuius apud alium denigrent, aut alia eius generis.

Ratio namque ipsa & charitas exigit, vt illos defectus primum curemus, qui fratres nostros offendere & scandalizare solent; vtque ita inter illos conuersari & viuere studeamus, vt nemo de nobis aut conqueri, aut offendi possit; sicut de sancti Iohannis Baptistę parentibus Euangelista commemorat: *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela* vllius. *Luc.16.*

Est hoc insignis quædam serui Dei laus, & vnum de ijs, quæ præcipuo quodam studio Religioso inter alios viuenti curanda sunt: neque enim satis est, vt coram Deo iustus sit, sed insuper operam dare debet, vt suus in Religioso statu procedendi modus sit talis, vt de eo nemo conqueratur, ac sine vlla queat exceptione laudari. *Proximi ædificatio primo quærenda.* Si quid vero in se deprehendat, quod offendat alios, ab eo particulare suum examen debet, ad id auferendum, incipere.

Secundo aduertendum est, non esse semper & toto vitæ tempore examen particulare circa res illas exteriores faciendum, tum quia illæ expugnatu sunt faciliores, tum quia magis eas in manibus ac potestate habemus, quam interiores. *2. Exteriora minus resistunt: ergo citius euellenda.* Vnde bene sanctus Augustinus *libro 8. Confess. capite 9.* Impero manui, & statim manus mouetur ad imperium: impero pedi, & pes imperandi obedit. Impero appetitui, & is parere detrectat. Vnde liquet manum ac pedem magis mori-

morigerum & parentiorem esse, quam appetitum: quia contrarium non habet motum, qualem habet appetitus. Proinde quam possumus citissime ab exterioribus illis nos expedire, & ijs finem imponere satagamus, vt ad alia, quæ maioris sunt momenti, plus temporis nobis suppetat, puta ad primariam aliquam virtutem, aut perfectionem superiorem comparandam: videlicet profundissimam quandam humilitatem, qua non solum demisse humiliterque de nobis sentiant, ac nullo nos loco habeant.

Materia aliquot interiores particularis examinis. Ad hæc omnia pure propter Deum agere, vt eo tantum pertingamus, vt cum viro illo sancto dicamus: Nunquam cogitaui hominibus me seruire, sed Deo. *Tract.3.c.9.*

Insuper magnam quandam cum Dei voluntate in omnibus rebus conformitatem; aliaque eius generis complura. Etsi enim examen particulare proprie & directe ad defectus & imperfectiones tollendas institutum sit & vsurpetur, & magna semper illarum in nobis sit copia, (quia quamdiu vita hæc fragilis durat, sine imperfectionibus, ac peccatis venialibus viuere nequimus) non toto tamen vitæ nostræ tempore illi rei vni vacandum est. *Non soli defectus euellendi, sed & virtutes plantandæ.*

Simile. Bene quidem laudabiliterque impenditur tempus, quod lolio & herbis noxijs ex horto exstirpandis insumitur, non bene tamen tempus omne huic terræ vitio & infœcunditati tollendæ impenditur: sed hæc exstirpatio non nisi ad bonos in ea flores & herbas plantandas dirigitur. Similiter optime quidem tempus illud insumitur, quod quis in vitijs & malis inclinationibus ab anima per examina euellendis insumit; alio tamen omnia illa non spectant, quam vt fragrantes & redolentes virtutum flores eidem inserantur.

Ierem.1.10. Dixit Ieremiæ Deus, *Constitui te hodie, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Primo namque euulsio & exstirpatio adhibenda, deinde ædificatio & plantatio. Idque eo magis: quod etiam ad defectus & imperfectiones has exteriores euellendas, necesse interdum sit particulare examen de aliqua virtute aut perfectione maiori acquirenda facere: illud enim non raro efficacissimum, compendiosissimum, & suauissimum ad hoc esse medium solet. *Virtutum studium tollit vitia.*

Verbi gratia, si fratres tuos vel præfracte & austere, vel nimia cum libertate alloqueris, institue examen de eo, vt omnes te vno superiores, te vnum omnibus inferiorem ducas: atque inde disces, quo eos debeas modo alloqui, quo loquentibus respondere. Si ad hanc humilitatem, quam dixi, peruenias, securus ac certus esse poteris, nulli te verbum vel asperius, vel mordacius dicturum. *Remedium linguæ asperioris.*

Pari modo, si quam aliquibus in rebus aut oblatis difficultatibus molestiam aut repugnantiam sentias, particulare examen institue ad hoc, vt omnia aduersa, quæ tibi succedent, veluti à Dei manu submissa, ac per particularem eius dispositionem ac prouidentiam contingentia accipias, cogitesque ad maius ea bonum & profectum tuum euenire: atque ita fiet, vt ea in vtilitatem tuam cedant. *2. Impatientia.*

Si item tibi desit modestia, id est, si oculos hinc inde leuiter gyres, caput in hanc illamve partem propendere facias; si sis inquirendis rebus nouis curiosus, si omnia, quæ contingunt, nosse velis; examen tu facito ad hoc, vt in præsentia Dei iugiter ambules, itaque omnia tua facias, vt coram eo comparere digna sint; & breui te modestum, recollectum, compositum & spiritualem esse comperies; idque sine vllo tuo labore ac defatigatione, & ita vt nullam in eo difficultatem subijsse videaris. *3. Immodestia.*

Vide enim, quomodo nullus te, dum ab oratione cum feruore & deuotione surgis, sermo, res nulla visa, tametsi delectabilissima, delectet; conuersatio nam-

namq; & familiare cum Deo colloquium omnium horum te facit obliuisci.

Si ergo omnes hos defectus exteriores, ordine vnum post alium, singillatim expugnare & auferre vis, prӕterquam quod hoc longi laboris res sit, non raro continget, vt cum de oculorum custodia ac continentia examen facere cupies, ipsum instituere nequeas, ac statim tibi doleat caput, quod adeo recollecte incedere velis, & animum intendere.

Exteriora sӕpe difficultatem habent.

Vnde Doctor quidam eximius non sine ratione ipsos spiritualis doctrinӕ magistros reprehendit, quod in exterioribus illis defectibus indicandis corrigendisque toti sint? ostenditque primarium boni instructoris ac pastoris animarum studium circa cordis & interiorum reformationem versari debere, & talia eum debere prӕcepta assignare, quę hominem faciant ad seipsum & interiora reflectere; sicut Moysen, Scriptura ait *gregem minasse ad interiora deserti.* Cor ergo tuum ante omnia reformare stude, & omnia statim reformata erunt.

Cor reformandum.

Exod. 3. 1.

CAPVT IV.

Examen particulare super vna re sola instituendum esse.

EXAMEN particulare semper circa vnam rem particularem (vti nomen ipsum satis indicat) instituendum est: ratio vero, cur ita fieri conueniat, est, quia medium hoc sic vsurpatum & efficacius est, & maiores producit affectus, quam si de multis ipsum rebus simul vno eodemque tempore institueretur. Certum est enim (& ratio naturalis id dictat) plus hominem aduersus vnum vitium solum, quam contra omnia simul sumpta posse: quia

Vnum persequi oportet.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

& qui multa simul manu complectitur, pauca constringit, vti & hostes facilius vincuntur sparsi & distracti, quam simul omnes collecti.

Hunc vero inimicos nostros (vitia, inquam, ac passiones nostras) vincendi modum, tunc à Spiritu sancto in sacris litteris nobis traditum, Cassianus ait, cum filios Israel ipse per Moysen edocuit, quo septem illas gentes & nationes aduersarias modo possent expugnare & delere. *Dominus Deus*, inquit Moyses, *consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes, non poteris eas delere pariter.*

Coll. 5. Abb. Serap. c. 14.

Deut. 7. 22.

Obiectio.

Ac notat Cassianus, velut ad tacitam quandam obiectionem respondens, hominem neutiquam timere debere, ne, dum omnem vim suam ad vnum vitium expugnandum conuertit, & in id totis animi corporisque neruis intendit, interim altera ex parte omnia alia aduersum se insurgant.

Solutio.

Nam primo hӕc ipsa diligentia, quam in illo vitio particulari expugnando adhibet, magnum quendam in eius anima à reliquis vitijs horrorem & detestationem, ob communem rationem, in qua omnia conueniunt, producet. Proinde si contra vitium hoc particulare se armarit & communierit, simul etiam contra alia omnia erit communitus, vt nullum ab eis sit damnum aut noxam accepturus.

1. Vnum vitiũ persequens simul munitur contra alia.

Secundo, quia qui in examine particulari vitium vnum studiose accurateque studet ex anima euellere, simul etiam eam, quӕ in corde latet, cӕterorum vitiorum radicem, ipsam, inquam, licentiam, qua illud ad omnia ferri & euolare finit, prӕscindit. Ac proinde vnum solum in examine perticulari vitium oppugnare, tantundem est, ac omnia oppugnare. Hӕc namque nostri circa vnum hoc refrenatio & restrictio ad reliqua etiam refrenanda conducit. Sicut in vno equo procaci & effreni cernere est: quem si sessor habenis contractis retineat & restringat, ne inordinate ac prӕceps huc illucque feratur, alios pariter equos simul gradientes, ne dissolute licenterque efferantur, compescit.

2. Quia licentia cordis circa alia vitia sic coercetur.

His addi & tertium potest, nimirum, quod

3. Examen ge-

quod insuper generale examen, quod omnia, quæ dicta sunt, complectitur, quotidie faciamus.

[Ge]nerale non omittendum.

Adeo quidem bonum est, examen particulare nonnisi circa rem vnam institui, vt ipsum etiam vitium & virtutem conueniat non raro (imo vt plurimum) in varias partes & gradus diuidere, & membratim primo circa vnam eius partem, vel gradum, mox circa aliam particulare examen instituere; vt hoc pacto quis melius, quod desiderat, consequatur. Nam si rem in genere simul acciperemus, nihil penitus proficeremus. Verbi gratia, si quis examen particulare de eradenda ex animo superbia, & inserenda eius loco humilitate facere voluerit, non enim in genere capiat oportet, hoc modo: Nulla in re penitus superbiam præferre volo, sed in omnibus humilitatem sectari: hoc namque multa simul includit, & plus quam si suum de tribus quatuorve rebus simul iunctis examen faceret: quocirca parum aut nihil proficiet, quia multa simul complectitur; sed vitium id est in partes, membra, ac gradus aliquos dispartiendum: quia inimicis hoc modo distractis ac diuisis, & singillatim singulos aggrediendo, cum ipsi facilius expugnabuntur, tum nos, quod spectamus, compendiosiori via assequemur.

Ipsum vitiũ in partes dissectum persequendum.

Vt autem hoc melius ad praxim reduci queat, primaria aliquot capita, de quibus particulare institui examen potest, hic proponemus, in suas ea partes & gradus distinguendo. Quod licet à nobis, quoad aliquas virtutes, in peculiaribus de ijsdem tractatibus, abunde fiat, vt tamen omnia vno simul velut fasce comprehensa (quod proprius eorum hic sit locus) habeantur, paucis ea hic simul proponemus. Id quoque imaginis ac speculi instar nobis esse poterit, in quo nos ipsi speculemur, vtrum in spiritu progrediamur, ac, quid ad perfectionis complementum nobis desit, videamus.

* * *

CAPVT V.

Quomodo examen particulare iuxta singulas virtutum partes & gradus faciendum & diuidendum sit.

DE HVMILITATE.

1. NVLLA verba proferre, quæ in laudem & æstimationem mei queant redundare.

2. Non efferri lætitia, quando alius me laudat, aut bene de me loquitur; sed aliquam inde potius mei humiliandi & confundendi occasionem capere, cum videam me non esse talem, qualem aut alij me esse putant, aut ipse esse deberem.

His addi potest, gaudere, quando alius quis laudatur, aut aliorum sermone celebratur: Et cum aliquem propterea dolorem, vel inuidiæ motum in me percipiam, eum vt defectum ac peccatum à me repellere, vti, & quando aliquam complacentiam aut vanam lætitiam in me, quod alij bene de me loquantur, aduerto.

3. Nihil prorsus ob humanos aliquos respectus agere, nec vt ab hominibus videar, vel æstimer, sed pure propter Deum.

4. Non excusare me, multo vero minus culpam in alium tam extrinsecus, quam intrinsecus conijcere.

5. Vanas, elatas, & superbas, quæ mihi circa res ad aliquem honorem & æstimationem mei quomodolibet spectantes incident, cogitationes resecare & præscindere.

6. Omnes vt me superiores ducere, non speculatiue tantum, sed etiam practice & re ipsa; ea me erga quoscunque humilitate & reuerentia gerendo, quasi si mei superiores forent.

7. In bonam partem accipere omnes, quæ mihi se offerent, humilitatis occasio-

casiones: atque in hoc me indies proficere, & per hos tres gradus ascendere oportet: Primo eas patienter, secundo prompte ac facile; tertio alacriter & læte ferendo: nec ante cessare, quam plane gaudeam & exultem, dum ab alio contemnor & despicior, vt sic CHRISTO, qui mei causa contemptus, illusus, & ludibrio habitus est, assimiler, & imiter.

Tres gradus humilitatis.

8. De eo quoque particulare examen quis instituere tam in hac materia, quam in alia qualibet ei simili, potest, vt aliquot humilitatis, aut alterius cuiusquam virtutis, de qua examen particulare facit, actus exercitiave concipiat, tam interiora, quam exteriora; tot nimirum mane, & tot vesperi exercendo, primo pauciora, postea plura; & ita semper increscendo, donec quendam virtutis eius habitum & consuetudinem contrahat.

II. DE CHARITATE FRATERNA.

1. De proximo non detrahere, neve vllum eius peccatum, tametsi leuissimum ac publicum, commemorare: eius gesta & opera verbis non deterere, neve vllum vilipendij eius aut despectus, tam illo præsente, quam absente, signum ostendere; sed de omnibus ita loqui, vt eos bonos, honorabiles, & æstimatione dignos esse, ex ore meo verbisque nemo non colligere queat.

2. Nunquam dicere alteri, Talis hoc de te dixit, præsertim res si sit, quæ ipsum audita queat offendere, etsi alioquin in se leuis sit: hoc namq; nihil est aliud, quam discordias & zizania dissensionis inter fratres serere.

3. Nulla scommata dicere, non verba, quæ proximum mortificent, non quæ eum amaricent, non quæ impatientiam aliquam spirent. Non contendere verbis, non contradicere, alium quoque non subditum aut commissum non reprehendere.

4. Omnes amice & ex charitate complecti, idq; operibus ipsis declarare, ipsis, prout fas erit, prospicere, iuuare & delectare procurando. quando vero quis ex officio alijs tenetur ꝓuidere, tunc in hoc potissimum intendat oportet, & quod opere non poterit ꝑstare, bono intuitu, bonis responsis ac verbis supplere satagat.

5. Quamcunque auersionem cauere, & multo minus eam re ostendere; qualis, verbi gratia, esset, ob aliquam offensiunculam alium alloqui, aut quapiam in re iuuare (cum possit) detrectare, aut signo quopiam significare, non vsque adeo sibi in illo complacere, seque ab eo alieniorem paulo esse.

6. Non esse in conuersatione cum proximo singularem, quod fit particulares familiaritates & amicitias, quæ alios offendunt, declinando.

Neminem diiudicare, sed potius defectus eius tum apud se, tum alios excusare conari, magno omnes in pretio habendo.

III. DE MORTIFICATIONE.

1. In ijs omnibus, quæ se offerunt rebus & occasionibus me mortificare, non tamen vt eas ego vltra quæram, etsi vel immediate à Deo procedant, vel per superiores, vel etiam proximos nostros & fratres, vel demum alia quacunque ratione nobis obueniant, & gratanter suscipere, & fructum ex ijs aliquem capere studendo.

2. In omnib. illis me mortificare, quę me impediūt, quo min⁹ vel regulas meas seruē, vel ea, q̄ quotidie & ordinarie ago, tā spiritualia, quā exteriora rite exequar. Omnes namq; quos in ijs committimus defectus inde tantū vt plurimum ortum habent, quod vel nos in laboris ac difficultatis alicuius susceptione non superemus & mortificemus, vel delectatione ac voluptatula aliqua carere nolimus.

3. Mortificare me in incessu, vt ea incedam modestia, qua Religiosum decet; ac presertim in illis, quæ ad oculos & linguam spectant, si quando in ijs aliquid est mortificandum.

4. Mor-

4. Mortificare me quoque in quibusdam, quæ alias licite facere possem, vti in non egrediendo domo, in non videndis pulchris rebus ac curiosis, in non interrogandis inquirendisque ijs, quæ ad me non spectant, in non dicendo id, quod libenter dicerem: aliaque id genus. In examine proponendo tot mortificationes mane, tot vesperi facere, à minoribus incipiendo, & semper ad maiora progrediendo. Harum namque mortificationum voluntariarum, tametsi in rebus paruis, exercitium magnum afferre fructum & vtilitatem solent.

5. In ijs demum rebus me mortificare, quas alioquin ex officio facere debeo. Vt, dum ad mensam, studia, lectionem, prædicationem, aut aliud quodcunque exercitium, quod delectat, peragendum abeo, appetitum & voluntatem meam mortificem, in corde meo dicendo; Nolo id Domine agere, quia mihi placet aut delectat, sed quia tu ita fieri iubes.

IV. DE ABSTINENTIA VEL GVLA.

1. Ante vel post statutam horam, & extra ipsum refectionis locum non comedere.

2. Contentum esse ijs cibis, qui toti domui in prandium præbentur, alios nouosque non quærendo, neve eos alio nouoque modo coctos vel conditos, nullas quoq; particularitates, sine euidenti necessitate, admittendo.

3. In communibus illis cibis, quoad quantitatem, temperantiæ regulam non excedere.

4. Non comedere auide, aut festinanter, sed modeste ac decenter, ab appetitu & delectatione gulæ me extra debitos limites abripi non sinendo.

5. Non loqui de ijs, quæ ad escā pertinēt, multo vero minus ob cibos subministratos obstrepere, vel de ijsdē cōqueri.

6. Omnes de gula cogitationes rescindere ac repellere.

V. DE PATIENTIA.

1. Nullum exterius impatientiæ, sed potius summę pacis tum in verbis & operibus, tum in ipso vultus indicio signum edere, omnes in contrarium nutus & adspectus compescendo.

2. Non permittere, vt aliqua in cor perturbatio, malignus sensus, indignatio vel tristitia ingrediatur: multo vero minus aliqua vindictæ, quantumuis leuioris, appetentia.

3. Omnia & quælibet aduersa, quæ mihi obuenient, velut à Dei manu, ad maius animæ meæ bonum, & profectum meum emisse accipere, quomodocunque demum, & quacunq; via ea contingant.

4. In eorum praxi me hisce tribus gradibus exercere: Omnia, quæ mihi occurrent, primo patienter; secundo prompte & facile; tertio, cum gaudio & hilariter tolerando: quod illa Dei sit voluntas & beneplacitum. *Tres gradus patientiæ.*

VI. DE OBEDIENTIA.

1. In exteriori obedientia exactissimum esse, vt etiam litteram scribi cœptam relinquam, & ad minimum voluntatis Superiorum nutum ac significationem paream, expressum aliud mandatum non expectans.

2. Obedire voluntate & corde sincero, vt idem velle, & voluntatem eandem habeam, quam Superior.

3. Obedire quoque intellectu & iudicio, vt idem plane sentiam & censeam, quod Superior, nullis in contrarium iudicijs aut rationibus locum dando.

4. Superioris vocem & campanulæ signum, velut Dei vocem accipere, & cuilibet Superiori non secus ac ipsi Christo Domino, nec non omnibus Superioribus subordinatis ex animo obedire.

5. Obedire obedientia cœca, id est, non indagando, nec examinando, nec scrutando præcepti rationes, quam scilicet ob causam, & ad quid sic mihi imperet; sed omnis rationis instar mihi sit, quod id mihi Superior iniunxerit & mandarit.

6. Ad ipsos etiam voluntatis actus transire, vt nimirum assuescam cogitare, me, dum obedio, in eo voluntatem Dei facere; & hoc vnica mea voluptas, & omne gaudium meum sit.

VII. DE PAVPERTATE.

1. Nihil prorsus, sine licentia Superiorum, domi vel foris alteri dare, vel ab ipso accipere.

2. Nihil eorum, quæ domus & cubiculi alieni sunt, sine facultate mutuo dare, vel accipere.

3. Nihil superfluum habere, sed omne id, quod mihi necessarium non erit, tam in libris & cubiculi mei apparatu, quam in victu, vestitu, atque adeo rebus alijs, à me abdicare.

4. Studere debeo, vt etiam in ipsis rebus necessarijs, quas vsurpabo, pauper esse videar, cum reuera pauper sim; vilissima, simplicissima, minusque pretiosa ex ijs deligendo mihi. Adeo vt tum in cubiculo, vestitu, victu, tum in rebus cæteris, ipsa paupertatis virtus semper elucescat, & pauperem me esse etiam foris appareat; ita vt desiderem, quin etiam gaudeam, cum quæ domi vilissima & pauperrima sunt, vsui meo cedunt; idque ad maiorem meam abnegationem, maioremque spiritus mei vtilitatem.

5. Gaudere, si quando mihi etiam in ipsis rebus necessarijs aliquid defuerit: nam ille vere & perfecte pauper spiritu est, ac IESV CHRISTI imitator: (2. Cor. 8. 9.) qui, cum diues adeo & potens esset, nostri causa pauper factus est, & in ipsismet rebus necessarijs multa sibi deesse passus est, famem, sitim, frigus, calorem, defatigationem ac nuditatem ferendo.

VIII. DE CASTITATE.

1. Oculos caute custodire, eas personas & res non intuendo, quæ tentationis carnalis esse queant incentiuum.

2. Verba, quæ ad hanc materiam dirigantur, aut motus, appetitus & cogitationes inhonestas excitare nata sint, nulla loqui vel audire; vti nec similia è libris legere.

3. Nullis cogitationibus huc tametsi remote spectantibus, locum vel minimum dare, sed eas exorientes statim diligentissime ac celeriter repellere.

4. Alterius personæ manus, ne dum caput aut vultum contingere, aut ea in se tangi sinere.

5. Magna erga seipsum decentia & honestate vti, proprium corpus non intuendo, nec denudando, nec tangendo, nisi dum expresse id erit necessarium.

6. Particulares amicitias non colere, nulla etiam munuscula dare, vel accipere; cum ijs, qui esse possint tentationis occasio, & erga quos se affici & inclinari senserit, caute circumspecteque se gerere, illorum familiaritatem, conuersationemque, quoad eius fieri potest, euitando: quod vnicum esse solet in his rebus remedium. (*Fuga castitatis remedium.*)

IX. VT ORDINARIA OPERA BENE OBEAM.

1. Nullum effluere diem sinere, quo spiritualia exercitia mea complete perfecteque non faciam, vniuersum tempus, quod ijs destinatum est, ipsis impendendo; &, cum necessaria aliqua vrgentiq; occupatione tunc temporis distinebor & impediar, defectum hunc alio supplere & resarcire.

2. Orationem mentalem, & examina, tam generale, quam particulare, bene riteque peragere, tum illius additiones exacte obseruando, tum in examinibus dolorem & confusionem de delictis meis, (*Examen in contritione maxime consistit.*) nec non emendationis propositum concipiendo potius, quam anxie quoties impegerim excutiendo: nam in prioribus illis tota examinis vis & fructus consistit; quod quia raro obseruatur, hinc paruum nonnulli ex ea fructum capiunt.

3. Reliqua exercitia spiritualia bene & prout oportet agere, puta Missam celebrare, spiritualem librum legere, & pœnitentias ac mortificationes tam publicas

blicas quam priuatas obire, finem & fructum, ob quem singula instituta sunt, inde colligere procurando, nec ea velut è consuetudine, & pro forma (vt dicunt) suscipiendo.

4. Officium ac ministeria mea omnia rite obire, faciendo quidquid potuero, & quantum in me erit, vt bene ea succedant & peragantur, vtpote qui propter Deum & coram Deo illa exequor.

5. Nullum sponte & aduertenter in ijs errorem committere.

6. Parua & tenuia etiam permagni facere.

7. Et quoniam in his operibus ordinarijs, quæ quotidie agenda occurrunt, bene obeundis, omnis merus profectus & perfectio consistit; quotiescunque aduertero me in hoc deficere & intepescere, sedulo curabo, vt examen meum particulare aliquot diebus de ea re facere præsumam, vt hoc pacto spiritum renouem, meque in illis perfecte exequendis velut restaurem.

Fuga tepiditatis remedium.

X. VT OMNIA PVRE AGAM PROPTER DEVM.

1. Nihil ob aliquem respectum humanum, aut vt ab hominibus videar, vel æstimer, neve ob commodum, vtilitatem, delectationem, aut voluptatem propriam facere.

2. Sed omnia opera mea pure propter Deum agere, assuescendo paulatim etiam actualiter omnia ad Deum referre. Primo quidem mane, cum expergiscor: deinde ad operis cuiusque initium: tertio, in ipso etiam opere, sæpenumero in eo cor meum ad Deum sustollendo, dicendo nimirum: *Propter te Domine, & propter gloriam tuam, & quia tu ita cupis, hoc facio.*

Examen in contritione maxime consistit.

3. Examen hoc facere de eo, vt quæ hactenus dicta sunt, tot vicibus mane, & tot à prandio exerceam; incipiendo primo à minoribus, & deinde ad maiora paulatim ascendendo, donec habitum quendam & consuetudinem contraxero, cor meum frequentissime ad Deum inter operandum sustollendi, inque illis aliud non spectandi, quam diuinæ eius maiestati pure complacere.

4. Non ante examen hoc & exercitium intermittendum est, quam eo perueniam, vt ita faciã opera mea, quasi qui Deo seruit, & non hominibus; & non ante, quam ita ea peragam, vt semper actualiter in ij amem Deum, gaudens, quod eius in illis voluntatem faciam, & hoc omnis mea in ijs voluptas sit & delectatio. Adeo, vt, dum opus perago, magis amare videar, quam operari.

5. Hæc scilicet esse debet continua Dei præsentia, in qua ambulare; & continua oratio, quam semper facere procurare debeo. Animæ namque meæ perutilis & bona ea futura est, mihique erit adiumento, vt omnia opera mea bene perfecteque peragam.

XI. DE CONFORMITATE VOLVNTATIS NOSTRÆ cum diuina.

1. Omnia quæ occurrent, & qoslibet casus, magna ea sint vel parua, hac via & ratione veniant, vel illa accipere, velut à manu Dei venientia, vtpote qui patris ea mihi affectu, & visceribus paternis, ad maius bonum & vtilitatem meam, vtque hoc pacto me cum sanctissima & diuina voluntate ipsius conformem, immittit: perinde ac si ipsummet Christum coram viderem, mihi dicentem: Volo, fili, vt hoc nunc agas vel patiaris.

2. Operam dare, vt in hac mei cum diuina voluntate omnibus in rebus conformitate, quotidie proficiam, semperque progrediar, idque per tres hosce gradus: Primo, eas cum patientia; Secundo, cum promptitudine & facilitate; Tertio, cum gaudio & hilariter ferendo, quod nimirum hęc Dei sit voluntas & beneplacitum.

Tres gradus resignationis.

3. Hoc in examine & exercitio tam diu manere & exerceri debeo, donec visceralem quendam gustum & delectationem in me percipiam, quod Domini in me voluntas, tametsi aliqui in eo

mihi labores, despectus & dolores subeundi sint, adimpleatur, ac donec tota mea voluptas & delectatio sit, ipsa Dei voluntas & beneplacitum.

4. Nihil omittere, quod Dei voluntatem, & maiorem eius gloriam & seruitium esse sciam: imitari conando in eo Redemptorem nostrum Iesum, qui ait: *Ego quæ placita sunt ei* (Patri meo æterno) *facio semper*. *Ioan. 8.29.*

5. Exercitium hoc peragere optima erit semper in Dei præsentia, & continua oratione ambulandi ratio, atque inprimis v ile.

Exercitium amoris diuini. 6. Examen mortificationis, quod supra posuimus, melius fiet, si per modum conformitatis cum diuina voluntate assumatur, omnia scilicet, quæ accidunt & ingruunt, velut à Dei manu venientia, vti ante paulo dixi, accipiendo. Atque hoc pacto erit id & facilius, & sapidius, & vtilius: erit namque quoddam amoris diuini exercitium.

Notandum porro hic est, nos per hæc non velle dicere, quasi examen particulare necessario eo sit ordine peragendum, quo virtutes hic à nobis proponuntur, aut eo graduum & partium ordine, qui in harum qualibet ponitur. Illud tantum hoc loco præscribendum, eam quemque sibi virtutem seligere debere, qua magis opus habebit, & ab illa eius parte & gradu initium ducere, qui ipsi magis erit necessarius: quem vbi decurrerit & perfecerit, ex alijs deligat ea, quæ magis conueniunt, donec tandem, adiuuante Dei gratia, in ea virtute fuerit perfectus. *Magis necessaria prius assumenda.*

CAPVT VI.

Materia examinis particularis non est facile mutanda: & quandiu ipsum de vna eademque materia instituendum sit.

NOTANDVM hoc loco est, non esse de facili ipsum examinis modum immutandum, modo scilicet circa hanc, modo circa illam rem ipsum instituendo: hoc namque est in orbem circuire, vti dicunt, & suo in itinere non progredi: sed vna res est ad finem vsque prosequenda, & deinde ad aliam procedendum. Vna quippe ex causis, ob quas nonnulli tam parum fructus ex examine capiunt, solet esse hæc, quod nonnisi velut interruptos quosdam & semitruncos impetus faciant, ad octiduum scilicet vel duas hebdomadas, vel etiam mensem, circa rem vnam examen instituendo; ac statim defatigentur, atq; ad aliam desultoria quadam leuitate transeant, priorem nondum adepti; itaque nouum quendam impetum faciant, & paulo post rursum alium. *Constantia examini particulari necessaria.*

Quemadmodum si quis toto connisu saxum ingens, per quandam montis crepidinem, vsque ad summum eiusdem fastigium protrudere conatus, mox vt aliquantulum id protrusisset, defatigaretur, ipsumque dimittens ad imum vsque deuolui fineret; ac deinde rursus, ac tertio ipsum voluere reinciperet, is nunquam, etsi summopere sudaret ac laboraret, in eo quo vellet loco saxum collocaret. Tales sunt ij, qui super rem vnam examen instituere occipiunt, & ante quam ipsam ad exitum deducant & obtineant, illa omissa, statim ad aliam, ac rursus aliam auolant. Hoc scilicet est defatigari, & non consummare. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* *Simile.* *2. Tim. 3.7.*

Hoc quippe perfectionis negotium non per interruptum & interceptum quendam impetum obtinetur; sed magna in rem vnam est perseuerantia homini insistendum, magno in illam conatu connitendum, ac tandiu in ea permanẽdum, donec ipsam plane, quamuis magno sudore ac labore, obtineat.

Quemadmodum, inquit Chrysostomus, illi, qui thesaurum aliquem, aut auri argentique fodinas offodiunt, graue non ducunt fodere, terram eruere, quæcunque ipsis obijciuntur impedimenta perfringere, & decem, imo viginti calamorum spatio in terrã penetrare, vt tandem *Hom. 5. super Genes.* *Simile.*

dem ad thesaurum, quem quæritant, pertingant: ita nos, qui veras diuitias spirituales, verumque virtutis ac perfectionis thesaurum inuestigamus, minime defatigari par est, donec ad ipsum tandem pertingamus; sed quaslibet difficultates perfringere, nihil vt nobis obstaculi vel remoræ obijciatur. *Persequar*, ait Propheta, *inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant.* Siquidem sancta hæc obstinatio, cum vincit vitium, tum virtutem inserit, non vero leuitas illa puerilis, & reiterata interruptio.

Constantia examini particulari necessaria.

Psal. 17. 18.

Iam ad rem & propositum veniamus. Quam multis de rebus examen instituisti, ex quo primum tempore de eo agere cœpisti? Si in omnibus recte tibi successit, iam eris perfectus: si ne vna quidem illarum recte successerit, cur eam reliquisti? At mihi dices, non recte tibi illam processisse; sed respondeo, propterea illam bene tibi non procedere, quod quæ bene cœpisti, leuiter mutes, nec rem vnam ex exitum vsque prosequaris. Si etiam tunc cum examine & cura particulari in illa tollenda allaborares, bene eam tibi dicis non processisse, longe tibi illa, mihi crede, deterius succedet, cum examen de illa non institues. Si enim qui emendationem proponit, sæpius impingit, quoties, & quomodo non impinget ille, qui serius, aut fortasse nunquam correctionem proponit. Tamen per propositum illud mane, meridie & vesperi conceptum fiet, vt, velut fræno quodam retentus, toties non impingas.

Simile.

Examinis particularis non continuati nullus fructus.

2. Tim. 3. 4.

Et, quamuis tibi nec emendari, nec progredi, nec hilum proficere videaris, non idcirco fatigatus deficias, aut leuiter ab eo resilias; quin potius humilia te, & in examine confundere, & de nouo propone, & reincipere statue: propterea namque lapsus aliquot Deus permittit, vtq; in animæ tuæ terra aliquis hinc inde Iebuzæus superstes maneat, vt liquido tandem videas, nihil proprio marte aut viribus te posse, sed cuncta tibi de manu Dei venire debere; proinde ad eum tibi recurrendū,

Hom. 5. super Genes.

Si non proficis humilia te.

Simile.

Tract. 8. c. 38.

& illi semper adhærescendum esse. Vnde non raro fit, vt hoc modo quis maiorem in profectu suo feruorem ac diligentiam præferat, quam si statim ea, quæ poscit, Dominus concederet.

Porro petet aliquis, quandiu necesse erit circa rem vnam particulare examen instituere? S. Bernhardus, & Hugo de sancto Victore similem quæstionem proponunt, queruntque, quandiu contra vitium aliquod pugnandum sit? ac respondent tam diu contra id pugnandum videri, donec ipsum ita debilitetur, vt, dum primum se exerit ac prodit, facili negotio ipsum statim rationis clypeo retundere ac subijcere queas: neque eatenus expectādum, vt nullam prorsus passionem vel repugnantiam in te sentias: Ita namque nunquam ad finem peruenies. Addit proinde Hugo Victorinus, id Angelorum esse potius, quam hominum. Satis est ergo, vt vitium hoc vel passio nullam tibi iam amplius molestiam exhibeat, nec multum negotij facessat, sed vt statim atque se exerit, ipsum dispellas, & facili negotio à te reijcias. Ac tum demum fas erit ad aliud vitium expugnandum, vel examen de illo instituendum transire. Dixit etiam Seneca: *Contra vitia pugnamus, non vt penitus vincamus, sed ne vincamur.* Non enim est opus, vt vitiū prorsus non sentiamus; satis est id ita vinci, frangi & debellari, vt impedimento & remoræ non sit in ijs, quæ nos facere par est, exequendis.

Vitia debilitari possunt, plane extingui non possunt.

Vt vero certiori quis methodo in hac re procedat, optimum est, vnumquemque id cum Patre suo spirituali communicare: si qua enim in re consilio opus est, hæc sane vna de præcipuis est. Quædam enim sunt, de quibus satis est perbreui tempore examen institui, vti supra diximus; alia vero, de quibus si anno integro vel pluribus examen instituatur, quam vtilissimum erit. Si enim singulis annis vel vnum vitium eradicaremus, statim perfecti essemus. Alia denique sunt, circa quorum vel vnum si tota vita examen fieret, optime id omne tempus impensum foret: hoc quippe ho-

Cap. 3.

Tho. à Kemp. l. b. 1. de imit. Christi.

mini erit ad perfectionem consequendam satis.

Quidam tota vita vni rei feliciter incubuere.

Sic quosdam nouimus tota fere vita sua in rem vnam sedulo incubuisse, & particulare de ea examen instituisse, qui ideo etiam eminentes & eximij in illa euasere; alius quidem in virtute patientiæ, alius in profundissima humilitate, nonnemo in magna cum Dei voluntate conformatione, alius denique in omnibus pure propter Deum faciendis. Ad hunc igitur modum etiam nobis, vt in aliqua virtute emineamus, enitendum est, nimirum in illa nos sedulo exercendo, & tam diu in eius exercitio perseuerando, donec eam comparemus.

Hoc vero non impedit, quo minus interdum hocce nobis examen liceat interrumpere. Quinimo consultum est id ita fieri, ad octo nimirum vel quindecim dies examen de silentio, exercitijs spiritualibus bene obeundis, bene de omnibus loquendo, non proferendo verbo, quod quempiam aliquo modo offendat, & alijs id genus rebus, quæ in nobis semper repullulant, & indies denouo regerminant, instituere; sed statim deinde ad primum institutum & procedẽdi modum redire, ac primarium nostrum intentum prosequi, donec tandem id, quod spectamus, obtinuerimus.

CAPVT VII.

Quomodo examen particulare sit instituendum.

Tria tempora examinis particularis.

SECVNDVM caput primarium, quod tractare proposuimus, est, quomodo hoc examen sit faciendum. Examen particulare tria continet tempora, & duas examinandi sui vices. Primum tempus est, mane statim ac lecto surgimus, in hoc proponere quisque debet quam diligentissime ab illo sibi vitio & defectu particulari cauere, in quo se corrigere vult, vel emendare.

Mane.

Secundum tempus est meridies, in quo primum examen est faciẽdum; quod tria puncta complectitur. Primum est, gratiam à Domino petere, vt reminisci queat, quoties in defectum illum ceciderit, de quo particulare examen instituitur.

Meridie.

Tria puncta.

Alterum, rationem ab anima sua defectus vel vitij huius exigere, per tempus iam inde ab illa hora, qua surrexit ac propositum concepit, vsque ad præsentem horam elapsum discurrendo, atq; excutere, quoties in illud prolapsus sit. Tum totidem notanda sunt punctula in linea quadam in libello, quem ad eum vsum paratum habebit, exarata, quoties in id se prolapsum esse comperiet.

Tertium denique punctum est, pœnitere quod lapsus sit, veniam rei huius petendo, ac propositum quoddam concipere in id à meridie, per Dei gratiam non prolabendi.

Vesperi.

Tertium tempus ipsa vespera est, antequam nimirum cubitum concedatur; tunc secundo examen, eo plane modo, quo in meridie, per tria illa puncta instituendum, iam inde vsque ab vltimo examine ad præsens tempus discurrendo, & totidem in alia linea secunda notando punctula, quoties se videbit impegisse.

Vt vero facilius & citius defectus & vitium, de quo examen facimus, eradicetur, quatuor B. P. N. aduertenda ponit, quæ vocat Additiones. Prima est, vt quotiescunque in particulare illud vitium aut defectum homo cadit, eius mox ipsum pœniteat, manu leuiter ad pectus admota. Quod fieri potest etiam, cum apud alios agit, ita vt hi non aduertant, quid faciat.

Quatuor additiones.

Secunda, vt vesperi, facto iam examine, temporis pomeridiani puncta conferat cum punctis antemeridianis, vt videat nimirum, num aliqua sequuta sit emendatio.

Tertia & quarta sunt, diem hodiernum cum hesterno, atque hebdomadam currentem, cum superiore & præterita comparet: vt ex hac collatione videat, num quem profectum fecerit.

Vni-

Sozom. lib. 1. hist. Tripart. c. 11. & Niceph. lib. 8. cap. 4.

Vniuersa hæc doctrina è sanctis est Patribus deprompta; beatus namque Abbas Antonius, vt Historia Ecclesiastica proditum est, suis consulebat, vt defectus, quos in examine notarant, scripto consignarent, vt sic magis homo erubesceret inque suum profectum diligentius incumberet, errores defectusq; suos coram videndo & considerando.

Defectus annotandi.

Basil. serm. 1. de abdic. siue renunt. sæculi & spirit. perfect.

Idem quoque docet Iohannes Climacus: qui non vesperi solum & tempore examinis, sed & omni hora suos vult hominem defectus, statim vt in eos incidit, annotare, vt sic postea melius & commodius examen queat instituere; perinde ac bonus campsor, & nauus mercator, sedulusque œconomus, statim in cummentariolum & codicem refert, quidquid vendit vel emit, tum, vt nihil ipsum effugiat ex obliuione, tum, vt vesperi melius generales suas subducere rationes queat.

Simile.

In Specul. Monach.

S S. Basilius denique & Bernardus expresse suadent, vt dies vnus cum altero conferatur; vt sic melius suum homo profectum & defectum aduertat, & magna accuratione indies procuret esse melior, atque Angelis sanctis similior. Sic & sanctus Dorotheus consulit; vt septimana vna cum alia, mensis vnus cum alio conferatur.

Doctrin. 10.

Modus vero defectus nostri paulatim & per spatia interrupta, ab vno semidie scilicet ad alium, & non vlterius, emendandi, quem nobis beatus Pater assignat, idem est à sancto Chrysostomo, S. Ephrem, & S. Bernhardo, velut medium ad quodlibet vitium vel defectum, quem habemus, euellendum, efficacissimum, præscriptus.

Serm. contra concubinar.

In quadam formula bene viuendi Canonicorum & Vicar. c. 24.

Eum insuper agnoscit Plutarchus, & in exemplum adfert illum, qui, cum natura esset cholericus, magnamque in ea reprimenda difficultatem sentiret, statuit vel die vno non irasci: atque vt proposuit, ita & cauit. Postridie rursus sibi dixit; Etiam hodie videbo, ne iræ habenas laxem, & hodie saltem ab irascendo mihi temperem, & vim sibi faciens cauit, ne & illo die irasceretur. Sic deinde fecit sequenti, & proximo rursus die, donec tandem ex austero lenis, ex iracundo placidus factus est.

Dial. de cohibend. iracundia.

Emendatio ad breue tempus facilis.

Hic itaque modus est, quem Beatus Pater nobis in examine particulari præscribit, vt sic conflictus multo nobis reddatur facilior.

Quemadmodum ægro, cui omnia desipiunt, cuiusque stomachus omnem escam respuit, cibus nonnisi frustatim & particulatim datur, vt sic hunc possit traijcere: nam si illi integram gallinam apponeres, deterritus impossibile esse iudicaret totam eam absumere, atque ita ex ea ne modicum quidem posset degustare: at si frustillum eius aliquod præcisum illi des, reliquum vero intra duas lanceas recondas, fiet, vt paulatim, bolum semper vnum per vices illi apponendo, tantum illum facias comedere, quantum opus habet.

Simile.

Sic & Beatus Pater noster nos in examine particulari paulatim, velut ægros ac debiles quosdam, ab vno medio die scilicet ad alterum vult conducere, vt si qua in hac re est difficultas, facilius eam ferre possimus. Si enim vniuersum simul caperes, dicendo, verbi gratia: Toto anno verbum non loquar, tota vita mea oculis volo incedere in terrã demissis, ita compositus, & cum tanta modestia; fortasse, vel sola rei huius cogitatione perterritus, defatigareris, hucque te posse pertingere desperares, & hoc vitę genus omne triste, tetricum ac melancholia plenum esse iudicares. At per medium diem saltem, v. g. per vnum tempus antemeridianum vsque ad prandiũ, quis non compositis esse moribus, quis nõ linguam poterit refrænare?

Deinde in meridie nonnisi vsque ad vesperam propone; quia alio die quid futurum sit, nouit Deus, & vnde nosti, vtrum eatenus vitam producturus sis, & ponamus eatenus te viuere, non etiam amplius id erit, quam dies vnus: neque vero cras te pœnitebit, quod hodie cum hac circumspectione ambularis; nec etiam defatigatus idcirco eris, quod hodierno die caute circũspecteq; vixeris: quin imo

mens

mens tibi ob hoc erit excitatior, teque exinde melius dispositum inuenies ad id melius, facilius, ac suauius faciendum.

Parui temporis emendatio proponenda.

Crediderim nonnullos subinde in eo errare, quod nimirum non assuescant, nonnisi in medium hunc diem emendationem concipere, quod sane non parum eos ad maiori cum efficacia proponendum adiuuaret.

p.2.li.6.c.38. histor Minor.

S Iuniperi pium silentium.

F. Iuniperus, vt in Chronicis Minorum legitur, etsi semper valde parum loqueretur, semel tamen per semestre integrum, hoc pacto perpetuum seruauit silentium: primo die proposuit non loqui, in honorem Dei Patris; secundo ex reuerentia Dei Filij; tertio ex reuerentia Spiritus sancti; quarto propter amorem beatissimæ Virginis Matris: itaque consequenter per omnes Sanctorum ordines discurrendo, quotidie silentium nouo feruore & deuotione, ex amore & affectu erga aliquem illorum obseruabat. Hoc scilicet pacto quis magis ad emendandum id, super quo particulare examen instituit, animatur, simul etiam magis ob defectus, quos admittit, confunditur & erubescit; quod ne tantillo quidem temporis spatio bonum suum propositum seruare & complere potuerit. Proinde permultum nos hocce medium per omnia iuuabit.

CAPVT VIII.

In examine nobis est præcipue in dolore & emendationis proposito concipiendo insistendum.

ID in modo faciendi examinis inprimis & ante omnia aduertendum est, inter tria eius membra, duo postrema eminere & primas ferre: dolorem scilicet, & pœnitentiam de peccatis ac negligentijs conceptam, & firmum emẽdationis propositum, iuxta illud Prophetæ: *In cubilibus vestris compungimini.* In hac compunctione & displicentia, & in firmo hoc non reincidendi proposito, vniuersa vis & efficacia examinis ad nostri emẽdationem consistit; ac proinde in duo hæc præcipua temporis portio est impendenda.

Psal 4.5.

Vna è præcipuis causis, ob quas multi tam parum per examina proficiunt, & emendantur, est, quod totum prope tempus in inquirendo, quoties in defectum suum prolapsi sint, impendant, &, hocce puncto vixdum absoluto, quod finiendi examinis iam signum detur, reliqua nonnisi superficialiter ac leuiter faciant, in dolore, inquam, & pœnitẽtia de peccatis, in sui confusione, in veniæ pro ijsdem petitione, in firmo sui circa vesperam vel postridie emendandi concipiendo proposito, denique in Dei gratia & viribus ad hoc necessarijs petendis, se nequaquam detineant: inde oritur, vt quoties hodie impegisti, toties etiam impingas cras. Quia toto examine non fecisti aliud, quam in memoriam reuocare quoties impegeris.

Examinis præcipua pars dolor & propositum.

Hæc autem non est vera nostri emendandi ratio, sed tantum primum examinis punctum & fundamentum, cui illa alia duo puncta principalia superstrui debent. Efficax ad tui emendationem medium est, ex corde & animo de culpis dolere ac pœnitere, firmiterque emendationem proponere, & ad hoc gratiam feruenter à Domino exposcere. Quod nisi feceris nulla tui sequetur emẽdatio. Tam enim sunt inter se coniuncta & sororiant, dolor de pręterito, & emendatio de futuro, vt pari passu ambo procedant. Certum quippe est, cum quid ex animo & sincere detestamur, omni nos ratione, ne in ipsum relabamur, contendere.

Dolor & emendatio pari passu ambulant.

Sæcularibus hominibus hoc ipsum quotidie oggerimus ac prædicamus: æquum erit igitur, vt id nos in vsum nostrum conuertamus: Quid causæ esse dicemus, quod mundani tam facile in peccata, quæ toties confessi sunt, relabantur? nostin' quæ? Causa vt plurimum esse solet, quod vere & ex animo ea non sint detestati, & cum firmo non amplius in peccata reincidendi proposito ad confessionem non veniant, & quia animus nun-

Recidiua est ex defectu firmi propositi.

nunquam ex toto, sed tantum media ex parte ad Dominũ reuerti proponit, hinc facile redeũt ad id quod ex toto nunquã deseruere. Si ex animo & reuera peccati ipsos pœniteret, & ipsum detestarentur, ac solitum posthac non relabẽdi propositum conciperent, non tam facile statim à confessione ad vomitum redirent, perinde ac si peccata confessi non essent.

Examinis præcipua pars dolor & propositum.

Causa, cur etiam tu in eosdem errores cadas vesperi, in quos mane; & in eos hodie, in quos heri, est, quod sincere de eorundẽ nõ pœnituerit, quod ex corde eos non sis detestatus, quod firmiter emendationẽ non proposueris, ꝙ in eo firmus non mãseris. hoc si faceres, nõ tã facile & cito ad eos reuerteretis: non enim facile recõmittere solemus id quod abominamur, & quod commisisse nos piguit ac pœnituit.

Contritio tollit præterita & futura delicta.

Tract. 5. c. 5.

Dolor & displicentia de peccatis, cum vera est, non modo præterita peccata aufert, sed & ꝓ futuris amuletũ est & antidotũ, vti supra dicere memini. Qui namque prorsus à peccato abhorret, procul etiã abest à relapsu & recidiua. Quãti roboris & efficaciæ mediũ hoc sit, ad nõ peccandum, nouit vetus ille orator: cũ enim enorme à muliercula, vt secũ peccare liceret, pretium rogaretur, statim respõdit, *Ego tanti pœnitere non emo.* Ratio aũt hæc diligenter notanda est: vtpote digna non Philosopho solum, sed & homine Christiano & Religioso.

Dolor & emendatio pro passu ambulant.

Demosthenes, vt refert A. gellius li. 1. c. 8

Interdum ipse mecum non sine stupore vesaniam ac impudentiam perpẽdo illorum, qui audacter & intrepide peccãt, dicẽdo, *Postea pœnitebo ac Deus mihi ignoscet.* Quomodo enim in sensum tuum cadere potest, vt, quo appetitu tuo in præsens satisfacias, & breuem delectationẽ in momento pertranseuntem percipias, præeligas, & malis perpetuam postea toto vitæ tuæ tempore sentire pœnitentiam, eo quod peccatum opere compleueris. Nam tametsi certũ sit fore, vt Deus postea id tibi, si eius te pœniteat, ignoscat, vt tamen tibi ignoscat, necesse est tandem vt eius te pœniteat, doleasque postea ex toto corde, quod ipsum commiseris.

Cur vt parũ gaudeas, multum dolere vis.

Recidiua est ex defectu firmi propositi.

Magni ratio hęc roboris est, etiam humanibus loquendo, nullo inquam ad amorẽ Dei qui semper primarius esse debet, habito respectu, sed dũtaxat ad propriam delectationẽ & amorem propriũ. Cogita ergo & dic, Nolo agere hoc, quod commissum postea magnam mihi molestiam & dolorem noui allaturum: voluptas siquidem quæ in committendo cõsistit, in momẽto pertransit; pœnitere aũt & dolor post cõmissum manens, tota duraturus est vita, adeo vt nunquã amplius vllam ex eo voluptatẽ aut delectationẽ capere queam; quamobrem *tanti pœnitere nõ emo.* Magna profecto vesania est, ob tantillam voluptatulam tantum in caput meum dolorem ac pœnitudinẽ arcessere.

Quin etiã melius id habet Apostolus, dum ait, *Quem fructum habuistis tunc ex illis, in quibus nunc erubescitis?* Quid enim est breuis illa delectatiuncula, qua potitus es, cum longa illa pœnitentia, quã habebis postea, collata? Hæc pręcogitanda sunt, antequam peccatũ admittatur. Quocirca tentatione iam ingruẽte, tecũ sic rationeris ac dicas oportet, Nolo istud agere, ob quod postea erubescã, ac cuius tota vita me pœniteat. Etiam in hoc mundo, dum quid alicui dissuadere initeris, dicis, Vide ne agas, & caue, quia post factum te pœnitebit. Alius vero tibi replicat, Non pœnitebo. Nam si cogitaret fore, vt eum facti huius pœniteret, ipsemet sane videret stultitiæ quandam speciem esse, facere id quod magnam nouit sibi postea molestiam ac pœnitudinem causaturum.

Rom. 6. 21.

Præseruatiua peccati.

Hęc eo scripsi, vt appareat quam verus de peccatis dolor & pœnitentia efficax medium sit ad in eadem non reincidendum, atque intelligatur quanti nostra intersit huic in examinibus immorari. Verum quidem est, posse aliquem verum de peccatis dolorem, & verum emendationis propositum habere, & tamen postea rursus elabi: quia non sumus Angeli, sed homines fragiles & è luto compacti, quod facile frangi ac dissolui, ac statim

refringi, & in aliam transire formam potest: tamen, sicuti, quando quis statim à confessione ad easdem blasphemias & iuramenta execratoria, ad easdem concupiscentias & peccata, quæ in confessione euomuit, redit; communiter dicere solemus, eum nec veram de commissis contritionem ac dolorem, nec firmam emendandi sui intentionem habuisse, cum tam cito ad ipsa redierit: pari modo magnum indicium & argumentum est, vere te, in meridie vel vesperi examen tuũ instituisti, silentij fracti non pœnituisse, nec firmum tui quoad hoc emendandi propositum concepisse, cum videam te statim à meridie & sequenti die non minus ipsum violare, quam si examen non instituisses. Idem de aliis erratis, de quibus examen instituis, est dicendum.

Corãm homine pudet sæpius peccare, quidni coram Deo.

Etiam te corã fratribus pudet, de vna re sæpius culpam dicere, vel eam ab ipsis tibi multoties oggeri, quod iam secũdo, tertio, & quarto illam dixeris; quanto magis coram Deo erubesceres, si sincere & ex animo culpam tuam corã eo dixisses, illius ex toto corde pœnitendo, veniã eius efflagitando, & emendationem proponendo, cum in eandem post relaberis, idque non ter aut quater, sed tricies aut quadragies. Minime dubitandũ est, quin aliter longe nos emendaremus, & fructũ faceremus, si vere nos commissorum pœniteret, si ob eadẽ ex animo doleremus, & firma emendãdi proposita haberemus.

Capvt IX.

Perutile est, aliquas ad examen austeritates ac pœnitentias adiungere.

Lib. 5. c. 10. Vita B. P. Ignatii.

Satis quoque B. P. nostro non erant animi dolor, pœnitentia, & interius concepta proposita, verum quo melius concepta desideria executioni mandarẽtur, consulebat vt (sicut in vita eius legimus) spontanea aliqua ad examen particulare adiungeretur pœnitentia, certam quandam pœnam præscribens, quam de nobis ipsi, quotiescunque in defectum, de quo instituitur examen, incidimus, sumeremus.

Aliquot sanctos ac Dei seruos, quos quidẽ ipse cognouit, in exemplũ adducit Ludouicus Granatensis. Vnum ait, dũ in examine vespertino compeririet se verbo aliquo incõdito & importuno excessisse, linguam in eius castigationem acriter solitum mordere. Alium, tam propter hunc q̃ alium quemlibet defectũ, in quẽ incidisset, flagris integrum solitũ seruire.

Pœnitentia examini subiungenda.

S. Agathon Abbas triennio fertur lapillum in ore gestasse, vt sic vi sibi facta silẽtij virtutẽ addisceret. Sicut vulgo ciliciũ, carnis mortificandæ ergo, vtq; nobis ad castitatem tuendam velut stimulus & excitator sit, gestare solemus: sic sanctus ille vir lapillũ sub lingua gerebat, vt cilicij sibi vsum quodãmodo præberet, & monitor ac suggestor foret, ne plura, quam necesse foret, loqueretur.

Volaterran. lib. 1. Anthrop.

Beatum P. N. Ignatiũ accepimus, initio conuersionis suæ visum, ad quẽ maxime tentabatur, flagris acribus susceptis superasse, singulis noctibus tot sibi verbera infligẽdo, quoties per diem riserat, etsi vel minimus risus fuisset.

Lib. 5. c. 10. vitæ.

Et sane addita hęc ad examen pœnitẽtia permultum solet conducere; anima namq; per pœnitentiã hanc & rigorem subacta & facta timidior, denuo eadem culpam committere non audet. Equus, quantumlibet lentus & refractarius, calcaria dum sentit, progreditur. quin & tãtam illa vim habent, vt si modo ea adesse equus sentiat, licet alioquin in carnẽ nõ adigãtur, eum hæc procedere cõpellant.

Simile.

Si, quotiescunq; quis silentium violat, publice flagellationẽ subire, aut p̃ triduũ nõnisi acidũ panem comedere, & frigidã bibere deberet (quæ antiquitus erat pœnitentia in regulis præscripta iis qui silẽtium fregissent) certum est nos ad loquẽdum non tam faciles & pronos fore.

Silentii violati pœna.

Præter hoc, & vt meritum & satisfactionem taceam, quæ in pœnitentia includitur, sequitur & aliud per magnũ ex ea bonum, scil. Deum Opt. Max. videndo quam acriter se homo affligat & castiget, eius

Serios hominis conatus adiuuat Deus.

eius votis & deſideriis annuere ſolere. Atque hoc vnum de præcipuis eſt pænitentiæ ac mortificationis exterioris effectis, quod cum ſancti Patres omnes proponunt, tum etiam B. P. N. Ignatius in Libro Exercitiorum inſinuat.

Lib. exercit. in addition.

Dan. 10.12.

Dixit alias Angelus Danieli, *Ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in cōſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua.* Quia Daniel Propheta ad orationē, iniuria, & carnis mortificationem addidit, ideo tum populi ſui liberationē, tum vt ſublimia & abſcondita myſteria ipſi reuelarentur, aliaq; beneficia ſingularia cōferrētur, promeruit. Vnde etiam videmus, medium hoc ad fauorem & auxilium Dei in laboribus & neceſſitatibus obtinendum, in Eccleſia Dei & modo in vſu eſſe, & ſemper hactenus fuiſſe.

Eccleſia pænitentiis placat Deum.

Simile.

Si quando paruulus à matre ſua vbera, quibus opus habet, non aliter petit quā ſolo voto ac deſiderio (quod tantum nutibus ſigniſq; indicat) mater ſæpe ei illa aut pænitus non dat, aut ad tēpus differt: at quando plorādo ſeſeq; affligendo idētidem ea expoſcit, cōtinere ſe illa nequit, quin ſtatim vbera ſugēda puſioni exporrigat. Pari modo, quando à Deo humilitatem, patientiam, caſtitatem, vel de aliqua tentatione victoriam, aut quid ſimile, ſolum deſiderio ac nudis verbis poſcimus; ſæpenumero aut non conſequimur quod oramus, aut in longum tempus poſtulata differuntur: at quando orationi pænitentiam & mortificationem carnis cōiungimus, noſq; corā Deo affligimus, tunc melius, maioriq; certitudine & cōpendioſius quod petimus impetramus.

Mortificatio dat vim orationis.

Siquidem ſingulari quodā modo viros iuſtos Deus amat, quos cū ſollicitos, anxios, & afflictos, quo poſtulata conſequantur, videt, ipſis cōpatitur, maioriq; erga illos tūc vtitur miſericordia. Ioſeph Patriarcha, vt refert Moſes in Geneſi, viſa fratrum ſuorū afflictione & lacrymis, vltra ſe cōtinere non potuit, ſed ſtatim ſe illis aperuit, illoſq; omniū bonorū ſuorum fecit participes: *Non ſe poterat vltra cohibere Ioſeph, & dixit fratribus ſuis, Ego ſum Ioſeph.* Quid ergo is qui nos amat pluſquam Ioſeph, & noſter eſt frater, viſa noſtra afflictione & dolore faciet. Mediū ergo hoc egregie nos per omnia iuuabit.

Gen. 45. 1. & 3.

Conſentiūt his quæ ſcribit Caſſianus, de ſollicitudine & diligētia illa loquēs, quę in hoc conflictu & examine particulari nobis adhibēda eſt. Si enim cōflictus & examen particulare circa id potiſſimū, vti dictum ſupra, verſari debent, quo maxime opus habemus; ſi circa illius paſſionis & inclinationis malę eradicationem, quæ maxime in nobis dominatur, quæ nos maxime poſt ſe abripit, quæ in maxima nos coniicit pericula, quæ deniq; in maxima nos impingere facit delicta; ſi circa illius vitij victoriam, quo ſubiecto, reliqua omnia ſubacta & deuicta erunt; ſi circa illam denique virtutem, qua vna adepta; facile reliquas omnes adipiſcemur, quam igitur rationi conſentaneum erit, vt magna in illud ſollicitudine & diligentia incumbamus, quod noſtra tanti intereſt?

Collat. 5. Abbat. Serapion. c. 14.

Diligentia Maxima examini particulari impendenda.

Noſſe vis quanta ea ſit adhibenda, audi Caſſianum: *Aduerſus illud arripiat principale certamen, omnem curā mentis ac ſollicitudinem erga illius impugnationem obſeruationemque defigens, aduerſus illud quotidiana ieiuniorum dirigens ſpicula, contra illud cunctis momentis cordis ſuſpiria, crebraque gemituum tela contorquens, aduerſus illud vigiliarū labores ac meditationē ſui cordis impendens, indeſinentes quoque orationū ad Deū fletus fundēs; & impugnationis ſuæ exſtinctionem ab illo ſpecialiter ac iugiter poſcens.* Neq; vero hāc ſatis nobis eſſe debet in ſolo examine diligētiam adhibere; verum eadem & in oratione eſt adhibenda; nec in oratiōne ſolitaria tantum & ſemel ſed & ſæpius per diem, per orationes iaculatorias, per ſuſpiria, & viſcerales gemitus cordis, animus eſt ad Deum eleuandus, dicendo, Da Domine humilitatem, Da Domine caſtitatem; Da Domine patientiam. Hanc ob rem ſæpe corā ſacratiſſimo Sacramēto prouoluamur oportet, magna Dominum ibi præſentē inſtātia rogādo, vt gratiā nobis cōcedat

Virtuti ſerio inſiſtendum.

rei, quæ tanti nostra interest, obtinendæ. Recurrendumque quoque hac de causa ad Beatissimam Virginem & Sanctos, vt ij nostri in hac re intercessores sint & suffragatores. Huc omnia nostra dirigenda sunt ieiunia, huc cilicia, huc flagella; aliqua etiam pietatis exercitia hoc intuitu adiungenda; particulares demum mortificationes quædam hac intentione offerendæ. Semper enim hoc cordi insculptum & infixum gestare nos necesse est, cum tanti id nostra referat. Si hoc modo, hac sollicitudine & diligentia examen particulare institueremus, quamprimum profectum aliquem in nobis notaremus: Dominus quippe nostram afflictionem videns, orationem nostram protinus exaudiret, & cordis nostri desiderium compleret. Vniuersa hæc accurate notanda sunt, quo etiam in aliis tentationibus, ac grauibus necessitatibus occurrentibus, vsu veniant. Refert S. Bonauentura Deiparam Virginem S. Elisabethæ Hungaricæ dixisse, nullam spiritualem gratiam, regulariter loquendo, in animam, nisi vel mediante oratione, vel corporis afflictionibus, dilabi.

Sola oratio & mortificatio omnia impetrant.

In vita Christi c.3.

Capvt X.

De generali conscientiæ examine.

Generale conscientiæ examen quinque complectitur partes, vel puncta.
1. Primum est, Deo ob accepta ab eo beneficia, gratias agere. Præmittenda porro est ipsa beneficiorum acceptorum memoria, vt commissa & peccata, quæ nos ingrati in tot beneficiorum compensationem remunerationemque fecimus, illis opponentes, maioris inde confusionis ac doloris occasionem accipiamus. Ita Propheta Nathan primo Dauidi Regi accepta à Deo bona & beneficia in memoriam reuocauit vt, quod admiserat, peccatum, in horum collatione magis sordesceret & emineret.

Beneficiis opposita peccata confusionem augent.

Secundum punctũ est, gratiam à Deo poscere, ad peccata & defectus, in quos prolapsi sumus, agnoscendos. 2.

Tertium, rationem cum anima nostra inire, paucis ab hora qua postremo propositum fecimus, discurrendo; primo per cogitationes, deinde per verba, tertio per opera. 3.

Quartum punctum, est eorum quæ commisisse nos comperiemus, à Deo veniam petere, ob eadem dolendo & pœnitendo. 4.

Quintum & vltimum, emendationem per Dei gratiam proponere, & dicendo *Pater noster*, tandem omnia concludere. 5.

Examen hoc generale semper vna cum particulari est instituendum. statim namque mane, cum electo surgimus, Deo Opt. Max. offerendum quodcunque eo die sumus acturi; sicut in particulari examine B. P. noster monet, vt statim ac surgimus, à particulari illo vitio, quod exstirpare volumus, serio proponamus cauere. atq; hoc primum est examinis particularis tempus. Tunc quoque Deo omnes diei illius cogitationes, verba, & opera offerenda sunt, vt sic omnia ad eius cedant gloriam, proponendo firmiter illum non offendere, & ad hoc faciendũ gratiam ab ipso petendo. Æquum vero & par est, omnes hoc facere assuescere. Deinde bis per diem, in meridie videlicet, & vesperi, generale examen vna cum particulari instituendum est. Atque ita communis Societatis mos obtinet in nostris constitutionibus fundatus; prima namq; regula communium expresse præscribitur his verbis: *Singuli præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinando impendant.* Sicuti horologium bis per diẽ componitur, eiusque rotæ ac pondera ad mensuram distenduntur, mane nimirum & vesperi, vt debito tempore & concorditer horas indicet; simili modo cordis nostri horologium mane & vesperi per conscientię examen dirigatur & intẽdatur necesse est, vt semper concorditer & æquate procedat.

Examen generale inchoandum.

4 p. Constit. c.4 §.3. & 4.

1. Reg. Communium.

Simile.

Adeo vt sicut in meridie inquirimus quo-

quoties iam inde ab ea hora qua propoſitum fecimus (ipſa inquam, qua mane ſurreximus) vſque tunc lapſi ſimus in id ſuper quo particulare examen facimus: ſic etiam inquiramus & examinemus vbinam cogitatione, verbo & opere deliquerimus, ab illo etiã tempore quo ſurreximus vſque ad tempus examinis. Deinde cõfundi nos & dolere oportet, tam ob defectus circa examen particulare, quam circa generale commiſſos, & ſeriam emendationem in veſperum tam pro illo, quam pro hoc proponere. Veſperi eodem plane modo vtrumque examen eſt faciendum per omnia dicta, facta, cogitata nos examinando, & omnes animi noſtri latebras excutiendo ad tantum ab examine vltimo meridiano.

Præcipuum porro quod circa generalis huius examinis faciendi modum aduertendum eſt, idem prorſus eſt cum eo, quod de particulari ante diximus: nimirum, omnem eius vim & efficaciam in duobus illis punctis poſterioribus, ſcilicet in dolore & confuſione de culpis, in quas lapſi ſumus, excitanda, & firmo emendationis propoſito in veſperam, vel in ſequens mane concipiendo, conſiſtere. Atque in hoc potiſſimum ſita eſt ipſa examinis bene faciendi ratio & fructus ex eo colligendus. R. D. ac M. Auila de hoc examine loquens: Perſuadeas, inquit, tibi neceſſe eſt, Principis cuiuſdam filium tibi eſſe concreditum, vt cõtinuo iugiterque ſuper eum excubes, ſedulam illius curam geras, bonis honeſtiſque moribus eum imbuas, malos vero eum plane dedoceas, denique quotidie omnium rationem ab eo depoſcas. Si hæc tibi cura credita eſſet certum eſt in eo minime te emendationis momentũ collocaturum, quod tibi candide ille diceret quoties per diem peccaſſet & lapſus eſſet; ſed in eo, quo delictum illi aperires, eũ erratorum coargueres, efficacia illi ad cauendum deinceps monita præſcriberes, firma ex eo emendationis propoſita eliceres, tibique in fide & verbo Principis, correctionẽ & meliorẽ polliceretur.

Dolor & propoſitum eſſentia examinis.

c. 62. *ſuper* Audi filia.

Simile pulchrum.

Tali ergo modo animam tu tuam intuearis & habeas neceſſe eſt, nimirũ ceu rem tibi à Deo Opt. Max. concreditam; tali item modo tibi eſt ratio ab ea exigẽda, vt videlicet omne examinis & emendationis tuæ momentum colloces non tam in nuda defectuum commiſſorum recollectione, & quoties in eos impegeris in memoriam reuocatione; quam in confuſione tui, dolore, pœnitentia, & acri ob eoſdem reprehenſione, ſicut ipſe eum qui tuæ eſſet curæ concreditus reprehenderes, necnon in ſolida cõſtantique non amplius poſthac in illas culpas prolabendi, propoſita concipiendo.

Tute tibi ſis creditus & diſcipulus.

Ad hoc non parum nos iuuabit, ſi cõſideremus, examen generale propriam & legitimam eſſe ad confeſſionem diſpoſitionem ac præparationem: vnde etiam hoc nomine illud donat B. P. N. Ignatius in libro Exercitiorum: *Examen*, inquit, *conſcientiæ generale ad purgationem animæ, & ad peccatorum confeſſionem vtiliſſimum.*

Examen eſt præparatio ad confeſſionem.

Cuius rei ratio eſt maniſeſtiſſima, quod duo præcipue ad confeſſionem requiruntur: primum examen culparum; ſecundum dolor de iiſdem: quæ duo perfecte completeque in examine conſcientiæ fiunt. Proinde ſi examen hoc bene fecerimus, ſequitur nos & ipſam confeſſionẽ bene facturas.

Confeſſio & contritio pœnitenti neceſſaria.

Notandum vero dolorem ad confeſſionem neceſſarium, vt docet Conciliũ Tridentinum & Florentinum, duas præcipue res includere, primo pœnitentiam & diſplicentiam de præteritis, deinde propoſitum non amplius poſthac peccandi: quarum alterutra ſi defuerit, ſufficiens ad confeſſionem non erit diſpoſitio.

Trident. ſeſſ. 14. c. 4. Contritio dolorem & propoſitum includit.

Credunt nonnulli tunc ſolum, cum peccatum aliquod è verecundia & pudore confiteri omittunt, vere ac legitime ſe confeſſos non eſſe; at equidem mihi perſuadeo, confeſſiones ideo fæ[illegible] malas, ſacrilegas, ac nullas eſſe, qu[illegible]atio- nis & verus dolor, & firmum emend[illegible] ap- nis propoſitum deſit: vt ſcilicet hi[illegible]eceſ- pareat, quam hæc præparatio ſit [illegible]aria,

Sæpius dolor quam integritas confeſſioni deeſt.

ſaria, & quanti interſit quandam nos in examine conſuetudinem, huius de culpis doloris & propoſiti ad nõ amplius in eaſdem reincidendum excitandi, eiſq; inhærendi contrahere.

Dico ergo, in nullum ex tribus primariis exanimis punctis (alia quippe ſunt velut quædam præambula) plus eſſe temporis inſumendum, quam in duo poſtrema, ſcil. primo in veniam à Deo petendã, vt nimirum nos admiſſorũ pœniteat, & ob eadẽ erubeſcamus, deinde in propoſitum emendationis concipiendum; minimam vero temporis partem conſcientiæ excuſſioni, & admiſſorum in memoriam reductioni dicandã videri. Ad hãc quippe, quæ etiam vna eſt de tribus præcipuis examinis partibus, tertia tẽporis examini peragendo deſtinati portio pluſquam ſatis eſt, reliquæ duæ vero duæ duabus aliis partibus ſunt impendendæ, quoniã hæ ſunt principaliores, & in quibus ſolis tota exanimis vis & efficacia, necnõ fructus eius, conſiſtit.

Tribus ſingulis vltimis partibus tertia examinis pars impendenda.

Iam petet aliquis, quomodo tantillo tempore, tertia inquam quadrantis horę parte bene & prout oportet excutere & inquirere poterimus, quoties tum in defectum in examine particulari præſtitutum, tũ in defectus examinis generalis, cogitatione, verbo, opereue admiſſos, lapſi ſimus; quia ne quidem totus horę quadrans adhoc videtur ſufficere poſſe? Optima ad hoc ratio eſt, primum punctũ iã abſoluiſſe, cũ iã ad examẽ accedimus.

Diſcuſſio præmitti poteſt.

B. P. N. Ignatius quoties labebatur in id de quo examẽ particulare inſtituebat, in ligula, quam ad hoc de cingulo pendẽtem habebat, nodum quendam faciebat; vnde cum nodos factos percurreret, facile ſcire poterat quoties lapſus eſt; vnde diutius ei rei non inhærebat.

Lib. 5. c. 5. Vitæ.
B. Ignatius conſcientiam ante examinabat & notabat.

Quoad examen vero generale, nulla non in die hora ſementemque recolligebat, & reliqua negotia miſſa faciens, ſuã examinabat conſcientiam. Si quod autẽ negotium ita prægnans, vel occupatio tã grauis incideret, vt pium ſum præſtituta illa hora morem ſeruare non poſſet, ſequenti hunc defectum reſarciebat, vel cũ primum id per occupationes liceret.

Valde bona profecto ea eſſet deuotio, ſi quis quoties ſignum horę datur, ad ſuã conſcientiam reflecteret. Multi etiã poſt ſingula quæ agunt operã, ſuam examinare ſolent conſcientiã. Verum, ſi ſingulis horis, aut poſt vnumquodq; opus id facere nimium tibi videretur, poſt ſingula ſaltem maiora & eminentiora, quæ per diem agimus, opera, id facere quam ſaluberrimum eſt.

Quinimo circa aliqua opera ſpecialiter nobis, præſcriptum eſt, vt. poſtquam illa iam abſoluimus, ipſa quomodo peracta ſint, examinemus, vti ſupra diximus.

In horas aut opera examinanda conſcientia.

S. Bonauentura vero ſepties per diem ſe ſeruum Dei examinare debere aſſerit.

Tract. 5. c. 27 Bonauent.

Si porro illam in examine particulari additionem ſeruaremus, vt nimirũ quoties impingimus, toties manu pectus tunderemus; facile hinc noſſe poſſemus, quoties lapſi fuiſſemus: quanquam hanc B. P. noſter additionem nõ tam præſcribat vt per eam nouerimus quoties lapſi ſimus, quam vt ſtatim lapſuũ nos pæniteret. Atq; ideo ſignũ hoc tunſionis pectoris aſſignat; quod dũ tundimus, tantundem eſt ac ſi diceremus, Peccaui Domine.

Statim de lapſu dolendum

Cæterum ſi hanc additionẽ ſeruemus, inſigni nobis erit adiumẽto ad poſtea facile in memoriam reuocandum quot vicibus lapſi ſimus.

Huc accedit hominem, dum ſedulo ſuper ſeipſum excubat, & de profectu ſuo mire ſollicitus eſt, quẽdam, ſtatim ac defectum admittit, remorſum conſcientiæ ſentire, quo excitatorem & vellicatorẽ, ad eius recordationem excitantem, meliorem habere non poteſt.

Conſcientia excitator noſter.

Per documentum hoc ſimul etiã duobus hominum generibus reſpondemus. Sunt enim nonnulli, quibus etiam totus horæ quadrans nimis quam breuis videtur ad defectus, in quos lapſi ſunt, in memoriam reducẽdos. Et his iam antemodum præſcripſimus, vt primum punctum iam quaſi abſoluerint, antequam ad examen veniant, vt ſic tempus illis ſit ad duo poſte-

Examen aliis nimis breue, aliis nimis longum.

Vtrisque remedium.

posteriora exactius peragenda. Alij è cõtra sunt, quibus quadrans examinis nimis longus videtur, nec inueniunt quanam in re illo durante se occupent. His longe facilius respõdere possumus: quia iam supra diximus, tam in meridie, quam vesperi, examen generale vna cum particulari peragẽdum esse, & postea, tã illius quam huius defectibus notatis atq; examinatis, in eorum nos confusione & displicentia cõcipienda, in venia petenda, in firmo emendationis proposito faciendo, in gratia à Domino ad hoc poscẽda, serio occupari debere: quib. quo diutius inhæserimus, eo id futurum melius.

In horarum opera examinanda conscientia.

Serm. 12.

Perutile quoddam documentum huic proposito adfert S. Dorotheus, scilicet in examine non tam defectus quos admittimus, quam ipsas defectuũ radices, causas & occasiones, quæ fuere ad cadendũ incitamentum, examinandas esse, vt pręmuniti ab iis imposterũ caueamus. Verbi gratia, si, eo quod cubicula egressus sum, ideo silentium fregi, vel murmuraui; proponere debeo posthac sine necessitate eodem non egredi, itaq; me in futuram præmunire. Atque ita de aliis id genus rebus: Id enim ni fiat, accidet nobis, sicut ei qui ad lapidem pedem offendit, qui quia ad impingendi occasionem nõ aduertit, etiam cras ad eundẽ offendet: vel sicut ei, qui arbori putridæ & emortuæ mederi cupiẽs, nonnisi aliquot ex ea ramos, & fructum verminosum putridumque auelleret. Hoc ergo modo si examina peregerimus, quod eis assignatum est, tempus nobis non longum & tædiosum, sed quam breuissimum videbitur.

Non tam peccata quam eorum radices inquirenda.

Capvt XI.

Examen conscientiæ efficax esse medium ad reliqua omnia media & documenta spiritualia opere ipso exequenda; & ideo nos in spiritu minime proficere, quod non prout oportet, illud obeamus.

S. Basilius postquam varia Monachis documẽta ad in spiritu proficiendũ præscripsisset, in fine hoc velut omnium præcipuum subnectit, nimirum, vt singulis noctibus antequam cubitũ concedat, conscientiæ examen instituant: vtpote qui censeret vnũ hoc ad reliqua quæ ante iis præscripserat, obseruanda, inq; iis perseuerandũ, sufficere. Vnde & ego pręsentem tractatũ in hoc volo concludere, examen hoc omnib. etiam atq; etiam, & quam enixissime commendans: hoc vnũ namque, iuuante Dei gratia, satis erit & conferet ad reliqua spiritualia documẽta executioni mandanda, & omnibus defectibus nostris medẽdum. Si enim in oratione fias languidior, in obediendo remissior, in loquẽdo solutior, si nescio quã libertatem præter solitum tibi assumere incipias, per examen statim omnia hæc curabuntur & corrigentur.

Hom. 5. de instit. Monach.

Qui quotidie hoc examẽ prout oportet instituet, credere potest habere se quendam penes se pædagogum, aut magistrum nouitiorum, & superiorum, qui singulis diebus & horis ab eo gestorum rationẽ exposcat, faciendorũ cõmoneat, erratorum, deniq; aliqua in re coarguat.

Examen conscientiæ noster pædagogus.

Vnde bene R. D. M. Auila, Non diu, inquit defectus tui durare poterunt, si hoc in te duret examen, si quotidie, imo ad singulas horas rationem à te exposcas, teque peccantem reprehendas. Si nihilominus tui defectus durẽt, & post multos dies, & annos fortasse, passiones tuæ tam indomitæ, viuæ & contumaces sint, quã *quod media, quæ ad profectũ nostrum in spiritu instituta* erãt initio; nõ alia, mihi crede, eius rei est causa, q̃ quod media, quæ ad profectum nostrum in spiritu sunt instituta, non pro eo ac oportet, vsurpes.

In Audi filia. c62.

Nam si serio & ex animo proponeres vel defectum aliquem expugnare, vel virtutem consequi, & magna in hoc ipsum diligentia ac sollicitudine animi cõniteteris, cũ ter per diẽ ad minimum, mane videlicet, meridie ac vesperi, emendationem proponendo, tũ quotidie lapsus vespertinos cũ matutinis, & hodiernos cũ hester-

Examen serio faciendū. hesternis, & huius septimanæ cum hebdomadæ superioris conferendo, dolendo quoque & erubescendo quod toties lapsus sis, gratiam quoque emendationis à Deo & sanctis postulando, fierine posset vt post tantum contentionis tempus nihil omnino profecisses.

At si quis ex sola consuetudine, & pro forma (vt dicunt) tantum examen suum obeat, non habito inquam vero de culpis suis dolore, & nullo concepto emendationis proposito, non id examen est, sed nuda tantū cęrimonia & consuetudo. Vnde fit, vt quos quis defectus & habitus malos, & inclinationes prauas & inordinatas sæculo secum tulit, easdem etiam post annos plurimos in Religione transactos retineat: Si antea erat superbus, etiam modo sit, si impatiens & iracundus, talis etiam nunc sit; si asperius & mordacius proximum alloquebatur, nō minus iam asper sit & austerus; denique nunc tam malis sit moribus, quam erat primo Religiosi ingressus die, & tam voluntatis suæ tenax, tam variorum & illicitorum appetens, tam commoditatum suarum sectator.

Multi in religione negligentia peiores fiunt. Vtinam vero non etiam profectus & incrementi in virtutibus loco, praua in nonnullis conditio & indoles inoleuerit, & tantum quantum anni, noxia non adiuncta sit libertas, &, cum esse deberent humiliores, non iam sint arrogantiores, & præsumptiosiores, & nō in peruersionem illam incidant, de qua Bernardus: *Quodque peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt.* *Hom 4. super Missus est.* Multi enim sunt, qui cum in mundo obscuri essent & ignoti, in Religione famam & nomen captant; quibus cum in mundo vix suppeterent necessaria, suas hic quærunt delitias.

Ex iis quæ dicta sunt, etiam colligitur quam friuola & iniqua illa sit quorūdam excusatio, ideo suos se defectus emendare non posse dicentium, quod hæc sua sit natura & indoles. Imo vero maiori id dignum est reprehensione, quod, cum qui *Natura corruptiæ non cedendum sed resistendum.* se hanc vel aliam malam naturam & indolem habere norit, & toto suo conatu ac studio in parte hac debili communiēda conniti deberet, ne hac hostis in animam perrumpat, post tot tamen annos elapsos tam immortificatus, debilis & rudis sit, quam erat primo conuersionis suæ die.

Cuicunque ergo Deo serio seruire propositum est (quia omnes in genere hic alloquimur) ad seipse redeat, & de nouo quodammodo auspicetur, suum posthac examen pro eo ac debet instituere procurando, ita vt fructum quem facit, nemo non videre queat. Homines fragiles, fateor, sumus, ac varios habemus defectus, & tam diu eos habebimus, quam diu in hac vita mortali erimus; attamen tria nobis per examen proponenda sunt. *Tria in examine curanda defectus sint rariores leuiores nec iidem.* Primum, vt, si defectus hi initio erāt plures, post fiant pauciores; Secundum, vt, si erant grauiores, minuantur; Tertium, vt non semper iidem sint. Nam in vnum eundemque sæpius relabi, magnam & supinam arguit negligentiam & vecordiam.

Euagrius eo in libro, quem de Monachorum conuersatione & corporalibus exercitiis conscripsit, Monachum quendam sanctum dixisse refert, Non memini vnquam me in vnum idemq; delictum, diabolo instigante, esse lapsum. *Refertur in histor. Eccles. p.2. lib.6. c.1.* *Monachus nunquam relapsus.* Ille ergo bene & prout oportebat conscientiæ suæ examen instituebat, illum serio & ex animo commissorum pœnitebat, ille denique solida emendationis proposita concipiebat. Hoc porro nos oportet imitari. Hęc quippe fuit via qua Beatum Patrem nostrum Ignatium Deus Opt. Max conduxit, & ad tantum perfectionis culmen euexit. Rem notabilem & singularem quoad hoc in illius vita legimus, nempe, *Lib.5.c.1. Vita.* eum, cum, diem hesternum cum hodierno, & præsentem profectum cum superiore compararet, comperire solitum quotidie, semper se magis ac magis in spiritu proficere, & terræ, quam spectaret (vel, vt melius loquar, cœlo) viciniorem fieri: ita quidem, vt iam senex diceret, *B. Ignatius quotidie proficiebat examine.*

statum

statum illum & vitæ genus quod Manresæ coluit (quod ipse postea litteris operam dans, primitiūam suam Ecclesiam vocitare solebat) suum quodammodo nouitiatum fuisse: vnde etiam Deus illam perfectionis imaginem, cuius Manresæ nonnisi prima lineamenta vmbrasque duxerat quotidie in anima illius natiuis coloribus condecorabat & perficiebat.

Hoc itaque medium, quod Dominus tam singillatim nobis dedit, prout oportet omnes vsurpemus, & speremus firmiter eius nos adminiculo ad perfectionem, ad quam aspiramus, conducendos. *Examen sere nobis commēdatur.*

TRACTATVS OCTAVVS.

DE CONFORMITATE VOLVNTATIS nostræ cum diuina.

CAPVT PRIMVM.

Duo primaria ad hoc fundamenta præponuntur.

Matt. 26.39. NON *sicut ego volo*, Domine, *sed sicut tu*. Duas ob causas, tradūt sancti, vnigenitum Dei filium de cœlo descendisse, nostraque se carne, humanam naturam vere assumendo, vestiisse. Primo, vt nos pretioso sanguine suo redimeret; deinde, vt sua nos doctrina iter cæleste edoceret, suoq; exemplo instrueret. Quia, sicuti parum nobis prodesset viam nosse, si in carcere vincti detineremur; ita vice versa inquit Bernardus, è carcere eripi nihil nobis prodesset, si viam ignoraremus. Quoniā vero Deus inuisibilis erat, hinc, quo ipsum videremus, & sequi possemus atque imitari, necesse erat vt ipse se visibilem faceret, nostramque sibi humanitatem circumdaret, perinde ac pastor ideo ouinas exuuias, quæ ouium est vestis, assumit, vt oues ipsum, suam in eo notantes similitudinem, sequantur. Vnde S. Leo Pontifex hac de re sic ait, *Nisi enim esset homo verus non præberet exemplum*. Vtrunque porro, tam hoc scilicet quam illud, ipse quam perfectissime fecit, idque ex nimio & excessiuo suo erga homines amore. Sicut enim redemptio copiosa admodum fuit (& *copiosa apud eum redemptio*) ita & copiosa eius fuit instructio: quia non verbis modo, sed multo copiosius ipso operum exemplo homines docuit. Dicit quippe Euangelista Lucas, *Cæpit Iesus facere & docere*. Primo cœpit operari, idque toto vitæ suæ tempore; & postea prædicare & docere, sed nonnisi tribus vltimis vitæ annis, aut nonnisi duobus & medio.

Christus incarnatus vt nos redimeret & doceret.

Serm. 2 de circumcis. Dom.

Lib. 5. c. 1. Vita.

Serm. 1. de natiu. Dom. Deus remedium homo attulit exemplum.

Psal. 129.7.

Christus plus fecit quam docuit.

Act. 1.

Porro inter alia, quæ nos Redemptor Iesus docuit, facile primum & præcipuū fuit, vt plenam, totalem & perfectam omnibus in rebus cum diuina voluntate conformitatem haberemus. Id autem nō verbis tantum (quando nimirum nos orare docens, dixit, Inter alia hoc à Patre vestro cœlesti petetis, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*; nos docuit; sed hāc ipsam doctrinam suo etiam exemplo mirifice confirmauit. Hanc etenim ob causam potissimum se de cœlo ait in terram descendisse: *Descendi de cœlo, non vt faciā volun-* *Ioan. 6.38.*

Chriſtus reſignationem plenam plus Exemplo quã verbo docuit.

voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me Patris. Quin feria illa ſexta quod cœnam vltimam comedit, eo videlicet tempore, quo redemptionis noſtrę negotium iamiam conſummaturus erat, in oratione illa quam in horto Gethſemani fudit, etſi corpus & appetitus ſenſitiuus naturaliter mortem exhorreret (vnde etiam, vt ſe verum eſſe hominem oſtenderet, dixit, *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte;*) voluntas tamen eius ſemper fuit promptiſſima, & calicem ſibi à Patre ad menſum & propinatum bibendi cupidiſſima. hinc etiam illico in eadem oratione ſubiunxit, *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.*

Mat. 26 39.

Ibid.

Vt vero rem hanc à capite arceſſamus, & in hac conformitate bene fundemur, duo nobis fundamenta præſupponenda ſunt, breuia quidẽ illa, ſed imprimis ſubſtantialia; in quibus ceu in duobus cardinibus vniuerſum hocce negotium verſabitur. Primum eſt vniuerſum noſtrum profectum & perfectionem in hac cum Dei voluntate cõcordia & conſenſu cõſiſtere; & quo hæc futura maior & perfectior, eo & illum maiorem fore. Fundamentum hoc haud difficile eſt intellectu: certum namque eſt perfectionem eſſentialiter in caritate & amore Dei conſiſtere; & eo quemque perfectionem futurũ, quo magis Deum amabit.

I. Perfectionis menſura eſt reſignatio.

Totum Euangelium, vniuerſæ S. Pauli Epiſtolæ, atq; adeo omnes libri ſanctorum hac doctrina pleni ſunt, in quibus legimus: *Hoc eſt maximum & primum mandatum: Caritas eſt vinculum perfectionis: Maior autem horum eſt caritas*: Eminẽtiſſimum & perfectiſſimum omnium eſt caritas & amor Dei.

Amor eſt eſſentialiter perfectio.

Matt. 22. 38.
Coloſſ. 3 14.
1. Cor. 13. 13.

Porro huius amoris Dei pars altiſſima, ſublimiſſima, & puriſſima, ac velut cremor eius, eſt, in omnibus ſe cum Dei voluntate conformare, & omnibus in rebus idem prorſus velle & nolle, quod diuina eius maieſtas. Nam, vt è veteri Philoſopho tradit D. Hieronymus, *Eadem velle, & eadem nolle ea demum firma amicitia eſt.* Quanto ergo quis erit cum diuina voluntate conformior & vnitior, tanto erit & melior & perfectior. Conſtat adhæc nihil eſſe Dei voluntate aut melius aut perfectius: vnde ſequitur, quo ſe homo cum Dei voluntate magis vniet & conformabit, hoc ipſum fore & meliorem & perfectiorẽ. Sic argumentabatur alius ille Philoſophus: Si Deus eſt res omnium quæ ſunt perfectiſſima; ſequitur ergo, quo quid Deo magis aſſimilabitur, eo id fore perfectius.

Eadem voluntas amicitiæ teſſera.

Epiſt. ad Demetriad. Cic. de amicitia.

Perfectiſſimus qui cum Dei voluntate coniunctiſſimus.

II. Nihil ſine Dei voluntate enuenit extra peccatum.

Secundum fundamentum eſt, nihil omnino in mundo contingere aut euenire ſine ſpeciali Dei voluntate, nutu ac decreto poſſe, vna accepta culpa & peccato; quia eius cauſa & auctor Deus nec eſt, nec eſſe poteſt. Nam ſicut naturæ ignis repugnat, frigefacere; & aquæ, calefacere; & ſoli, inobſcurare: ita infinities magis Dei bonitati repugnat, peccatum, malum, & iniquitatem amare. Vnde ſic loquitur Propheta Abacuc, *Mundi ſunt oculi tui, Domine, nè videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Sicut vulgo, dum quem alteri exoſum & abominabilem eſſe ſignificare volumus, dicimus, Non poteſt eum videre; ſic Propheta hic, Deum iniquitatem & peccatum, ob infinitum odium & abominationem, qua ipſum proſequitur, ait videre non poſſe. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, ait Pſalmographus; & alio loco, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Quantopere autem peccatum Deus deteſtetur & exoſum habeat, Scriptura plurimis in locis paſſim oſtendit atque ideo eius cauſa & auctor eſſe nequit.

Abacuc. 2. 3.

Deus peccatum ſumme odit.

Pſal. 5. 5.

Pſal. 44. 8.

Sed excepto hoc, reliqua omnia aduerſa & mala pœnæ omnia Deo volente & permittente contingunt. Hoc item fundamentum, certiſſimum & irrefragabile eſt. Nulla in mundo, vt cæca Gentilium finxit ſuperſtitio, eſt fortuna; & ea quæ homines Fortunę vocant bona, non à Fortuna, vtpote quæ nulla eſt, ſed à ſolo Deo dantur. Docet id Spiritus ſanctus, per Sapientem dicens, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas, à Deo ſunt.*

Fortuna nulla Deus omnia donat.

Eccl. 11. 14.

Et

Causa prima regit secundas.

Et esto per alias causas secundas hæc eueniant, certum nihilominus est, nihil in magna hac mundi republica, nisi ex summi illius Imperatoris, qui ei præest, voluntate ac dispositione fieri. Respectu Dei nihil casu & fortuito fit; sed quæcunque fiunt, per manus eius decernuntur ac veniunt; quin omnia corporis tui ossa, atque adeo omnes capitis tui capillos numeratos habet vt ne vnus quidem sine eius nutu voluntateque defluere ac deperire possit. Quid de hominibus loquor? Ne auis quidem vna in laqueum & casses incidit, ait in Euangelio Redẽptor Iesus, sine peculiari dispensatione ac permissu Dei. *Nonne duo passeres*, inquit, *asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram* sine Patre vestro. Ne folium quidem ex arbore ipso inscio ac nolente defluit. Quin & de sortibus dicit Sapiens, *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*; id est, non casu aut fortuito illæ cadunt, sed per diuinam prouidentiam, ita disponentem & volentem exeunt. *Sic cecidit sors super Matthiam*, non casu aut fortuna, sed per particularem Dei nutum & prouidentiam, eum hac via in Apostolum suum eligere cupientis.

Matt. 10.29. Non sorte sed Diuina prouidentia etiam minima reguntur. Prou. 16.33.

Act. 1.26.

Veritatem hanc & optimi quiq; Philosophi, vel solo lumine naturali perspexerunt, dixeruntque, etsi respectu causarum secundarum multa fortuito eueniant, primæ tamen causæ respectu ea fortuita non esse, sed valde deliberate, ex proposito ac destinato fieri. Quod hac similitudine declarant: Pone & finge seruum negotij cuiusdam causa quopiam à domino suo mitti; mox vero alium ad alia conficienda, sed alia via, destinari, ita tamen, vt alter de alterius aduentu nihil plane norit, dominus tamen vtrumque eodem in loco cõuenire velit. Quod duo hi serui in vno eodemque loco se inuicem inueniant, illorum quidem intuitu, fortuitum est, heri tamen, qui id studio intendit, respectu fortuitum non est, sed præcogitatum & studio destinatoque factũ. Ita in hac nostra materia, esto respectu hominum quædam casu acci-dant, quod hæc ipsi nequaquam intenderint, imo ne quidem cogitarint, respectu tamen Dei nihil fortuitum hic est; sed nutu directioneque eiusdem, ob occultos & secretos fines, quos ipse solus nouit, ita decernentis, vniuersa contingunt.

Simile.

Hominibus quædam, Deo nil fortuitum.

E duobus illis fundamentis & præmissis colligenda est illa conclusio & thema illud quod ante posuimus, scilicet, cum omnia nobis euenientia, à manu Dei proficiscantur, atque adeo vniuersa nostra profectio in nostri cum diuina eius voluntate conformatione sita sit; illa omnia nobis esse velut à manu eius descẽdentia, accipienda, in que illis nos cum sanctissima ac diuina eius voluntate conformari debere. Nihil tibi est velut casu, aut humana industria solertiaq; factum, accipiendum: hoc namque mire hominem affligere & angere solet. Neque cogitandum hoc vel illud tibi accidere, propterea quod alius quis illud ita conduxit ac direxit; Et, nisi hoc vel illud in causa fuisset, aliter rem euenturam fuisse. Non est quod de hoc magnopere angaris; sed omnia tibi sunt veluti à manu Dei Opt. Max. dimanantia, accipienda, quæcunque demum via vel anfractu veniant. Ipse namq; solus ea per hæcce media immittit.

Nil ab hominibus omnia à Deo eueniunt.

Quidam de priscis illis Anachoretis dicere solebat, hominem veram in hac vita quietem gaudiumque habere non posse, nisi firmiter sibi persuaderet, præter Deũ & se vnum, nullos alios in mundo homines superesse.

Deus meus & omnia.

Tradit B. Dorotheus, veteres illos eremi Patres in id potissimum toto studio & animi conatu incubuisse, vt omnia, velut à manu Dei profecta, quantumlibet ea essent tenuia, & quomodocunque venirent, acciperent, atque hoc ipsos pacto in summa animi pace & quiete, ac vitam quandam cœlestem & angelicam in terra vixisse.

Doctri. 7.

Omnia de manu Dei amantis.

CAPVT I.

In quo secundum fundamentum amplius ac deductius declaratur.

TAM explorata, & in sacris Litteris fundata veritas est, omnia grauamina, ærumnas & mala pœnæ, à Dei manu proficisci, vt ei necesse non foret adstruendæ probandæque diutius immorari, nisi suo eam cacodæmon astu obscurare & infringere satageret. Nam ex alia illa veritate, etiam certissima, quam ante diximus (scilicet Deum peccati causam & auctorem non esse) falsam quandam mẽdacemque cõclusionem infert, nonnullis persuadens, esto mala, quæ mediantibus causis naturalibus & creaturis rationis expertibus nobis accidunt (puta infirmitas, fames, & sterilitas) à Deo proficiscantur, quia nullum in illis creaturis est peccatum, nec esse potest, (quod hæ illius non sint capaces) malum tamen, grauamen, molestiam, quæ per hominis, qui me vel læsit, vel res meas furto abstulit, vel infamiam intulit, culpã accidunt, non à Dei manu, nec eo decernente, annuente prouidenteque, sed duntaxat per malitiam & sceleratam ipsius inferentis voluntatem mihi inferri. Qui sane grauis quidam & intollerabilis est error. Vnde bene B. Dorotheus tam hunc, quam eos qui res contingentes, non velut à Dei manu prouenientes, accipiunt, coarguens, ait: *Nos vero cum verbum vllum in nos dictum audimus imitamur: hi enim si quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimisso lapidem remordent: ita nos, Deo relicto, qui nobis tribulationes huiuscemodi ad peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est ad proximum, currimus.*

Sophisma Dæmonis.

Doctrin. 7.

Simile.

Vt autem hunc errorem eliminemus, & in Catholica veritate solide fundemur, docent & notant Theologi, in peccato quolibet, quod ab homine committitur, duo concurrere solere: scilicet primo motum & actum exteriorem; deinde ipsam interiorem volũtatis inordinationem, qua se ab eo quod præcipit Deus, disiungit; exempli gratia, quempiam cum alio rixari, eumque in rixa interficere. Vt eum interficeret, opus habuit manum ensi admouere brachium eleuare ac dirigere, ictum inferre, & alios motus naturales facere; qui nude in se, ac sine vlla in ordinatione volũtatis hominis, qui eos ad alium interficiendum fecit, considerari possunt. Horum omnium motiuum pure in se consideratorum causa Deus est, & eos ipse facit non secus atque alios creaturarum irrationalium effectus facit. Nam sicut illæ sine Dei concursu nec dirigi, nec moueri, nec operari possunt, ita nec sine illo suum posset homo ille brachium flectere, nec manum gladio applicare.

In peccato duo sunt Actus & inordinatio.

Actus causa est Deus.

Adhæc, actus hi naturales ex se mali non sunt; nam si eos homo vel ad necessariam sui tutelam & defensionem, vel in bello iusto, vel in quantum minister est iustitiæ vsurparet, itaque alium interficeret, minime peccaret.

Actus ex se malus non est.

Verum culpæ, quæ est quidam voluntatis defectus & inordinatio, qua malus alteri iniuriam infert, nec non deuiationis illius & distortionis rationis, Deus nequaquam causa est, esto eam permittat; nam plane eam impedire potest, licet ob iusta iudicia sua eam minime impediat.

Culpam permittit non facit Deus.

Scita hanc rem declarant simititudine. Si quis, inquiunt, plagam in pede accepit, claudicando incedit: causa, quod pede incedat est motiua animæ virtus & vis; at claudicationis illius causa est plaga, non vero ipsa animæ virtus. Pari modo se res habet in opere, quod quis peccando facit, operis quidem causa Deus est, sed quod operando delinquat & peccet, à libero hominis arbitrio procedit.

Simile.

Adeo vt, etsi Deus non sit, nec esse queat, peccati auctor, indubitate tamen credendum sit, omnia mala pœnæ, tam mediantibus naturalibus causis, & creaturis irrationabilibus, quã creaturis rationa-

Omnia mala pœnæ à Deo nullum culpæ.

tionabilibus, & quacunque via & modo euenientia, à Dei vnius manu, omnisciaque eius dispensatione & prouidentia venire. Ipse namque manum direxit eius, qui te læsit, necnon linguam illius, qui contumeliis te onerauit. Amos Propheta ait, *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Et passim id in Scriptura inculcatur, vtpote quæ Deo malum, quod homo vnus intulit alteri, attribuit, Deumque id fecisse asserit.

Amos 3.6.

Sic libro secundo Regum, Deus punitionem illam, qua Dauid per Absalonis filij rebellionem, ob commissum adulterium & homicidium est castigatus, à sua manu proficiscendam prænuntiauit: *Ecce ego suscitabo super te malum, de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo. tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Inde etiam est, quod Reges impios, qui propria etiam superbia & crudelitate impellente, variis populum Israel flagellis, cladibus & castigationibus atterebant, Scriptura diuina iustitiæ instrumenta appellet.

2. Reg. 12. 11.

Deus punit per homines.

Mali instrumenta iustitia.

Sic legimus, *Væ Assur, virga furoris mei.* Ac de Cyro, Persarum Rege, per quem Chaldæos Dominus castigaturus erat, dicit, *Cuius apprehendi dexteram.* Vnde præclare adhoc propositum scribit Augustinus: *Impietas eorum tanquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non regnum placati: Facit hoc enim Deus, quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam iacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum; cadit inde filium suũ, ac deinde proiicit sarmentum in ignem, & filio seruat hæreditatem. Sic aliquando Deus per malos erudit bonos,* & hos per illos, velut per instrumentum ac virgam, castigare sustinet.

Isa. 10. 5.

Isa. 45. 1.

Super Psal. 73.

Mali sunt virga bonorum.

Titus Imperator Romanorum cum vrbem Ierusalem, à se obsessam, quodam tempore circumiret, & valles fossasque eiusdem caluariis cadaueribusque mortuorum, quorum fœtore ac putiscentia omnis circumquaque locus inficiebatur, oppletas conspicaretur, magna voce oculos ad cœlum sustollens, Deum cœli palam testatus est, tantæ sestragis, cladis & internecionis causam non esse.

Hist. Eccl. p. 3. lib. 3. c. 2.

Alarico Regi Gothorum Romam properanti, vt eam vastaret & euerteret, Monachus quidam venerabilis obuiam prodiit, eumque supplex rogauit, ne tot malorum, illo in excidio patrandorum, esset causa. Cui barbarus, Equidem, inquit, non mea voluntate impulsuque Romam abeo; sed alterius. quotidie namque, nescio quis, me importune impellens & diuexans, mihi identidem suggerit, Abi Romam & ciuitatem illam destrue. Adeo, vt omnia illa à manu Dei, eoq; specialiter ordinante & volente prouenìant.

2. p. lib. 9. c. 2 hist. Eccles.

Vnde etiam Regius Propheta Dauid, cum illi Semei malediceret, ac lapidibus impeteret, isthanc iniuriam ferro vindicare volentibus, ait, *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid, & quis est qui audeat dicere, Quare sic fecerit?* id est, eum Dominus vt instrumẽtum delegit, ad me affligendum & castigandum.

2. Reg. 16. 10

Neque vero mirum est, si homines iustitiæ & prouidentiæ diuinæ instrumenta sint, cum & ipsi dæmones, in sua malitia obstinati & obdurati, nostræque perditionis percupidi, talia sint. Egregie id ac præclare aduertit S. Gregorius, in illud 1. Regum scribens, *Spiritus Domini malus arripiebat Saul.* Spiritus hic vocatur tum *spiritus Domini* tum *spiritus malus*: malus quidem, quod mala eius esset intentio; Domini vero, vt pateret eum à Deo missum esse ad Saulem sic torquendum, & ad isthoc tormentum infligendum, Deum illo instrumento vti. Hoc ipsamet Scriptura eodem loco declarat, dicens: *Exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* Eandem ob causam ait idem Pontifex, dæmones, qui iustos tribulant & diuexant, in Scriptura latrones Dei appellari: latrones quidem, ob malã quam habent, nobis nocendi voluntatem, Dei vero, vt nouerimus, omnem quam habent ad nocẽdum potestatem, eos à Deo accipere.

Dæmones instrumenta iustitia.

Lib. 18. Moral. c. 3. 1. Reg. 16. 23.

Spiritus Domini quomodo malus.

1. Reg. 16. 14.

Lib. 18. Moral. c. 18. in Iob. 19. 12.

Dæmones latrones Dei.

Vnde Iob, vt bene ponderat S. Augu-

In Psal. 31. Iob. 1. 21.

stinus, non dixit, *Dominus dedit, diabolus abstulit*: sed quam primum omnia Deo accepta retulit, dicens, *Dominus* dedit, Dominus abstulit. Sciebat enim dęmonē non plus irrogare mali posse, quam illi sit à Domino permissum. Et hoc ipsum prosequens idem Augustinus, *prorsus*, ait, *ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat qui desuper habet potestatem.* Ne in Gerasenorum porcos quidem ingredi potuere dæmones, nisi potestate & licentia ingrediendi à Domino Iesu, vt Euangelista refert, ante petita: quomodo ergo te violare & tentare poterunt, si potestatem ipsis nō fecerit Deus? Qui enim porcos attingere non potuit, quomodo attinget filios?

Dæmon nil potest nisi Deo permittente.

Ibid.

Matt. 8. 31. Porcos sine venia Dæmon vexare nequit.

Capvt III.

De magnis bonis & commodis, quæ huic cum Dei voluntate conformitati includuntur.

Ipsam sanctitatis & perfectionis vitæ Christianæ summam in eo S. Basilius asserit consistere, vt omnia, tam magna quam parua, Deo attribuamus nosque in illis sanctissimæ eius voluntati conformemus. Vt vero melius rei huius perfectionem ac momentū intelligamus, itaque magis huc animemur, maiorique in eam studio & conatu incumbamus, eximia illa bona & fructus, quos hæc cum diuina voluntate conformitas comprehendit, singillatim prosequemur.

I. Primo, est hæc vera & perfecta illa resignatio, quam sancti omnes, atque adeo vniuersi vitæ spiritualis magistri tantopere vbique celebrant, & quam velut radicem & principium omnis pacis ac quietis nostræ spiritualis esse asserunt. Hominem hęc namq; non aliter in Dei manus consignat ac tradit, quam pauxillum luti est in manu figuli, vt is de illo faciat ac statuat quodcunque voluerit, ita vt ipse non iam suus esse, non sibi viuere, non sibi comedere, non sibi dormire, non denique sibi laborare velit, sed nonnisi in Deo & propter Deum.

Resignationis præstantia.

Hoc porro facit hæc nostra conformitas: per illam quippe homo se totum voluntati diuinæ resignat; ita quidem, vt aliud non desideret, aliudue procuret, quam vt diuina voluntas in se quam perfectissime adimpleatur, tam in eo quod ipsemet homo facere tenetur, quam in quacunque re quæ ipsi potest contingere, neue minus in prosperis & consolatoriis, quam in aduersis & laboriosis. Quod Deo quidem tantopere placet, vt propterea David Rex, vir dictus sit secundum cor Dei: *Inueni*, inquit Deus, *virum secundum cor meum qui faciet omnes voluntates meas.* Quod videlicet cor illius secundum cor Domini ita moueretur ac flecteretur, & tam id esset ad quodlibet quod in illo Dominus imprimere vellet, tam laboriosum ac molestum, quam consolatorium & suaue, accipiendum promptum ac dispositum, quā cera mollis est & ductilis ad quamcunque formam figuramue ab artifice impressam accipiendam. Atque ideo etiam duobus in locis palam de se confitetur, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

Resignatio coniungit hominem cum Deo.

1. Reg. 13. 14. Act. 13. 22.

David vir secundum cor Dei.

Psal. 58. 8. Psal. 107. 1.

II. Secundo, qui veram hanc perfectamque cum Dei voluntate concordiam & confirmitatem habet, veram is, integrā, perfectamque omnium passionum, & prauarum inclinationum mortificationem etiam adeptus erit. Nemo porro ignorat, quam hęc sit mortificatio necessaria, quantopere à sanctis viris & sacra Scriptura laudata & commendata. Hæc autem mortificatio medium quoddam est, necessario præsupponendum, vt quis hanc cum voluntate Dei conformitatem consequatur. Adeo, vt hæc finis sit, mortificatio vero eius obtinēdæ mediū: finis porro principalis semper esse solet sublimior & perfectior ipso medio.

Mortificationis necessitas & excellentia.

Conformitas cum voluntate Dei supponit mortificationem.

Iam mortificationem necessarium esse

medium

medium ad vnionem hanc & veram ac perfectam cum diuina voluntate cõformitatem acquirendam, sole meridiano clarius est. Siquidem nihil hanc vnionẽ & conformitatem impedit, quam voluntas propria & inordinatus appetitus: hinc, quo suam quis amplius voluntatẽ & appetitum negabit vel mortificabit, eo arctius & magis secum voluntate diuina vniet & conformabit. *Simile.* Vt rude impolitũque lignum cum alio dolato leuigatoq; coaptetur aut cõponatur illud ante dolari poliriq; necesse est; aliter enim cum alio vniri ac coniungi non poterit. *Voluntas propria mortificatione tollitur vt diuinā sequatur.* Idem prorsus facit mortificatio; ipsa quippe nos dolat, expolit & leuigat, vt hac ratione Deo vniamur & adaptemur, in omni re diuinę eius voluntati nos conformando. proinde quo se quis magis mortificarit, eo amplius secum diuina voluntate vniet & adaptabit: & quando iam perfecte & plene mortificatus erit, ad perfectã hanc vnionem & conformitatem perueniet.

III. Hinc consequitur & aliud, quod esse potest tertium; nimirum hac resignatione & totali cum diuino beneplacito ac voluntate cõsensu, nullum sui ab homine offerri Deo posse sacrificium maius, acceptius, vel gratius. In aliis quippe sacrificiis offert quæ sua sunt, at in hoc seipsum. *Conformitas cum voluntate Dei offert hominem totum Deo.* In aliis quoque sacrificiis & mortificationibus se nonnisi ex parte mortificat; Verbi gratia in temperantia, in modestia, in silentio, in patientia aliquam Deo partem offert: hoc vero quoddam est holocaustum, in quo se totaliter & totum Deo immolat, vt de toto se quodcunque, quomodocunque, & quãdocunq; voluerit, statuat, ita vt nihil excipiat, eximat, vel reseruet sibi. Proinde, quantum interest inter hominem ipsum, & ea quæ sunt hominis, quantum inter totum & partem, tantum inter hoc sacrificium & reliqua sacrificia & mortificationes discrimen est.

Prou.23.26. Tanti vero Deus isthoc facit, vt hoc vnum à nobis exigat. *Fili mi, inquit, præbe mihi cor tuum.* *Simile.* Quemadmodum Accipiter regius nonnisi cordibus pascitur: ita Deo nihil corde gratius ac sapidius: & nisi hoc illi dederis, nulla ei re satisfacies. Hoc vero à nobis dum petit, parum petit. Si enim nos, qui nonnisi pauxillum pulueris & cineris sumus, nulla rerum à Deo creatarum satiari nec contentari possumus, *Cordi tuo nil creatum sufficit & Deo nequidem totum cor dabis.* & exiguum hoc corculum nostrum nulla prorsus re, quæ Deo minor sit, saturari, quomodo Deo te satis putas facturum, si illi non totum cor, sed nonnisi partem illius tribuas, aliam vero tibi reserues? Falleris: *Cor diuidi nequit.* neque enim ea cordis nostri natura est, vt hoc modo diuidi dissecarique in partes queat. *Coangustatum est enim*, inquit Isaias, *stratum ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest.* *Isa.28:20.* Pari modo cor nostrum angustum quoddã est stratum; hinc neminem alium capit, quam solum Deum. hac de causa etiam sponsa id nomine lectuli vocauit: *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* *Gilber. Abb. serm. 2. in Cant. apud S. Bernard. Cant.3.1.* Ita namque suum illa cor coangustarat, vt alium id amatorem nõ caperet, quam vnicum sponsum suum. *Cor lectulus duos non capiens.* Qui ergo cor suũ extendere & dilatare cupiet, quo aliquem rei extraneæ in eo locum assignet, Deum inde expellet. Atque hoc apud Prophetam suum conqueritur Deus, dicens, *Quia iuxta me discooperuisti & suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus.* *Isa.57.8.* Dum alium quempiam in cubile cordis tui admisisti quam sponsum, adulterata es; vtque adulterum tegeres & cooperires, Deum discooperuisti, & iecisti. *Deo mille corda debes & vnicum quod habes dabis Dæmoni.* Si vel mille corda haberemus, soli Deo illa offerenda essent; quin & omnia nobis videri deberent perexigua, respectu eius quod Deo debetur.

IV. *Cap.1.* Quarto, vti initio dicebamus, qui hanc voluntatis conformitatem habebit, perfectam quoque charitatem & amorem Dei habebit, &, quo in illa magis proficiet, eo magis & in amore Dei crescet, ac cõsequẽter in perfectione, quæ in illa caritate & amore cõsistit. *Amor voluntates iungit.* Quod, præter ea quę diximus, satis quoq; colligitur

ex eo, quod iam iam dicebamus. Amor siquidem Dei, non in verbis, sed in operibus consistit. Nam, teste S. Gregorio, *probatio veræ dilectionis exhibitio est operis.* Et quo opera sunt difficiliora, & pluris constant, eo magis illa amorem Dei produnt. Hinc S. Ioannes Apostolus declarare volens ingentem amorem, tam eum, quo mundum hunc Deus dilexit, quam eum quo Christus Iesus Patrem suum prosequebatur, de primo quidem ait, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, qui pro nobis pateretur, ac mortem oppeteret. de altero vero ipsemet Seruator ait, *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus hinc.* Ibat porro ad mortem in cruce oppetendam. In hoc ergo palam ostendit ac mũdo probauit, insigni erga Patrem se suũ amore ferri, quod mandatum eius adeo rigidum adimpleret. Adeo vt amor nonnisi per opera declaretur, atque eo magis, quo opera maiora sunt ac laboriosiora.

Hom. in Euang.

Amor consistit in operib.

Ioan. 3. 16.

Ioan. 14. 3.

Operibus Dei erga mundũ & Christus erga patrem amorem suum probarunt.

Hæc vero totalis cum voluntate Dei conformitas, vti dictum est, maximum est sacrificium, quod nostri Deo offerre possumus, propterea quod perfectissimã quandam mortificationem & resignationem, qua quis totum Deo se offert, atque in eius manus se tradit, vti de se statuat quodcunque voluerit, præsupponit. Quamobrem nihil est, in quo magis quis suum erga Deum amorem patefaciat, quam in hoc, cum, quidquid habet, & quidquid habere etiam aut desiderare potest, illi det & offerat; ac, plura si haberet & posset, etiam hæc illi totaliter daret.

Conformitas voluntatis diuinæ est summum sacrificium.

Capvt IV.

Hæc perfecta cum Dei voluntate conformitas, quædam est in terris beatitudo.

Qvi ad totalem hanc cum Dei voluntate conformitatem & concordiam perueniet, omnia, quæ succedent, velut à manu eius profecta accipiendo, inque his cũ sanctissima ac diuina eius volũtate se conformando, quandã hic in terra felicitatẽ ac beatitudinẽ adeptus erit: Etenim incredibili quadam pace & tranquillitate gaudebit, ac perpetuo quodam animaillius gaudio & iucũditate perfundetur; quæ felicitas ac beatitudo est, qua magni & illustres Dei serui in hoc mundo fruuntur. Nam, vt ait Apostolus: *Non est regnum Dei ac vitæ huius beatitudo esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu sancto*: hoc scilicet est regnum cœlorum, & paradisus voluptatis, quod adhuc viuentes in terra habere possumus.

Rom. 14. 17.

Et non sine ratione vocatur id beatitudo, propterea quod nos beatis quodammodo similes constituat. Nam, sicut in cœlo nullæ sunt mutationes, nullæ vicissitudines, sed semper in vno eodemq; esse ac statu Beati manent, Deo suo fruentes: ita qui hic in mundo ad totalem & perfectam illam conformitatem peruenerunt, vt omne eorum gaudium ac velle sit beneplacitum ac voluntas diuina, fortuitis vitæ huius mutationibus, ac variis qui contingunt, fortunæ successibus neutiquam percelluntur aut turbantur; quia eorum voluntas atque animus ita diuinæ voluntati vnita & cõformia sunt, vt, cum omnia hæc ab illius manu proficisci, & illius hoc pacto voluntatem & beneplacitum adimpleri vident, labores illius in gaudium, amaritudines in iucunditatem & dulcedinem transeant. Magis quippe dilecti sui voluntatem volunt & amant quam suam.

Conformitas cum Deo reddit hominem immotum.

Vnde nihil omnino in mũdo est, quod illos queat consternare vel turbare. Si enim, quod forte illos turbare & affligere posset (puta labores, ærumnæ, aduersitates, & infamiæ) id ipsi, vt singulares quasdam delicias & consolationes accipiant, quod à manu Dei hæc emittantur, & hoc eius beneplacitum sit ac volũtas; sequi-

Iustum nil contristabit, quicquid ei acciderit.

sequitur nullam in mundo rem esse, quæ ipsos valeat inquietare, aut animæ ipsorum pacem & tranquillitatem eripere.

Hinc videlicet ortum habet perpetua illa pax & mentis iucunditas, quā priscos illos sanctos semper habuisse nouimus S. Antoniū inprimis, Dominicum Franciscum, aliosque similes. Idem quoque de B. P. N. Ignatio legimus, & in illustribus Dei seruis id vt plurimum videre est. An putamus forte sanctos illos laboribus caruisse? An non tam ipsi tentationibus & infirmitatibus pulsabantur quam nos? Variis & diuersis successibus vita illorum exposita non fuit? Fuit sane, & quidem asperioribus difficilioribusque quam nostra. Etenim illustrissimos quosque sanctos Deus ante alios id genus rebus probare & exercere consueuit. Quomodo ergo fiebat, vt semper in vno eodemque statu mens illorum ageret? Vt eundem vultus tenorem, eandem serenitatem hilaritatemque tum interiorem animi, tum exteriorem corporis præferrent, ita vt perpetuo celebrare festum viderentur.

Conformitas cū Deo perpetuam pacem parit.

Rom. 14. 17.

Conformitas cum Deo reddit hominem immotum.

Rei huius alia causa non erat, quam ea quam dicimus, quod videlicet totalem perfectamq; cum Dei voluntate conformitatem adepti essent, omneq; suum gaudium in eiusdem adimpletione constituissent: hinc etiam omnia ipsis in gaudium & lætitiam conuertebantur. Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et, *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* Labor quippe, tentatio, mortificatio, omnia denique mala, ipsi in gaudium transibant: intelligebant siquidem hanc Dei voluntatem esse, quam adimplere vnica ipsis erat voluptas ac deliciæ. Denique iam tum felicitatem & beatitudinem illam adepti erant, quæ quidem in hac vita haberi ab homine mortali potest, itaque velut in gloria quadam versabantur.

Rom 8. 28.
Prouer. 12 21.

Iustum nil contristabit, quicquid ei acciderit.

Vnde egregie & apte huic proposito S. Catharina Senensis scribit, iustos Christo Redemptori quodammodo similes esse: nam vt illæ animę beatitūdine nunquam quoad vixit caruit, etsi alioquin doloribus & afflictionibus variis exagitaretur: ita nec iusti vnquam beatitudinem illam, quæ in hac cum Dei voluntate conformatione consistit, quantumlibet multis aduersitatibus premantur, amittunt. Semper quippe illud gaudium ac voluptas in ipsis habitat ac perseuerat, quod è voluntatis ac beneplaciti diuini in hoc adimpletione resultat.

In Dialog.

Iusti Christo similes.

Beati in aduersitatibus.

Est hæc tam sublimis & eminens perfectio, vt omnem eam sensum transcēdere asserat Apostolus: *Pax Dei* inquit, *quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Omni sensui pacem hanc supereminere ait: Est enim illa tam sublime & supernaturale Dei donum, vt se solo intellectus humanus nequeat percipere, qui fieri queat, vt cor carneum mediam inter tētationum ac laborum vitæ huius mortalis turbines ac tempestates, quietum ac pacificum esse, & consolatione perfundi possit. Vnde id non absimile miraculum videtur illi, quo rubum Moses vidit ardentem, & tamen incombustum: necnon miraculo trium illorum puerorum, qui in fornacem Babyloniam coniecti, medias inter flammas sani & sospites permansere, Deum collaudantes. Hoc est quod S. Iob cum Deo loquens aiebat, *Mirabiliter me crucias* Domine: hinc quidem ingentem innuens laborem, ærumnas, & dolores, quos patiebatur; illinc vero magnam lætitiam & voluptatem, quā in illis æquanimiter ferendis propterea, quod id Dei esset voluntas ac beneplacitum, persentiebat.

Psalm. 4. 7.

Pax superans omnē sensum.

Exod. 3. 2.

Dan. 3.

Iob. 10. 16.

Miraculum magnū gaudium in ærumnis.

Senex quidam, sanctitate eximius, referente Cassiano, à multis infidelibus Alexandriæ variis conuitiis impetebatur; sed ille è contra agninam quandam mansuetudinem & patientiam præferebat, omnes has iniurias æquanimiter ferendo, mira cordis quiete tacendo. Illudebant illi quidem, pugnis eum cædebant, quin etiam violenter hinc inde raptabant, aliisque id genus iniuriis afficiebant: inter alia autem cum exhilaratione & impro-

Cassia. collat. 12. c. 13.

perio illi identidem oggerebant, Ecquænam tandem miracula Iesus Christus patrauit? Quibus ille Miracula, inquit, quæ fecit, sunt hæc, quod ego has quas mihi irrogatis iniurias ferens, quin & alias maiores ferre paratus, neutiquam vobis indigner, vel irascar, neue passione aliqua inordinata commouear. Hoc sane notabile miraculum est, & summa quædam & eminentissima perfectio.

Miraculum magnum mãsuetudo in aduersis.

Olympus Macedoniæ mons, vt veteres produnt chorographi, necnon multis in locis S. Augustinus, tantæ est altitudinis, vt in eius verticē nulli venti, imbres, nubes, aliæq; cælestes impressiones nullę sentiantur: de quo ait Poeta, *Nubes excedit olympus.* imo ne aues quidem ad summum culmen eius volatu queunt attingere, vtpote tam excelsum & euectum, vt primam hanc aeris regionem longe transcēdat, & ad secundum vsque pertingat: in qua tā defęcatus, purus ac subtilis est aer, vt nullæ in ea nubes vel creari, vel permanere queant, vtpote quę aerem spissiorem requirunt: eandem ob causam nec aues ibidem subsistere, nec homines valent viuere. Nam quod aer ibi tam subtilis sit ac delicatus, ad respirationem nō potest sufficere. Vera hæc esse & comperta declararunt illi, qui montis eius fastigium quotannis stata quædam sacrificia in eo oblaturi diis, cōscendebant; qui propterea humectatas quosdā spongias secū capiebāt, vt iis ibi ad nares applicitis, aerem constipare, & sic respirare possent. Hi quoq; cum isthic litteras quasdam pulueri sparso inscriberent, anno sequēti tali forma situq; eas reperiebant, quali erāt dum inde descenderent quod sane minime fieri potuisset, si venti & pluuiæ eo penetrassent.

Lib. de genes. ad liter. oper. imperf. c. 13. & lib. 3. c. 2. & li. 1. de gen. contra Man. c. 15.
Lucan. lib. 2.
Olympi mira altitudo & trãquillitas.

Talis porro est status perfectionis, ad quem iam peruenerunt & ascenderunt illi, qui totalem hanc cum Dei voluntate conformitatem habent. *Nubes excedit olympus, & pacem summa tenent.* Tam alte enim hi ascenderunt & euecti sunt, tamq; eximiam pacem sunt consecuti, vt nullæ ad eos nubes, nullæ pluuiæ, nulli venti pertingant, nullæ etiam aues rapaces cordis illorum pacem & gaudium diripiant & deprædentur.

Olympi serenitatem conformitas cum Deo parit.

Sanctus Augustinus illa Domini verba, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur,* scribens, ideo ait à Christo pacificos beatos & Dei filios vocari, quod nihil in iis sit, quod diuinæ voluntati resistat aut aduersetur, sed illi in omnibus se cum ea conforment; perinde ac boni beneque morati filii, qui omni in re patri suo student esse similes, non aliud volentes & nolentes, quam quod pater vult aut non vult. Est hoc vnum de spiritualissimis ac primariis vitæ spiritualis punctis. Vnde qui eo peruenerit, vt omnia quæ sibi adueniunt, tam magna quam parua, vel vt à manu Dei profecta accipiat, & in illis se cum diuina eius voluntate conformet, ita vt omnis eius voluptas & gaudium sit ipsum Dei beneplacitum, & sanctissimæ voluntatis illius adimpletio, is inquam, velut quendam hic in terra paradisum inuenit, *& factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*; magnaque, vt ait Sanctus Bernhardus, cum securitate & fiducia cantare poterit illud Sapientis Canticum, *In his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor*; quia veram requiem & plenum consummatumque gaudium quod nemo illi poterit adimere, inuenit. *Vt gaudium vestrum sit plenum*; & gaudium vestrum *nemo tollet à vobis.* Vtinam vero omne nostrum gaudium ac delectionem in Dei voluntatis adimpletione poneremus; vtinam voluntas nostra semper sit illius voluntas; nostrum beneplacitum illius beneplacitum; vt aliud, Domine, velle, aliud nolle non habeam, quam quod tu aut vis, aut non vis & hoc mea sit omnibus in rebus consolatio! *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Quam porro animæ meæ bonum foret hoc modo me Deo coniungi & agglutinari! Quam etiam beati essemus, si semper ita illi essemus vniti, vt in omnibus quæ facimus & patimur, ad aliud non respiceremus, quam vt voluntatem Dei adimpleremus, & hoc omne

Libr. 1. de ser. Domini in monte c. 8.
Matth. 5. 9.
Pacifici conformes voluntati diuinæ.
Conformitas cum Deo paradysus est.
Psal. 75. 3.
S. Bernard. in sentent.
Eccl. 24. 11.
Ioan. 16. 22. & 24.
Psal. 72. 28.

omne nostrum foret gaudium ac voluptas! Atque hoc est, quod ait sanctus ille vir: *Cui, inquit, omnia vnum sunt, & omnia ad vnum trahit,* & omnia in vno videt; potest stabilis corde esse, & in Deo pacificus permanere.

A Kempis li. 1. de imi. Christi c. 3.

Capvt V.

In solo Deo plenum gaudium inuenitur; proinde qui id in aliqualibet re collocat, verum habere gaudium nequit.

Qvi suum in Deo & diuina eius voluntate gaudium collocant in perpetua quadam pace & voluptate viuunt: nam quoniam immobili & solidæ illi voluntatis Dei columnæ innixi sunt, hinc de summa illa diuinæ voluntatis immutabilitate participant, atque ideo semper immobiles, firmi & in vno statu æquabiliter manent. At qui rebus mundanis adhærent, inque iis cor suum & gaudium ac desiderium collocarunt, veram ac durabilem habere pacem nequeunt: quia prout res feruntur, ita feruntur & ipsi, & toti ab illis dependent, itaque illarum mutationibus subiecti sunt.

Deus stabilis omne creatū instabile.

Egregie id declarat Sanctus Augustinus, super illa Dauidis verba, *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem,* commentās. *Non enim, ait, poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat, quod inuito non possit auferri.* Certus esto te, quam diu amorem & gaudium non ponis in eo, quod nemo tibi inuito auferre potest, semper anxie laboraturum & diuexandum.

In Psa. 7. 15.

R. P. N. Franciscus de Borgia, cum corpus imperatricis defunctæ Granatam conduceret, & plumbens sarcophagus, cui id inclusum erat, nescio quo casu aperiretur, vt vultum demortuæ adeo immutatum, deformem, & luridum vidit, vt aspicientibus omnibus horrorem iniiceret, ita subito est immutatus, vt Deo cor eius per insigne hoc mundi ludibrium illuminante, firmiter apud se sic proposuerit, Spondeo tibi, Deus meus, me posthac vlli domino non seruiturum, qui morte queat auferri. Nos vero hocce propositum concipiamus, quod inprimis bonum est: Propono, Domine, cor meum posthac nulli rei, quæ mihi per mortem eripi, quæ finem habere, quam mihi quis inuito tollere possit, affigere. aliter namque verum habere gaudium non poterimus.

Lib. 1. c. 7. vita.

Nil ama, quod inuito auferri possit.

Nam cum, inquit Augustinus, *ea diliguntur, quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est vt pro iis miserrime laboremus.* Est namq; id naturale: neq; enim sine dolore relinquitur, quod cū amore possidetur: &, quo maior ille amor futurus est, eo & maior futurus hic est dolor. Et hoc ipsum alio loco confirmans ait, *Qui vult gaudere de se, tristis erit.* Si enim gaudiū ac quietem tuam in tali vel tali officio, munere, negotio, habitatione, vel alia id genus re colloces; hoc tibi superior gaudiū facili negotio tollere potest, itaq; nunquā in gaudio nec contentus viues. Si vero in rebus tibi placentibus, & in voluntatis tuæ adimpletione gaudium tuum constituas, verum id non erit; quia illæ facile mutantur: &, esto hæ non mutarentur, tu tamen cum tempore immutaris: quod enim hodie tibi placet & arridet, cras displicet & desipit.

Tract. 24. in Ioann.

Quantum amas creata tantum dolebis.

Vel res mutātur vel tu mutaris.

Ad oculū id videre est in populo Israelitico; qui cū manna panem illum cælicū haberent, ilico super eo nauseantes alium cibum expetierunt; cumq; iam in optatā libertatem asserti essent, statim seruitutē libertati præferre, & ad Ægyptum, è qua venerāt, & ad alia & cepas, quas ibi olim comedebant, aspirare cæperūt, quin imo sæpius eodem redire desiderarunt. Nunquam ergo gaudebis, si in id genus rebus gaudium tuum colloces.

Exod. 16.

Qui autē de Deo vult gaudere, semper gaudebit, quia Deus sempiternus est. Qui inquā omne suum gaudium in Deo, inque diuinæ voluntatis eius adimpletione po-

Deus non mutatur.

nit, is in perpetuo quodam viuet gaudio; quia Deus æternus est, nunquam mutatur, at semper stabilis in vno statu permanet. *Si* ergo *vis habere gaudium sempiternum*, inquit rem cõcludens idem sanctus, & perpetuum, *adhære illi*, Deo inquam, *qui sempiternus est.*

Eccles.27.12.

Stultus vt luna iustus vt sol.

Hoc inter hominem stultum, & alium sapientem & sanctum, Spiritus sanctus discrimen statuit. *Stultus*, inquit, sicut luna, hodie crescens & corniculans, & cras descrescens *mutatur*; hodie quippe illum videbis lætum, cras tristem, modo ita dispositum & affectum, modo aliter: quia amorem & gaudium suum in mutabilibus & perituris mundi rebus constituit; hinc prout illæ, sic & ipse variat, & secundum illarum successum mutur: denique sicut mare, ita ipse ad Lunam crescit & decrescit; itaque lunaticus est: at *homo sanctus* & iustus *in sapientia manet sicut* sol, nimirum semper vnus & idem, & in vno statu, vt nullum in eo incrementum notes & decrementum. Verus Dei seruus semper hilari lætoque vultu est, quia in Deo, inque sanctissimæ voluntatis eius adimpletione gaudium suum collocauit, quod deficere nequit, & quod ab eo nemo auferre potest.

Christũ nemo tollit ab inuito.

Sanctus ille Abbas Deicola semper ridenti ore fuisse scribitur; causam risus rogatus, respondebat, *Christum à me tollere nemo potest*, veniat in me quicunque casus voluerit, & quælibet in caput meum aduersitas. Verum scilicet ille gaudium inuenerat; quia id in eo qui deficere non poterat, & quem ei nemo auferre valebat, posuerat. Hoc imitemur & nos.

S.Basil. Psal.32.1.

Lætamini in Domino.

S. Basilius in hæc Psaltis verba, *Exultate iusti in Domino*, scribens, Notandum est, inquit, Prophetam non dicere, Exultate in abundantia rerum temporalium, non quod habili sitis ingenio, insigni, scientia, aliisque naturæ dotibus instructi; non quod optima sitis corporis valetudine, non quod Herculis polleatis viribus, non quod ab hominibus magni fiatis, aut illustre apud eas nomẽ obtineatis, sed, *Exultate in Domino*, id est, omne vestrum gaudium in Deo & sanctissimæ voluntatis eius adimpletione constituite. Id enim solum satiat; reliqua omnia nec satiare, nec satisfacere valent, nec verum nobis gaudium adferre.

Matt.19.27.

Res creatæ occupant, non satiant.

S. Bernardus in homilia quadam super illa Apostoli Petri verba, *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* egregie idipsum declarat, & probat. Inter alia ait, *Anima rationalis cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest.* Nam reliqua omnia, vno Deo excepto, famem quidem hominis prouocare & excitare valent, cor tamen neutiquam satiare. Nam vti *auarus*, teste Sapiente, *non impletur pecunia*, sed quo plus auri adeptus fuerit, eo minus satiabitur; ita nec reliqua omnia quæ in mundo sunt, animam & cor nostrum valent saturare.

Eccles.5.9.

Tract. de dili. Deo c.3. in fi.

Quia non est naturalis cib. animæ.

Et rei huius rationem Bernardus dans, Nosti, inquit, cur diuitiæ & quælibet mũdi res te satiare nequeant? *Quia non sunt naturales* & proportionali *animæ cibi*: Sicut aer & ventus non sunt naturalis & proportionatus corporis nostri cibus; & rideres ac velut stolidum duceres, si quem videres, fame prope emortuum, ore patulo aerem chamaleontis instar captare, ratum hoc se pacto satiari ac pasci posse: pari modo non minor, inquit Bernhardus, stultitia est, cogitare rationem hominis animam, quæ spiritus quidam est, rebus temporalibus & sensualibus posse satiari: vtpote quæ *inflari* aere, vti stultus ille, *potest*, *satiari non potest*: neque enim ille eius est cibus. Suum cuique da cibum & alimentum proportionatum, corpori quidem corporalem, spiritui spiritualem. *Panis namque animæ*, & naturalis & proportionatus eius cibus, *iustitia est* & virtus; hinc *soli beati* futuri sunt *qui esuriunt* & sitiunt *illam*, *quoniam ipsi saturabuntur.*

Bernard. sup. illa verba, Ecce nos reliquimus omnia.

Panis animæ iustitia.

c.30. Soliloq.

Rationem hanc in Soliloquiis suis vberius declarans S. Augustinus, de anima rationali sic loquitur: *Facta est* anima rationalis *capax*, *Domine*, *maiestatis*

tuæ,

tuæ, vt à te solo, & à nullo alio possit impleri. Cum annuli concauitas & pala ad gemmæ alicuius pretiosę illi includendæ proportionem efformata est, si quam aliam rem illi inseris, nulla scite illi quadrat, nec vacuum hoc cum decore adimplet, sed tantum gemma illa, ad cuius dimensionem proportionemq; id effictum est: si vero concauum illud triangulare sit, nihil, quod rotundum est, illud replere potest. Cum porro anima nostra ad sanctissimæ Trinitatis imaginem ac similitudinem creata sit, & quoddam illa vacuum ac concauum in corde nostro habeat, quod Dei capax, & ad ipsum Deum in se includendum proportionatum sit; hinc nulla res creata vacuum hoc replere potest, sed ipse solus Deus; atque ideo totus mundus, qui circulari forma est, illud adimplere non valet. *Fecisti*, inquit, idem *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum*, & recreari ac refici nequit, *donec requiescat in te.*

Simile.

Circulus triangulum non implet, nec mundus cor.

Confess. lib. 1. c. 1.

Communis illa comparatio quæ à cuspite & acu magnetica in horologio portatili sumi solet, egregie id quod intendimus, explicat. Acus huius natura est, postquam ad magnetem afflicta est, ad Septentrionē semper vergere: hanc quippe naturalem inclinationem magneti Deus indidit. Hanc ergo acum si contempleris, videbis tam diu inquietam motitari, & itentidem verti ac conuerti: donec ad Septentrionem acies vergat: quo facto, ilico quiescere & subsistere. Sic porro & hominem Deus condidit, hac inquam naturali inclinatione illi indita, vt ad ipsum, velut ad Cynosuram & finem vltimum semper respiceret: quocirca quam diu cor nostrum in Deo non posuerimus, tam diu, instar acus nauticæ, inquieti & mobiles erimus.

Simile.

Magnes quærit cœli partem immobilem, nos Deũ.

Quamcumque mobilium cœli partium nautica acus respiciet, non quiescet; vbi vero illud cœli punctum quod minime mouetur, respectabit, fixa manet & immobilis: ita, quam diu oculos & cor in rebus huius mundi interitui & mutationi obnoxiis collocabis, tam diu quietem & gaudium nullum inuenies: at in Deo pone, & quietem nancisceris.

Hoc nobis sane ad Deum quærendum acris stimuli loco esse deberet, saltem ob propriam vtilitatem nostram & commodum: nemo quippe est, qui non in gaudio viuere & quiete velit. Vnde S. Augustinus: *Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat*, ac recreationem naturaliter quærit; & ipsam quantum potest procurat, quod sine ea viuere nequeat; *sed non omnes ibi quærunt gaudium, vbi oportet inquiri.* Auarus, carnalis, superbus, ambitiosus & gulosus, gaudium & voluptatem quidem pro se quisque desiderat; sed id vnus in multis opibus congerendis, alius in honoribus ac dignitatibus acquirendis, alius in cibo potuque, alius denique in obscænis voluptatibus suis constituit. quod quia non constituerunt in eo in quo constitui oportebat, ideo nullo modo id inuenerunt. Omnia siquidem hæc, & quidquid demum mundus habet, impar & insufficiens est ad animam exsatiandam, aut solidum gaudium illi afferendum.

Serm. 30. de sanctis.

Omnes gaudium quærunt, sed vbi non est.

Vnde idem Doctor: *Quid ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit*; Deum inquam; *desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est*; Eundem inquam Deum: nam ipse est qui desiderium cordis tui adimplere & satiare potest. *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum*: cui propterea sit benedictio, laus, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

De spirit. & anima. c. 54.

Deus omne bonum.

Psal. 102. 5.

CAPVT VI.

In quo alia quadam ratione ostenditur, ipsam cum Dei voluntate concordiam verum esse gaudii habendi medium.

GLORIOSVS Doctor Augustinus super illa Saluatoris verba, *Quodcunq; petieri-*

Tract. 75. sup. Ioan. Ioan. 14. 15.

petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; scribens ostendit hominem non tam pacem & quietem quærere debere, voluntatem suam faciendo, & ea quæ stolide appetit, obtinendo (hoc enim ei non est bonum, neque conueniens; imo vero fortasse malum futurum) quam simpliciter ei se bono vel meliori accommodando, quod illi Deus offert: atque hoc illi à Deo petendum esse. *Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona; rogare debemus potius Deum, vt delectant bona, quam vt concedantur mala.* Si enim te non delectet quod Dei voluntas fiat (quod tamen bonum est) sed velis & malis vt tua potius voluntas adimpleatur, serio Deum orare debes, tibi vt concedat non ea quæ ipse desideras, sed potius vt gaudeas ex animo, quod sanctissima voluntas eius fiat; quod & bonum est, & tibi conueniens.

Non petes, quod tu vis sed quod Deus vult.

Num. 11. 4. Huius occasione adfert in exemplum illud quod in Numeris legimus, cum Israelitæ super manna cœlesti, quod Deus ipsis pluebat, nauseantes carnes desiderarunt & petierunt. Quod ipsorum desiderium adimpleuit quidem Deus, sed insigni illorum cum dispendio. Quia
Psal. 77. 30. *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit*, plurimis eorum interfectis.

Sæpe malum nos à Deo exaudiri.

Certum est, cibum cœlestem sapidiorem longe fuisse carne, quam illi concupiscebant, & alliis ac cepa Ægypti, ad quæ auide anhelabant: vnde hæc eos à Deo petere, inquit Augustinus, non oportebat, sed tantum vt palatum ipsis sanaret, quo cœlestis hæc esca melius ipsis saperet, ex eoque cum gustu comederent; itaq; necesse non haberent aliam à
Sap. 16. 20. Deo escam postulare, eo quod in manna omnia, & quoscunque sapores inuenirent.

Non petes quod vis sed vt bona velis.

Simili modo cum à tentatione vel passione aliqua oppugnaris, & proinde gustum vitiatum habes, ita vt virtus tibi ac bonum omne desipiat, sed ægrientis instar, mala & noxia tibi appetas; tunc tuum sequi non debes appetitum, nec velle vt quod desideras, adimpleatur; quia hoc non tam gaudium tibi, quam maiorem postea animi dolorem, inquietudinem, & perturbationem adferet. Deum ergo illum roges oportet, vt palatum tuum persanet, tibique sanctissimæ voluntatis suæ adimpletionem sapere faciat: hoc quippe bonum tibi & maxime consentaneum est. Atque hac demum via veram animi pacem & verum gaudium consequeris.

S. Dorotheus alia ad hoc nos via conducit, vel, vt melius dicamus illud ipsum alio modo declarat. Ait itaque, eum qui suam in omnibus cum Dei voluntate voluntatem conformat, adeo vt aliud velle & nolle habeat, quam quod Deus vult, & non vult; hoc modo semper suam ipsius voluntatem facturum, ac magnam pacem & quietem semper habiturum. Ponamus exemplum in obedientia, atque ita probatum & declaratum manebit id quod dicere volumus, & sic vna fidelia duos dealbabimus parietes. Communiter iis qui Religionem & obedientiæ viam ingredi volunt, dicere præmonendo solemus? Noris carissime, non esse tibi hic in Religione voluntatem propriam vlla in re faciendam. S. Dorotheus è contra dicit: Imo vero bene potes propriam voluntatem implere: atque adeo quoddam tibi medium suggeram, cuius ope toto die non licite solum, sed & sancte, & magna perfectione voluntatem tuam facias. Vis scire quomodo? Religiosus *qui exacte obedit, & propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem, quia voluntatem alienam facit suam & sic nolentes propriam explere voluntatem, inuenimur illam semper expleuisse.* Da ergo tu operam, vt voluntas tua non sit alia, quam voluntas Superioris: atque ita tota die tuam ipsius voluntatem facies & quidem magna cum perfectione & merito.

Doctrin. 9.

Voluntas eius qui Deo consentit semper impletur.

Religiosus semper facit suam voluntatem.

Ita namque dormio quantum volo; quia

quia

quia diutius dormire nolo, quam est ab obedientia & statuto Superiorum iniunctum. Comedo item id quod volo, quia alia comedere nolo, quam mihi præbentur. Tantum quoque oro & lego, quantum volo, ea item negotia obeo, eas pœnitentias subeo, quas volo; quia in his omnibus aliud non cupio, quam quod Superiorem mihi præscriptum & decretum est. Atque ita de reliquis omnibus. Adeo vt bonus Religiosus, etiam suam nolens agere voluntatem, eam semper faciat. Atque hinc est quod boni Religiosi semper tam lecti sint & hilares: nam quod suam voluntatem faciant illam quæ superioris est, hoc mire ipsos recreat & lætificat.

Religiosi gaudium in voluntatis abdicatione consistit.

In hoc quoque tota Religionis facilitas vel difficultas sita est, ab hoc item omnis Religiosorum lætitia & gaudium dependet. Si enim propriam abdicare voluntatem proponas, & superioris voluntatem in tuam accipias, Religio tibi cum facillima, tum suauissima fiet, magnaque in pace & quiete viues. At, si voluntas tua à Superioris voluntate discrepet, diu in Religione non ages: nam duæ voluntates differentes in vno se inuicem non compatiuntur.

Appetitus voluntati resistens pacem tollit, quid fiet si voluntas voluntati resistat.

Imo esto nos nonnisi vnam voluntatem habeamus, quia tamen simul sensitiuum appetitum habemus, qui voluntati ac rationi repugnat, hinc nobis cum illo perpetuo certandum, etsi alioquin appetitus ille nostra voluntate inferior sit, eique subordinatus; quid erit ergo, cum duæ voluntates repugnantes, & dominatum ambæ ambientes in vno subiecto concurrant? *Nemo* quippe *potest duobus dominis seruire.* Quia Religionis difficultas non tam in rebus ac laboribus in eadem occurrentibus, quam in voluntatis repugnantia, & imaginationis nostræ apprehensione sita est: hæc quippe statuta nobis reddit grauia & difficilia.

Matt. 6. 24.

Religionem non statuta sed voluntatis repugnantia difficilem reddit.

Notandum id comprimis est, ob notabilem illam quam in nobis experimur differentiã, dum tentationes habemus, & dum iis caremus; quia, dum tentationibus vacamus, videre est quam omnia nobis facilia sint ac leuia, at, vbi tentatio adueniens tristitia nos & melancholia obruit, quam quod nobis leue & facile alias esse apparebat, fiat graue, difficile, & onerosum, vt ei ferendo non videaris, tanquam si cœlum terræ iunctum ceruicibus tuis incumberet.

Tentatio reddit graue quod erat leue

Difficultas ergo non tam est in ipsa, cum sit eadem plane quę erat ante, quam in mala tua dispositione; sicut, dum æger cibum omnem respuit, vitium non tam in cibo, qui bonus & sapidus est, & bene conditus, quam in humore vitiato ægri consistit, vtpote qui facit vt cibus omnis ei insipidus & insulsus esse videatur: pari plane modo se res habet hic.

Simile.

Difficultas non in re sed in TE.

Hæc est prærogatiua, quam Deus facit iis quos ad Religionem euocat, vt nimirum suaue & sapidum illis videatur, alienæ voluntati se subijcere. Hæc est gratia vocationis, in qua nos Dominus, præ aliis fratribus nostris, quos in mundo reliquimus, præuenit. Quis tibi hanc in voluntate propria repudianda, alienaque sequenda facilitatem dedit? Quis item cor nouum, ad ea quæ mundi sunt deserenda, & solitariæ recollectionis, orationis, mortificationisque amorem concipiendum, indidit? Neque enim id tibi agnatum est; quin imo aliter longe à natura factus es: *sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Id nonnisi gratia & donum Spiritus sancti est. Ipse siquidem ceu pia quædam mater aloe & absynthio vbera mundi huius tibi amaricauit, vt quod ante tibi dulce erat, felle amarius deinde appareret; ea vero quæ ad virtutem & Religionem spectant, melle suauissimo superilliniit, vt illa tibi sapida & dulcia fierent, quæ ante tibi amare & insipida videbantur.

Beneficium vocationis.

Gen. 8. 21.

Deus reddit dulcem obedientiam & mundum amarum.

Vnde sic olim orabat sancta illa virgo, *Domine qui me custodisti ab infantia, quia abstulisti à me amorem sæculi,* infinitas tibi gratias ago. quia parum profecto est Religiosos nos esse, sed singularis & magna nimis

Ambros. Ps. 118. octon. 4. super illud: Auerte oculos meos ne videant.

S. Agatha.

Electionis donum auget multitudo reproborum.

Doctrin. 9.

Voluntas eius qui Deo consentit semper impletur.

Religiosus semper facit suam voluntatem.

nimis illa Domini in nos est gratia, quod cæteris nonnisi allia & cepas Ægyptias comedentibus, iisque se oblectantibus, nos præ illis ad Religionem vocarit, nosque in manna cœlesti saporem inuenire faciat.

Equidem mecum nonnunquam perpendo, quomodo mundani, solo quæstu & proprio commodo illecti, suam voluntatem abdicent, & ad alienam se accommodent; idque iam inde à Magnate, qui lateri Regis adstat, vsque ad vilissimum pedissequum & mulionem. Comedunt (vt ipsimet dicunt) secundum famem alienam, dormiunt iuxta somnum alienum, quin ita ad hoc edocti & formati sunt, atque ita suam alienæ voluntati adaptarunt, vt hoc vitæ genus etiam illis arrideat, ipsumque & iucundum & suaue existiment: *& illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Mirum non est ergo, tam ordinatum vitæ genus, qualis est vita Religiosa, nobis sapere, & nos Superioris voluntatem habere ceu propriam, quæ nostra est melior. Si illi ob modicum honorem ac tenuæ aliquod compendium, voluntatem alienam ita ducant suam, vt illis etiam placeat ac sapiat, in omnibus ei exacte auscultare, & de noctibus dies, de diebus noctes facere; quid mirum id nos ex puro amore Dei, & vitæ æternæ spe facere? Voluntatem ergo Superioris vt propriam ducamus atque ita fiet, vt semper nostram facturi simus, summaque quiete, gaudio, pace in Religione perfruituri, & hoc nostrum gaudium mire facturum sit spirituale.

Mundani omnes vilem spem alienæ voluntati vel inordinatissima subijciunt.

1. Cor. 9. 25.

Mundum spes facit dulcem.

Obedientia fons gaudii.

Iam ad præstitutum nobis scopum redeamus, & proposito hæc nostro adaptemus. Faciamus inquam voluntatem nostram eam quæ Dei est, vt omnibus in rebus ei nos conformemus, & aliud velle & nolle non habeamus, quam quod Deus & vult, & non vult. Atque ita fiet, vt semper nostram simus voluntatem expleturi, & in magno gaudio & iucunditate victuri. Certum quippe est. si aliud prorsus non velis, quam quod Deus vult, voluntatem tuam impletum iri: quia sic adimplebitur diuina; atque hoc est, quod tu & cupis & desideras.

Conformis voluntati diuinæ est omnipotens.

Etiam Gentilis Seneca hoc vidit, vnde scripsit, *Præcipuum* hominis *est, posse læto animo aduersa* & grauia *tolerare; quidquid acciderit, sic ferre, quasi sibi voluerit accidere: debet enim velle, sciens omnia ex decreto Dei fieri.* Hem, quam contenti lætique viueremus, si Dei voluntatem, faceremus nostram, & aliud non vellemus, quam quod ille vult! non tantum, quia sic semper voluntas nostra complebitur; at multo magis, quia videremus hoc pacto Dei, quem tantopere amamus, voluntatem compleri & fieri. Nam etsi alioquin omnibus quæ dicta sunt, exacte vti debeamus, in hoc tamen potissimum nobis sistendum est, & omne nostrum gaudium collocandum, nimirum in Dei beneplacito, & in sanctissimæ ac diuinæ eius voluntatis adimpletione. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*, quin & faciet quæcunque volet, & facere potest, quidquid voluerit. Nam, sicut ait Sapiens, *Subest illi, cum voluerit, posse*; & nemo eum, quo minus queat, potest impedire vel resistere: *In ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati. Voluntati eius quis resistet?*

In præfat. lib. 3. nat. quæst.

Omnia excipe vt sperata.

Gaudendum in sola adimpletione voluntatis Dei.

Psal. 34. 6.

Omnia potentia Dei.

Sap. 12. 18.

Esther. 13. 9.

Rom. 9. 19.

Capvt VII.

De aliis bonis & commodis, in hac cum voluntate Dei concordia sitis.

Est & aliud non exiguum in hoc exercitio bonum & commodum, nimirum hanc consonantiam & conformitatem, ac totalem in Dei voluntatem resignationem, vnam esse de melioribus & principalioribus, quas à parte quidem nostra adferre possimus, dispositionibus, vt suas Dominus gratias nobis infundat, omnigenisque nos bonis repleat. Hinc, cum

Resignatio est optima dispositio ad gratiam obtinendam.

Hæc fuit S. Pauli dispositio. cum Paulum de persecutore prædicatorem & Apostolum suum facere voluit, per hanc potissimum dispositionẽ illum præuenit ac disposuit. Magnam namque de cœlo lucem submisit, quæ eum ex equo deiecit; & animæ ei oculos aperuit, ac dicere coegit, *Domine quid me vis facere?* quasi dicat, Ecce me, Domine, velut pauxillum luti in manib. tuis, vt de eo quod lubuerit, facias. Atque ita eum Deus fecit *vas electionis, vt portaret nomen suum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel.* *Act. 9. 15.*

Blosius c. 11. Monil. spirit. S. Virgini Gertrudi legitur dixisse aliquando Deus: Quicumque libere me apud se diuertere, & in corde suo habitationem figere vult, ita mihi propriæ voluntatis clauem tradere debet, vt eam deinde amplius à me non repetat. *Clauis voluntatis non repetenda.*

In lib. Exercitior. Idcirco hanc nobis B. P. N. resignationem & indifferentiam assignat, ceu primariam ad magnas à Deo Opt. Max. gratias recipiendas dispositionem; vnde etiam hanc ante omnia requirit in eo, qui iam spiritus exercitia obire proponit: ipsa quoque fundamentum istud est, quod in eorum initio nobis assignat; vt nimirum plane indifferentes simus, & affectum ab omnibus rebus mundi huius diuellamus, non magis erga hanc, quam erga illam affecti; sed hoc vnum desideremus, vt in omni re Dei in nobis voluntas fiat & adimpleatur. *Indifferentia necessaria ad omnia Exercitia spiritualia.*

In quinta porro regularum & annotationum, quas ad maiorem tum Exercitia præscribentis, tum obeuntis, vtilitatem præscribit, exercitia vsurpanti maxime profuturum ait, si se liberaliter, & ex toto in Dei manus resignet & offerat, vt is de se suisque rebus, pro suo beneplacito ac voluntate disponat.

Indifferentia Ratio autem, cur hæc tam magna dispositio, & efficax ad gratias à Domino recipiendas medium sit, est duplex: Primo per hanc omnia tolluntur impedimenta & obstacula, quæ hic à prauis nostris affectibus & desideriis obijci possent: deinde, quia, quo homo magis Deo nititur, totum se in eius manus resignando, & aliud non volendo, quam quod ipse vult, eo etiam magis Deum obstringit ad curam sui sumendam, & sibi de omni eo quod consentaneum est, prouidendum. *1. Impedimenta tollit.* *2. Deum obligat ad nostri curam.*

Hæc cum Dei voluntate concordia, etiam alia via efficacissimum est medium ad omnes virtutes acquirendas. Nam hæ per actuum suorum exercitium obtinentur (quippe hic naturalis est modus ad ipsos earum habitus consequendos) quin & Deus hoc modo nobis virtutem dare vult & solet: ipse enim opera gratiæ operari vult ad imitationem & similitudinem operum naturæ. In hac ergo te resignatione & cum Dei voluntate consensu identidem exercere, atque hoc pacto te pariter in omnibus virtutibus exercebis itaque earum compos fiet.

Interdum namque occurrent occasiones humilitatis, alias obedientiæ, modo paupertatis, modo patientiæ; atque ita de reliquis omnibus virtutibus. Quo autem te magis in hac resignatione & cum Dei voluntate consonantia exercebis, inque ea magis cresces ac proficies, eo etiam magis in reliquis virtutibus cresces & perfectior fies. *Indifferentia præbet occasionem omnium virtutũ.*

Dicit Sapiens, *Coniungere Deo*, vel, vt alia versio præfert, *conglutinare Deo*, id est, in omni re cum illius voluntate consenti; *& sustine, vt crescat in nouissimo vita tua.* Hanc ob rem vitæ spiritualis magistri consulunt (& sane saluberrimum id consilium est) vt in vnam virtutem principem, quæ reliquas in se includat, oculos conijciamus, & hanc potissimum in oratione præ oculis habeamus, ad hanc denique examen & omnia pietatis exercitia dirigamus. Oculis namque in rem vnam coniectis, longe erit facilius ei intendere, & illa adepta, etiam reliqua facili negotio consequemur. *Sap. 2. 8.* *Tract. 5. c. 14. & 15.* *Vni virtuti insistendum.*

Vna porro de præcipuis rebus, in quas ad hunc effectum oculos defigere possumus, est hæc nostri resignatio & totalis cum Dei voluntate conformitas. Quamobrem non male huic & orationem, & examen singillatim dedicabis, etsi alioquin multi anni, quin & vita ipsa tota in illam *Resignationi vtiliter tempus impenditur.*

illam vnam esset insumenda: hanc namque si consequamur, omnes virtutes eadem opera consequemur.

Act. 9. 5. Serm. 1. de conuers. S. Pauli.

S. Bernardus in illa Apostoli verba, *Domine quid me vis facere?* scribens, exclamat, *O verbum breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Domine quid me vis facere?* Si ergo breue & compendiosum ad perfectionem assequendam documentum cupis, semper cum Apostolo dicito, *Domine quid me vis facere?* Et cum Propheta, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratus inquam sum & dispositus ad omnia quæ de me disponere volueris. Hoc semper in ore & corde habe, & quantum in eo cresces, tantum & in perfectione proficies.

Psal. 56. 8. Psal. 107. 1.

Domine quid me vis facere.

Est & alia in hoc exercitio vtilitas & commodum, scilicet optimum quoddam ex eo nos elicere posse remedium, aduersus certum quoddam tentationum genus non raro solitarum occurrere. Diabolus namque nos interdum cogitationibus quibusdam conditionalibus, & interrogationibus incertis perturbare & inquietare solet; verbi gratia, Si tibi ille hoc vel illud diceret, quid responderes? Si hoc tibi contingeret, quid faceres? hoc in casu quomodo te gereres? Et, quoniam ipse subtilissimus ac vaferrimus est, hinc ita nobis rem ipsam repræsentat, vt quacumque ex parte eam intueamur; periculum appareat, & salui inde emergere non posse videamur, quod vtralibet ex parte laqueum tetenderit. Parum enim curat, an id quod decipit, sit verum, an tantum apparens, an etiam fictum: modo rem suam agat, modo inquam hominem ad aliquem consensum malum pertrahat, parum laborat an hac machina sternat an illa. Doceri vulgo solet, in id genus tentationibus hominem non teneri respondere ita, vel non; sed longe melius facturum, si prorsus taceat, & plane non respondeat: quod in scrupulosis potissimum locum habet. Si enim hi cum diabolo disceptare, & eum interrogare, ac respondere incipiant, se periculo exponunt, & illo aliud nihil spectat: illi namque non deerit, quod replicando obijciat. adeo, vt, quamuis etiam aliquo modo victores è conflictu hoc decesserint, cerebrum tamen suum læsuri sint.

Tentationis genus anceps.

Scrupulosi & tentati non respondeant dæmoni.

Cæterum vnum contra hasce tentationes respondendi modum, eumq; bonum & vtilem inuenit, & hoc modo ad eas respondere multo censeo melius, quam prorsus nihil respondere, atq; hoc est quod hic dicimus. Ad harum ergo quaslibet, oculis clausis, sic respondere quis potest: Si hoc Dei voluntas est, volo illud: Si Deus id ita velit, & ego volo: Ego in hoc vellem, quod vellet Deus: In omnibus me resigno in voluntatem Dei: In hoc facerem, quod facere tenerer: Dominus mihi gratiam daret, vt in illo eum non offenderem, sed vt facerem quod eius esset voluntas.

Imo respondeant se facturos quod volet Deus.

Est hæc generalis quædam responsio, quæ ad omnia interrogata optime quadrat, & ita in genere nullam difficultatem habet, sed magnam potius facilitatem. Si enim id Dei voluntas sit, bonum est: si Dei voluntas sit, melius est: Si Dei voluntas sit, animæ meæ conueniens est. Secure ergo & confidenter in Dei nos voluntatem resignare possumus, & omnia illa priora dicere. hoc pacto dæmon valde erit confusus & ludibrio; nos vero per obtentam de eo victoriam mire gaudebimus & animabimur.

Porro sicut in tentationibus circa fidem consulunt Scriptores, vt ad eas singillatim diabolo non respondeamus, maxime ii qui scrupulosi sunt; sed vt in genere tantum dicamus, Ego credo & profiteor quidquid credit & profitetur sancta mater Ecclesia: ita in id genus tentationibus optimum remedium est, in particulari ad eas nihil respondere, sed in voluntatem Dei, quæ summe bona & perfecta est, nos resignare.

Tentationi contra fidem in genere respondendum.

CAPVT

CAPVT VIII.

Exemplis aliquot confirmatur, quantopere Deo hoc conformitatis voluntatis nostræ cum illius voluntate exercitium placeat: & quanta in eo sita sit perfectio.

Cæsar. Lib. 10. Dial. c. 6.

QVODAM in Monasterio tantæ sanctitatis monachũ fuisse scribit Cæsarius, & cui tantam miraculorum patrandorum gratiam Dominus contulerat, vt vel solo vestium, & cinguli quo cingebatur contactu ægris sanitatẽ redderet. Quod cum Abbas attente consideraret, nihil tamẽ in eius viuẽdo modo singulare, vel quod illustris sanctitatis argumentum foret, aduerteret; eum ad se euocauit; & tantorum per eum factorum miraculorum causam rogauit. Tum ille, eam se ignorare negauit: quia, inquit, non amplius ieiuno quam reliqui, non plura subeo flagella, non grauiores austeritates vsurpo, non diutius orationi insisto, non diligentius laboro, non denique vigilo magis quam cæteri. Sed vnum hoc tantum certo asseuerare possum, me nec prosperis extolli, nec aduersis deijci; & nulla re quæcumque eueniat, turbari vel inquietari. Eandem adhæc animum meum in quolibet rerum successu, qualiscunque is demum sit, pacem & quietem præferre, siue eæ proprie ad me solum, siue etiam ad alios spectent. Petiit deinde Abbas, An non aliquomodo turbabaris aut commouebaris tum, cum nuper eques ille, noster aduersarius, ignem in horreum nostrum iniecit, qui ipsum absumpsit? Nullo modo, inquit, nullamque in anima inde turbationem sensi; quia omnia in manus Dei consignaui; hinc tam prospera quam aduersa, tam modica quam multa, velut à Dei manu venientia, æquali cum gratiarũ actione recipio. Ac tum Abbas agnouit, hanc æquabilitatẽ animi virtutis huius thaumaturgicæ vnicam causam esse.

Indifferentia miraculorum patratrix.

II. *In append. ad instit. spirit. c. 1. in fine.*

Theologus quidam cum magnæ perfectionis mendicum interrogaret, qua via ad hanc perfectionem peruenisset, hoc modo hic respondit: studui semper diuinæ inhærere voluntati, & ei meam ita conformaui, vt quod Deus vult, id velim & ego. Quando enim me fames premit aut frigus vexat, Deum laudo. Si serena sit aura, si procellosa & turbinosa, æque Deum laudo. Quidquid demum ipse mihi dat, quidquid etiam euenire permittit, tam prosperum quam aduersum, dulce æque & amarum ac triste, id magna quadam mentis alacritate à manu eius, velut rem optatissimam, recipio, humiliter me in eius manus resignando. In nulla re quietem & consolationem vllam inuenire potui, quæ non sit Deus: iam vero cum Deum meum inueni, veram quietem & pacem æternam possideo.

Sanctus mẽdicus ob resignationem semper lætus.

III. *Blosius vbi sup. & Cap. 10. Monil. spirit.*

Sancta quædam virgo interrogata, quonam modo ad tantam perfectionem venisset? sic respondisse fertur: Omnes ærumnas, aduersa, mala quæ mihi vnquam acciderunt, magna animi æquitate suscepi, velut à manu Dei mihi submissa. Quin etiam si quis aliquam mihi inferret iniuriam, aut molestia quapiam afficeret, semper hanc illi particulari quodam beneficio collato compensare procurabam. Nulli quoque mala & calamitates, quas patiebar, sum conquesta, sed ad solum Deum meum recurrebam, à quo etiam quam primum iis ferendis robur & consolationem aliquam accipiebam.

Maleficia beneficii cõpensanda.

Deo soli querere.

IV.

Aliam quandam virginem vitæ sanctitate mirabilem, rogatam quibus exercitiis tantam esset perfectionem adepta, magna humilitate sic respondisse idem author testatur: Nunquam tam graues in vita habui afflictiones aut ærumnas, quin semper maiores & grauiores ex amore Dei pati desiderarim, quod illas ceu singularia quædam dona acciperem, meque iis etiam indignam existimarem.

Semper cruces maiores petendæ.

Serm. 1, de circumcisione.

Ancillam quandam Dei, mire in eius manus resignatam multi, vt commemorat Taulerus, assidue rogabant, vt sua, dum orationi insisteret, negotia Deo commendaret. Quibus illa id se haud grauate facturam pollicebatur. Interdum tamen ex obliuione id non faciebat. Nihilominus quicquid à Domino petebat, plerumque ex voto commendantium eueniebat. Vnde cum passim illi propterea gratias agerent, quasi eius id oratione & precibus impetrassent; ipsa erubescens, monebat vt Deo datori omnium potius gratias agerent, se enim à parte sua huc nihil contulisse. Vnde cum multi eam ob causam ad ipsam confluerent, ipsa, amoroso quodam modo cum Domino expostulauit, cur nimirum quæcunque sibi commendarentur negotia, tam exacte concederet, & ad tam optatum finem conduceret, vt sibi gratiæ eo nomine agerentur, cum tamen nihil ipsa fecisset. Cui Dominus respondit, Audi filia, ex quo die tuam mihi resignasti voluntatem, ego tibi dedi meam: &, esto nihil à me in particulari petas; cum tamen intelligo id te velle, ita ipsum concedo, sicut id concedi velles.

Resignato Deus concedit quicquid sibi vellent concedi.

VI. In Vit. Patr.

Agricolæ cuiusdam agri & vineæ longe feraciores & vberiores erant quam aliorum vicinorum. Causam huius fertilitatis à vicinis rogatus, negauit mirum videri quod meliores in suis quam illorum agris fructus enascerentur, cum semper eam auiam & cœli tempestatem haberet, quam optabat. Quo audito, cum cæteri etiam magis in admirationem raperentur, percunctati sunt, quomodo hoc fieri posset? Replicat ille, Nunquam aliud tempus volo, quam quod vult Deus: & sicuti ego volo quod Deus vult, ita eos ipse mihi dat fructus quos requiro.

Indifferenti Deus dat quicquid vult.

VII.

S. Martinum Episcopum Seuerus Sulpitius, vt in vita eius refert, quam diu cum eo vixit, nunquam vidit aut iratum, aut tristiore vultu, sed mira semper animi pace & alacritate gaudentem. Rei huius, inquit, causa erat, quod quidquid illi accideret, velut à manu Dei datum submissumque accipiebat, itaque in omnibus se magna animi æquabilitate & iucunditate, cum voluntate eius conformabat.

Indifferens semper lætus.

Caput IX.

De aliquibus rebus, quæ hoc conformitatis cum Dei voluntate Exercitium facile nobis & suaue reddent.

Vt autem exercitium hoc conformationis cum voluntate Dei facile nobis ac suaue fiat, opus est primo, vt quod initio posuimus fundamentum, semper præ oculis habeamus; nimirum nullam nobis aduersitatem, vel grauamen accidere & euenire posse, quin per Dei manus transeat, & eo annuente, decernente, ac volente submittatur. Veritatem hanc ipse Redemptor Iesus, non verbo solum, sed & exemplo suo nos docuit. Cum enim in suprema passionis suæ nocte Petro Apostolo præciperet, vt gladium suum in vaginam conderet, addebat, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Non dixit, Calicem, quem mihi pararunt Iudas, Scribæ, & Pharisæi. Sciebat enim omnes illos nonnisi ministros ac velut pincernas esse, qui sibi propinatũ iam dudum à Patre calicem tantum traderent, &, quod illi è malitia & mera inuidia faciebant, hoc Patrem æternum ex infinita sua bonitate & sapientia, ad generis humani redemptionem.

Cap. 1. & 2.

Ioan. 18. 11.

Calicẽ Christo dedit Pater, Iudæi pincernæ.

Sic & postea Pilato, dicenti potestatem se habere eius aut cruci affigendi, aut liberi dimittendi, respondit, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper:* quod ita sancti interpretes exponunt, *Nisi id ex diuina dispositione & ordinatione factum esset.* Adeo vt hæc omnia nonnisi ex Dei decreto destinatoque cœlesti contigerint.

Ioan. 19. 11.

Pilato potestatem dedit Deus.

Chrysost. homil. 83. in Ioan. Cyrill. lib. 12. c. 22. in Ioan. Irenæ. lib. 4. contra hæreses. c. 34. August. tractat. 16. in Ioan.

Præ-

Præclare id Sanctus Petrus in capite quarto Actuum Apostolorum ostendit, illud Prophetæ regii oraculum declarans, *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Declarat autem sic: *Conuenerunt enim vere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuit fieri*: & executioni mandare quod in sanctissimo Trinitatis consistorio iam ante decretum & constitutum erat. Neque enim hi præter hoc destinatum quid amplius facere poterant.

Act.4.26. Psal.2.1.

Tortores Christi executores diuinæ voluntatis.

Cap.1.&2.

Sic etiam videmus Deo nolente, ei adhuc puero Herodem Regem ne cum omni quidem potestate & violentia sua, vitam eripere potuisse, & quamuis omnes territorii Bethleemitici pueros, à bimatu & infra, interfici iuberat, puerum non potuisse nancisci, quod scilicet is tunc temporis mori nollet.

Inuito Deo frustra nititur omnis homo.

Ipsi quoque Iudæi ac Pharisæi sæpius in Christum Dominum manus violentas iacere, eique necem inferre sunt conati. Modo namque eum in supercilium montis, cui ciuitas ipsorum inædificata erat, duxerunt, vt eum inde deturbarent, *ipse autem* vt ait Euangelista, *transiens* quiete *per medium illorum ibat.*

Luc.4.30.

Quod enim hoc genus mortis non elegisset, hinc illi eam inferre minime potuerunt. Alias lapides in eum mittere voluerunt, imo eo res processerat, vt iam manus sustulissent, eos iacturi, &, ecce, Dominus conuersus magna eos suauitate & mansuetudine alloqui & interrogare cœpit: *Multa*, ait, bona opera ostendi vobis ex Patre meo, *propter quod eorum opus me lapidatis?* Itaque nõ permisit id, nec potestatem iis fecit manum mouendi: *quia nondum venerat hora eius.* At, postquam illa venisset hora, in qua mortem oppetere decreuerat, tum demum illi facere & exequi potuerunt, quidquid Dominus pati constituerat: quia nimirum tunc voluit ipse, & ad hoc illis facultatem dedit. Hinc, cum ad ipsum in horto comprehendendum venirent dicebat: *Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me*, quia nondum venerat hora mea, *sed hæc est hora vestra*, & potestas tenebrarum; quocirca, ecce me coram, Ego sum.

Præcipitium & lapidationẽ quia Christus noluit non potuere Iudæi.

Ioan.10.32.

Ioan.7.30.

Christus passus est quia voluit.

Luc.22.53.

Quin olim Saul, qui fuit horum typus, non facit? Quos non conatus & ante adhibuit, vt Dauidem comprehenderet? Rex Israel hominem priuatum, &, vt ipsemet Dauid dicit, *vt quæreret pulicem vnum*? Verum tamen adeo, eum comprehendere non potuit, vt omnia molimina eius frustra fuerint. Quod Scriptura sacra etiam sedulo notat, & hanc rei huius rationem assignat, *Quod non tradidisset eum Deus in manus eius.* Atque hæc vnica rei est causa.

1.Reg.16.& 20 c.24.15. 1.Reg.25 14.

Saul inuito Deo Dauidem cõprehendere non potuit.

Vnde etiam S. Cyprianus super illa verba; *Et ne nos inducas in tentationem*, scribit, omnem nobis timorem, deuotionum omnem & attentionem, tentationum & laborum tempore in Deo esse collocãdam, quia nec cacodæmon, nec alius quislibet vllatenus nocere nobis potest, nisi illi Deus antea ad hoc facultatem concesserit.

Serm. de orat. Dominio. Matth. 6.13.

In tentatione coniunge te Deo.

Secundo, etsi veritas hæc bene intellecta cum maximi momenti, tũ non mediocris efficaciæ sit, ad nos in omnibus rebus cũ Dei voluntate conformandos; nõ tamen hic nobis sistendum est, sed vlterius ad aliud, quod inde sequitur, & quod sancti omnes aduertunt, progrediendum; sc. in animum nos nostrũ inducere debere, omnia, quæ nobis Deo permittente eueniunt, simul etiam ad bonum & vtilitatem nostram prouenire. Pœnę damnatis in inferno, Deo iubente, infliguntur quidem, non tamen in eorum bonum eæ & redemptionem cedunt, sed ad meram eorum castigationem diriguntur: at pœnas & mala, quæ hac in vita tam iustis quam sceleftis Deus immittit, credere debemus de infinita illa bonitate ac misericordia bene confidentes, semper ad maius bonum

1. Doroth. doctr. 31. Nilus c.19. de orat. idem dixit Dominus S. Gertrudi, vt refert Blos. c.11. Monil. spiritual.

Flagella damnatis pœnæ, viuentibus sunt medela.

num nostrum, & quod hoc ad salutem nostram & saluationem magis conueniat, immitti.

Sic id Bethuliensibus suis, afflictis, & ad extrema, hoste vrbem arctissima obsidione premente, redactis, persuadere conata est virago Iudith, dicens, *Ad emendationem, & non ad perditionẽ nostrã flagella hęc Domini euenisse credamus.* Certissimi nãq; & securissimi esse possumus, voluntatem tam bonam & beneficam (qualis est Dei) quæque tantũ nos amat, nonnisi id quod bonum est, quod melius est, quodq; magis nobis congruit volituram. Quod postea pluribus demonstrabitur.

Iudith. 8. 27.

Optima Dei voluntas malum nobis velle non potest.

Cap. 10. & 22.

3.

Tertio, vt in maiorem vtilitatem isthęc nobis veritas cedat, atq; medium hoc fiat ad perfectam quandam cum Dei voluntate consonantiam obtinendam efficacius: satis nobis esse nõ debet, speculatiue nosse omnia à manu Dei prouenire, atq; id in genere & velut rudi modo credere; quod nimirum fides id nobis dictet, aut quod id legerimus, vel audierimus: sed necesse insuper est, vt fidem hanc opere exequamur & animemus, dando videlicet operã vt id etiam practice intelligamus & sentiamus: ita vt quidquid nobis accidit, accipiamus id tanquam si Christum Dominum visibiliter ac sensibiliter nobis dicẽtem audiremus, Accipe fili, hoc ego tibi submitto: voluntas mea est, vt hoc modo facias vel patiaris. Hoc namque pacto perfacile & persuaue nobis fiat, omni in re nos cum Dei voluntate vnire & conformare. Nam si ipsemet Christus in persona apparens, tibi aperte diceret, Hoc est, ecce fili, quod à te requiro, hanc aduersitatem morbumque volo modo propter me patiare; hoc in officio aut ministerio volo mihi seruias. Certum est te id, quantumlibet graue & laboriosum foret, omnibus etiam vitę diebus quam libentissime toleraturum, teque vt beatissimum etiam prædicaturũ, quod tua opera Deus hac in re vti vellet, &, quod hoc ipse tibi immittat, te facile perspecturum, id & optimum, & saluti tuæ congruentissimum esse, imo neque vllo modo de eo dubitaturum, nec primum quidem tibi ad secus sentiendum motum oboriturum.

Practice sentiendum Hic & nunc, quæcumque eueniunt à Christo tui amante tibi immissis ad tuum maius bonum.

Quarto, hoc nos in exercitio tam potissimum exerceamus oportet, dum orationi insistimus, vt nimirum in opulentissima illa Dei erga nos prouidentiæ tam paternæ, & tam particularis, fodina fodiamus, & ad eius interiora penetremus: hoc modo namq; ad hunc tandem thesaurum pertingemus. Quod sequentibus capitibus vberius sumus demonstraturi.

In oratione maxime voluntas Deo conformanda.

CAPVT X.

De paterna & particulari Dei erga nos prouidentia, deque filiali fiducia, qua nos in eum confidere oportet.

INTER diuitias & thesauros, quos possidemus nos qui fidem rectam habemus, non sane postremus est prouidentia Dei erga nos, eaq; tam particularis & paterna, certi vt simus, nihil penitus accidere & euenire nobis posse, quod per manus Dei ita volentis non transierit ac descenderit. Vnde ad hoc propositum canit Psalmistes, *Domine vt scuto validissimo bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Ita quippe circumsecus & omni ex parte, bona Dei clemẽtissimi voluntate circumuallati sumus, nihil vt ad nos accedere, nisi per illam possit. Quocirca non est quod timeamus: Etenim nihil ille qua bonitate est, ad nos penetrare & deuenire sinet, nisi quod ad maius bonum & vtilitatem nostram futurum est. *Quoniam*, aiebat idem Propheta regius, *abscondit nos in tabernaculo suo, in die malorum protexit nos, in abscondito tabernaculi sui, & sub vmbra alarum suarum.* Amplius etiam dicit alibi; *Abscondes eos*, inquit, *in abscõdito faciei tuæ.* Abscõdit ergo nos Dominus in abditissima faciei & tectissima suæ parte, in oculis inquam, in quorũ pupillis nos recondit: hinc etiam alia versio illo loco præfert, *In oculis faciei tuæ.* Facit scilicet nos Deus oculorum suorum pupillas, vt verum esse ostendat id, quod alio loco dicit: *Custo-*

Psal. 5. 13.

Psal. 20. 5.

Psal. 30. 21.

Deus custodit nos vt pupillam oculi.

Psal.16.8. *Custodi me vt pupillam oculi.* Sicut enim custodiuntur oculorum pupillæ, ita nos in protectione & præsidio Dei versamur. Zach.2.8. Hinc *qui tetigerit vos*, inquit per Prophetam alium, *tangit pupillam oculi mei.* Qua re nihil dari cogitariue potest opulentius aut pretiosius, nihil æstimatione dignius, nihil denique desiderabilius.

Vtinam vero id intime prospectum haberemus, & prout oportet intelligeremus, quantam in omnibus necessitatibus & laboribus nostris opem, remedium, fiduciam ac consolationem experiremur! Si quis in mundo filius patrem opulentum, potentem, Regique carum & perfamiliarem haberet, quam securus & certus is foret sibi in omnibus negotiis occurrentibus fauorem, opem, gratiam & subsidium minime defuturum? *Simile.* Quanto autem potiori iure hæc nobis est fiducia & securitas concipienda, dum consideramus habere nos in Patrem eum, cuius est omnis cæli ac terræ potestas, ac nihil nobis posse contingere, quin per illius manus ante pertranseat? *Dei omnipotentis & optimi prouidentia quantam in nobis parere debet fiduciam.* Si talem de parte suo fiduciam filius habeat, & cum ea securus dormiat, quanto potius nos oportet ei, qui omnium patrum pater est, & cum cuius paternitate cæteri patres comparati, ne nomen quidem patrum promerentur. Neque enim vlla amoris viscera sunt, quæ cum amore quo Deus nos prosequitur, valeant conferri, vtpote qui infinito interuallo amores omnes, quos vniuersi terræ huius patres simul habere possint, transcendit. Vnde securi ac certi esse possumus, quidquid talis pater ac Dominus nobis submittet, id nonnisi in maiorem vtilitatem atque animæ nostræ bonum cessurum. *Amor Christi cogit Deum vt nobis bene faciat.* Amor quippe, quo nos in vnigenito suo filio amat, eum coget & compellet, vt nonnisi bonum & salutem quæret eius, propter quem filium suum vnigenitum acerbis crucis doloribus tradidi. Rom.8.32. Vnde ait Apostolus; *Qui etiam proprio filio non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnibus nobis donauit?* Qui enim nobis dedit quod maius est, quomodo non det quod minus est?

Iam, si omnes, etiam seculares, hanc in Deum fiduciam concipere oportet, quanto magis nos Religiosos, quos singulari quadam ratione in suos asseclas suscepit, quibusque filiorum spiritum & cor dedit, atque, vt, quibus carnalibus negatis & relictis, se in patrem assumerent, efficit? *Religiosis maior fiducia concipienda.* Ecquem affectum & amorem patris erga has Deus ostendet? Quantam eorum curam & prouidentiam geret? Psal.26. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Quam porro bonum amantemque patrem in locum assumpsisti eius quem dereliquisti! Maiori ergo tu ratione & fiducia dicere potes: Psal.22.1. *Dominus regit me*, mei curam sumpsit, *& nihil mihi deerit:* Psalm.29.18. *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei?* Quem nostrum hic affectus non consoletur? Quis in amore Dei non colliquescat? Quam vero tu, Domine mi, sollicite anxieque de me laboras! *Erga religiosos maior est Dei prouidentia.* quantum mei curam geris! tanquam si in cælo & in terra alia præter me creatura tibi non esset gubernanda. O si hunc amorem, prouidentiam hanc, & protectionem ita paternam & particularem, quam erga nos homines Deus ostendit, prout oportet comprehendere, & in eius adita penetrare possemus.

Hinc in Dei seruis familiarissima & filialissima quædam in eum fiducia nascitur. quæ sane in quibusdam tam magna & eminens est, nullus vt in mundo filius omni in re ita de patris sui protectione & ope securus ac certus sit, quam illi sint de protectione & præsidio diuino: *Sancti cofidunt in Domino.* Norunt enim illam erga ipsos viscera habere plusquam paterna & materna, quæ tamen esse solent in amore tenerrima. Testatur id ipse apud Isaiam, dicens, Isa.49.18. *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen nō obliuiscar tui.*

tui: ecce in manibus meis descripsi te muri tui coram oculis meis semper. Perinde ac si diceret: Gero te in palmis meis præsentem ac descriptum, semperque te ante oculos meos habeo, quo te protegam, tuear ac defendam. Et apud eundem Prophetam id alia comparatione non minus eleganti declarat. *Qui portamini*, inquit, *à me vtero.* Quemadmodum mulier quæ concepit, infantem suum vtero gestat, ipsaque illi ceu domus, lectus, murus, alimentum, atque omnia est; non aliter nos Deus vtero suo asseruit contineri. Hinc serui Dei tam securi & quieti sunt, & in omnibus rebus suis ita de ope & auxilio certi, vt variis ac fortuitis vitæ huius casibus haudquaquam percellantur, aut turbentur. Atque ideo, vt ait Propheta, cor iustorum *in tempore siccitatis non erit sollicitum*; id est, nulla vicissitudine rerum concutitur, nec quietem & tranquillitatem suam ob varios casus & successus deperdit: norunt enim nihil sine patris sui voluntate & eo inuito sibi posse contingere, deque vehementi eius amore & bonitate plane certi sunt ac securi, persuasum iam habentes, omnia ad maius bonum suũ futura, & quidquid ab vna parte illis auferet, id ab alia rursus ad illos reducturum, & quidem in re quæ pluris ipsorum interest.

Isa.46.3. Simile.

Gestamur ab vtero Dei.

Ierem.17.8.

Ex hac tam familiari & filiali iustorum in Deum confidentia, magna illa quam habent, pax, tranquillitas, & securitas, in animis ipsorum nascitur, iuxta illud Isaiæ, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis pacis, & tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Quo loco scite apteque pacem cum fiducia Propheta coniungit: nam vnum ex altero, ex fiducia inquam pax sequitur. Quia qui Deo fidit, non habet quod timeat, aut turbetur, cum Deum habeat adiutorem & protectorem; Vnde canebat Propheta, *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe misericordiæ tuæ constituisti me.*

Isa.32.18.

Pax filia fiduciæ.

Ad hæc, non insignem modo pacem fiducia hæc filialis generat, sed etiam incredibile gaudium & alacritatem spiritus. Vnde scribit Apostolus, *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute spiritus sancti.* Nosse porro & credere, Deum scire id quod facit, & id eum ad bonum nostrum dirigere, facit vt angores, tumultus, tempestates, & inquietudines, quas sentiunt illi, qui nonnisi carneis oculis res intuentur, minime sentiamus, sed magnum potius in omnibus casibus gaudium & alacritatem præferamus. Quo autem maior in quopiam hæc fiducia erit, eo erit etiam maius gaudium & lætitia spiritualis: quo enim magis confidit & amat, eo securior & certior est fore vt omnia sibi in bonum conuertantur. neque enim minus aliquid de infinita illa Dei bonitate & amore cum credere, tum sperare fas est.

Rom.15.13.

Fiducia mater gaudii.

Hinc fiebat, vt medias inter ærumnas, labores, & pericula sancti ita quieti & securi essent, vt nec homines, nec dæmones, nec feras, neue vllas creaturas rationis expertes timerent; norant enim sine Dei licentia ac voluntate eas sibi nequaquam posse nocere. Sic S. Antonio in diuersa forma, eaque ad timorem incutiendum composita, dæmones subinde apparuisse refert Magnus Athanasius; modo quidem in horrenda ac terribili siluestrium ferarum figura, leonum inquam, tigrium, taurorum, alias in serpentium ac scorpionum, importune eum circumstrependo, & suis vnguibus, dentibus, rugitibus ac terrificis sibilis ita ei comminando, vt iam iam illum deuoraturi viderentur. Antonius intrepide autem illis insultabat, dicens, Si quas vires haberetis, vel vnus vestrum satis esset ad hominem vnum debellandum. at, quia impotentes estis, & vestris vos viribus Deus priuauit, hinc in magna copia & frequentes venitis, vt Dei seruos saltem multitudine terreatis. Si quam vobis Deus potestatem in me dedit, ecce me, irruite in me, at si nullam à Deo ad hoc potesta-

Impauidum ferient ruinæ.

S. Antonius ridet dæmones.

tem

tem & licentiam accepistis, cur in cassum laboratis? Ex quo liquido patet quantopere Sanctus Antonius in spiritu inde corroboraretur, quod nosset nullam sibi illa monstra noxam, Deo inuito, afferre posse, & quod ipse adeo cum illius voluntate conformis esset.

Greg. lib. 3. dial. ca. 16. & simile quid refertur in vita B. P. Ignatii lib. 5. ca. 9. & lib. 2. c. 5.

B. P Ignatii constantia in aduersis.

Plurima huius rei exempla in historiis Ecclesiasticis legere est: quin & simile prorsus in vita B. P. N. Ignatii libro quinto, & rursus aliud libro secundo. Cum enim Romam B. P. nauigaret, & tam horrenda tempestas naui incumberet, vt ventorum vi malo confracto, & multis rudentibus amissis, omnes qui ea vehebātur, ad mortem, quam quasi præsentem cernebant, sese disponerent; ipse, cæteris præ metu pallescentibus, nullo prorsus mortis se dicebat timore costernari: vnum hoc dolere, quod non pro eo atque oportebat, Domino seruisset, de cætero mihi penitus se formidare; *quia venti & mare obediunt illi* (Deo) & sine eius nutu ac voluntate non extolluntur fluctus, & nullum tempestates demergere queunt.

Matth. 8. 27.

Ad hanc porro familiarem & filialem in Deum fiduciam, ad hanc interiorem animi tranquillitatem & securitatem, vt per Dei gratiam perueniamus, in hoc conformitatis cum voluntate diuina exercitio nos exerceamus oportet, in opulentissimam hanc Dei erga nos prouidentiæ, tam paternæ & particularis, fodinam & adytum per orationis & considerationis ligonem profunde penetrando. Certus enim sum aliud nihil mihi posse accidere, nullum etiam aliud mihi aut ab hominibus, aut à dæmonibus, aut ab vlla denique creatura damnum malumue inferri posse, quam quod Deus voluerit, eisq; permiserit modo autē id mihi in bonum cooperetur, equidem haud abnuo, nec aliud volo, quam ipsam Dei voluntatem adimpleri.

Blosius ca. 13. Monil. spirit.

S. Gertrudis in Deum confidentia.

Constantem securamque illam, quam in benignissimā Dei misericordiam Sancta virgo Gertrudis confidentiam habebat, neque pericula, neque tribulatio, neque rerum iactura, neque impedimenta alia, sed nec delicta ac defectus proprii, vnquam obscurare potuerunt: certissime namque ac fiducialiter cōfidebat, omnia & quælibet, tam prospera quam aduersa, à diuina prouidentia in suum bonum & profectum conuerti. Quinimo quadam vice sanctæ huic virgini Dominus dixit, *Secura illa confidentia, quam quis erga me habet, credens me reuera posse, scire, & velle sibi in omnibus fideliter adesse, transuulnerat cor meum tantamque vim facit pietati meæ, vt nullatenus possim huiusmodi homini abesse vel deesse, etsi enim viscera mea ad tempus contrahere coner, eo quod mire me delectet videre eum à me pendentem, vtque meritum illi adaugeam: non possum tamen non tandem illi opitulari, quo satisfaciam naturæ meæ, & intenso amori quo eum diligo.* Humano more loquitur, quasi qui ab amore extra se rapitur.

Ad sanctum Mechtildem dixisse fertur Dominus: *Mihi valde gratum est, vt homines in bonitate mea confidant, & de me præsumant. nam quisquis in me humiliter confisus fuerit, ac mihi bene crediderit, ego & in hac vita illi adero, & post mortem supra omne meritum ei benefaciam. Quantum quis mihi credere, & de bonitate mea pie præsumere potest, tantum, & infinitum amplius obtinebit: quia impossibile est hominem non percipere quod sancte crediderit & sperauit, ideoq; vtile homini est, vt magna sperando à me mihi bene credat.*

Blosius vbi supra.

Eidem quoque Mechtildi quærenti à Domino quidnam potissimum credere deberet de ineffabili, ipsius bonitate, respondit Dominus, *Certa fide crede, quod ego te post mortem suscipiam, sicut pater filium suum carissimum, quodque nullus vnquam pater tam fideliter cum vnico natu suo hæreditatem suam diuisit, sicut ego omnia bona mea, & me ipsum tibi communicabo. Quicunque hoc de bonitate mea firmiter & cum humili caritate crediderit, saluus erit.*

***

CAPVT XI.

Aliqua afferuntur loca & exempla è sacris litteris deprompta, quæ nobis ad familiarem & filialem hanc fiduciam in Deum obtinendam vsui esse poterunt.

QVANTVM ad primum, non abs re futurum est, ostendere quam priscis illis Patribus solemne & familiare fuerit, omnes omnino rerum successus, quacunque via vel medio acciderent, soli Deo asscribere.

Genesis capit. 42. legimus Iosephum, cum fratres eius in Ægyptum frumenti comparandi gratia venissent, procuratori domus suæ præcepisse, vt ori sacci vniuscuiusque acceptam de frumento vendito pecuniam illigaret. Hi ergo cum in itinere suis in diuersorio iumentis pabulum de frumento quod ferebant, dare vellent, primus saccum aperiens, ei crumenam vidit cum pecunia illigatam: quod cum ille aliis dixisset, suum singuli aperientes saccum, pretium frumenti quoque in eo reperiunt. Illi ergo turbati miratique dixerunt ad inuicem: *Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus?* Notandum porro, illos nõ dixisse, Ægyptii nos circumuenire ac decipere voluere: aliqua haud dubie hic subest calumnia. Non item: Procuratoris negligentia factum, vt vniuscuiusq; pecunia suo in sacco relicta sit. Non item: Forsitan nobis, vt pauperibus, eleemosynã ex ea facere voluit; sed Deo rem omnem attribuentes, dicunt, *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* Persuasum habentes, cum sine Dei nutu nullum in arbore foliũ moueatur, etiam hoc nonnisi Dei voluntate ac permissu factum esse.

Fratres Iosephi omnia Deo attribuunt. Gen. 42. 28.

Iacob cum in Ægyptum iam venisset, Ioseph vna cum filiis eum adiit: quos pius senex conspicatus, rogauit, quinam illi essent pueri? Cui Ioseph: *Filii mei sunt: quos donauit mihi Deus in hoc loco.* Similiter respondit olim idem Iacob, quando Esau frater ei obuiam factus rogauit, ecquinam illi essent pueri, quos secum duceret, *Paruuli*, inquit, *sunt quos donauit mihi Deus.* Et quædam illi munera offerens, dixit, *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.* Donum suum vocat benedictionem Dei, vtpote cuius benedicere, est benefacere.

Ioseph & Iacob. *Gen. 48. 9. Omnia dat Dominus.* *Gen. 33. 5.* *Gen. 33. 11.* *Benedictio Dei est efficax.*

Cum Dauid iratus, suas versus domum Nabal copias duceret, eã euersurus, atq; vxor eius Abigail Regẽ placatura, cũ donariis ei obuiã prodiret, ait Dauid, *Benedictus* sit *Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, ne irem ad sanguinem* domus Nabal effundendum, quasi diceret, Tuo impulsu non venisti mulier, sed Deus Israel te emisit, ne ipse cædem committerẽ: illi ergo gratias referre debeo, sit ipse propterea benedictus. Hic s. communis erat sanctorum sensus, & loquendi modus, qui etiam esse deberet noster.

1. Reg. 25. 32. *Deus misit Abigail ad placandum Dauid.*

Vt vero iam propius ad rei caput veniam dico illam Dei prouidentiam ad viuũ exprimi in gestis Patriarchę Ioseph, cuius supra mẽtionem obiter fecimus; maxime in eiusdem captiuitate, cum eum fratres inuidia acti ne Ioseph ipsis dominaretur & imperitaret, prout ipse per somniũ ænigmatice viderat, illum in seruum quibusdã mercatoribus Ægyptiis vendidissent; hoc ipsum medium, quod illi Iosepho disperdendo, atq; impediendo ne sibi dominaretur elegerant, id Deus ad prouidentiæ suæ vias & rationes ad exitũ conducẽdas, vtq; tum illis, cum vniuersæ terræ Ægypti cum potestate præesset, accepit. Atq; hoc ipsemet postea fratribus suis, cum se declararet, illiq; ad rei casum consternati & pauidi hærerent, significauit, dicens: *Nolite pauere, nec vobis durum esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum, præmisitque me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendũ habere possitis,* & semen Israel non exstinguatur.

Gen. 37. *Gen. 45. 5. Prouidentia Dei paterna circa Ioseph.*

tur. Dicit ecce, *misit me Deus*; & mox, *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*, eiusque directione. *Num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.* Quis ergo, his auditis, in Deum non confidat? Quis hominum molimina ac directiones, quis mundi insultus minasque formidet? Cum videamus ad oculum, Dei hæc esse destinata; & hæc ipsa consilia & media, quæ illi ad nos persequendos & exagitandos adinueniunt, à Deo ad bonum, incrementum ac promotionem nostram vsurpari. Per Isaiam namque dicit, *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Huc curras licet vel illuc, tandem Dei voluntas implebitur, & hunc ad scopum hæc ipsa consilia & media ipse conducet.

Gen. 50.19.

Malorum consilia Deus vertit in bonum iustorũ.

Isa. 46.10.

Aliam in hac ipsa historia particularitatem, quæ nostro proposito mirifice deseruit, ponderat Chrysostomus? quod nimirum pincerna Pharaonis, postquam suæ fuit dignitati restitutus, biennio integro Ioseph interpretis sui sit oblitus, cum tamen Ioseph in carcere tam serio illi, vt recordaretur, proque se apud Regem Pharaonem intercederet, iniunxisset. Putasne, inquit hic Doctor, obliuionem hanc casu & fortuito factam esse? Minime, sed fuit ea merum destinatum ac consilium Dei vtpote oportunum & commodum tempus exspectantis, vt maiori cum gloria & honore postea Iosephum carcere educeret. Si enim pincerna ante eius esset recordatus, sua forsitan authoritate eum statim, sine gloria ac tacite, ita vt id in populo nec audiretur, nec videretur, eduxisset. Quoniam vero eum Deus Optimus Maximus, non hoc modo, sed magno cum honore & authoritate educi volebat, permisit pincernam biennio ipso liberatoris sui Iosephi obliuisci, vt sic veniret tempus somniorum Pharaonis, ac tum Ioseph, iubente Rege quem necessitas ad hoc adigebat, cum maiestate quadam & gloria, carceribus eriperetur, vt vniuersæ terræ Ægypti dominus fieret. Nouit scilicet Deus, ait Chrysostomus, velut peritissimus aurifex, quanto tempore aurum in igne manere, & quando oportune eodem educi debeat.

Hom. 63. super Genes.
Gen. 40.23.

Obliuio pincernæ à Deo volita, quia magis exaltãdus erat Ioseph.

Tempora nouit Deus.

Libro primo Regum alia legitur historia in qua tamen Dei prouidentia, etiam paruis & particularibus in rebus mirum in modum resplendet. Dixerat Samueli Deus, se assignaturum ei virum quem Regem Israel esse vellet, quo ab ipso vngeretur ait ergo, 1. *Regum* 9. *versiculo* 16. *Hac ipsa hora quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem super populum meum Israel*: Erat hic Saul. Eius autem mittendi modus, fuit hic. Aberrarant de via asinæ patris eius Cis. hic filium Saulem mittit, vt eas sicuti posset, inuestigaret. Qui eas, assumpto secum puero, per montes & valles vicinas indefesso labore quæritat. Sed cum earum signum aut vestigium inueniret nullum Saul re infecta domum redire statuit, quod æquo longiores moras trahere videretur, ac vereretur ne ob suam forte absentiam pater angeretur. Dicit ei puer: Asinis non inuentis domum nos reuerti nefas est: hic autem in vicina vir Dei habitat (Samuelem Prophetam designat) eum adeamus, quia ille haud dubie de asinis, vbinam sint nos certiores reddet.

Itaque hac occasione ad Samuelem abeunt. His autem intrantibus, ait Samueli Deus, *Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* O arcana Dei iudicia! Emiserat illum pater ad asinas quærendas: Deus vero ad Samuelem mittit, vt ab eo in Regẽ vngeretur. Quã porro consilia & destinata hominũ, distant lõge à consiliis Dei! Quã Saul, eiusq; pater parum cogitabant, illũ vt in Regem vngeretur, abire! Quam multum sæpe tua, & patris, & superioris tui destinata & cogitata differũt ab eo quod spectat Deus! Ex eo enim quod minus cogitas, Deus elicit & prolicit id quod destinat. Non fine volun-

Pater Saulẽ post asinas, Deus eum ad regnum vocat.

voluntate Dei asinæ hæ aberrarunt, non etiam casu fortuito ad eas quærendas à patre missus est Saul, non etiam casus fuit, quod eas reperire non poterit, vti nec suggestio ac consilium pueri, suadentis vt Prophetam vicinum de illis sciscitarentur. At omnia nutu destinatoque Dei contigerunt, qui sc. hæc media eligebat, ad Saulem ad Samuelis ædes mittendum, quo ab eo, sicut ipsemet præmonuerat, in Regem vngeretur.

Parentum conatus Deus vertit in melius.

Putabat pater tuus se Hispalim aut Salamancam te ad studia mittens, vt ibi vir doctus euaderes, & ad locum aut dignitatem aliquam postea eueheris, in qua honorifice viueres: sed nihil minus spectauit Deus, vtpote qui ideo tantum te illo misit, vt in domum te suam admitteret, Religionique consecraret.

Deus S. Augustinum vocat ad locum conuersionis.

Existimabat Augustinus se Rhetorices docendæ gratia Roma Mediolanum abire; necnon Profectus vrbis Symachus, à quo eo destinabatur; sed alia longe erat profectionis huius causa in mente Dei, vtpote qui eum illuc mittebat, vt ibi à Sancto Ambrosio conuerteretur.

Admirandæ, & si in speciem pueriles multorum vocationes.

Iam diuersas illas vocationes, necnon media adeo singularia & notabilia, & ab hominum opinione tam remota, quibus hos & illos singillatim ad Religionẽ Deus euocauit, videamus: quæ profecto vere admiranda sunt. Nisi enim primo, nescio qua occasiuncula aut puerili quadam ineptia motus fuisses, nunquam ipse animũ ad Religionem applicaturus fuisse videris: hæc tamen omnia nonnisi Dei consilio & inuentione facta sunt, vt ita te ad Religionem pertraheret.

Tentatio Dæmonis contra tales vocationes.

Quod per transennam notandum est, propter nonnullos quibus, instigante dæmone, ea nonnunquam incidit tentatio, vt sibi persuadeant vocationem suam à Deo esse non potuisse, quod ab huiusmodi reculis & minutiis ea ortum habuerit. Sed hæc mera dæmonis aduersarii tui est impostura, qui quem professus es statum tibi inuidet. Huiusmodi namque media Deus solet adhibere, vt finem quem spectat, maiorem nimirum gloriam suam, & maius bonum & profectum tuum, cõsequatur. Cuius rei exempla non parua in vitis sanctorum habemus. Nõ tam asinas illas spectabat Deus. (*Nunquid de bobus cura est Deo*) quam cupit vt per hoc medium ad regnum eueharis, vti Saul: quia seruire Deo regnare est.

1. Cor. 9. 9. Deus nobis inscius parat regnum.

Pallii in speciem fortuita scissura regni indicat priuationem.

Quando postea Samuel Propheta, mittente Deo, ad hunc Saulem abiit, vt eum inobedientiæ, quod Amalecitas (sicut ei præceperat Deus) non excidisset, coargueret, & iam reprehensione peracta conuersus abire destinaret, Saul apprehensa palli eius summitate orauit, ne discederet, sed vti sibi Deum intercedendo reconciliaret. Addit autem historia Samuelici pallii partem in Saulis manibus diffractam hæsisse. Quis non putaret hanc pallii scissuram & fractionem casu fractam esse, vel quod Saul violenter attraheret, vel quod id vetus & laciniosum esset; cum tamen nonnisi singulari Dei prouidentia & dispositione contigerit. Vt videlicet nhil aliud hac scissura portendi ostenderet, quam Saulem ob peccatum suum regno priuatum, & ab eo id præcisum esse. Vnde etiam Samuel, hoc viso, Sauli dixit, *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*: atque hoc illa pallii mei scissura indicat.

1. Reg. 15. 27.

1. Reg. 23. 26.

Deus Dauidem in tempore liberat.

Dauidem & socios eius, quodam tempore Saul Rex ante *in modum coronæ* concluserat: adeo quidem, vt Dauid de euasione & effugio plane desperaret. His in angustiis dum Dauid versaretur, ecce tibi ad Saulem properans, nũtius aduolat, & dicit, *Festina & veni, quoniam infuderunt se Philistini super terram*, omniaque ferro flammaque depopulantur. Vnde obsidionem Dauidis soluere coactus est Saul, & præsentiori maiorique necessitati occurrere: itaque euasit Dauid. Non fuit autem hæc Philistæorum irruptio & expeditio casualis, sed nonnisi Deo disponente & ordinante facta, vt Dauidem suum hac ratione liberaret.

Hunc

1.Reg. 29. 6. Hunc ipsum Dauidem Satrapæ Philistæorum alias ab exercitu suo proscripserunt, tantumque moliminibus suis apud Regem Achis effecerunt, vt is Dauidem ad propria redire iusserit; etsi Rex alioquin eius consortio delectaretur, deque virtute eius magnam opinionem concepisset: satrapis tamen parum gratus erat, nec placebat. Illa quidem Satraparum molimina & consilia casualia fuisse videntur, casualia tamen non fuere, neque eum habuere finem, quem illi prætendebant, at potius particularis quædam Dei extitit prouidentia. Dauid quippe in Israel reuersus, Amalecitas comperit. Siceleg oppidum terræ Israel succendisse, & omnes mulieres & pueros à minimo vsque ad magnum, atque adeo ipsas Dauidis vxores, in captiuitatem abduxisse quos insecutus Dauid, eos cædit & profligat, vniuersamque prædam & captiuos omnes abactos recuperat, vt ne quidē vnus compertus sit defuisse. Quod profecto factum non fuisset, si eum Satrapæ è suis castris non eiecissent. Atque ad hunc successum illud Deus consilium direxit, etsi illi quid aliud in eo spectarent.

Satraparum odium ad vtilitatem Dauidis à Deo prouisum.

In historia Esther non minus clare particularis hæc Dei prouidentia elucet, & quidem in multis particularibusque circumstantiis: quam enim inaudita & peregrina Deus hic media, ad populum Iudaicum ab immani Regis Assueri sententia & decreto vindicandum vsurpauit! Quibus mediis Estherem elegit in Reginam, Vasthi degradando? quam etiam esse voluit de stirpe Iudæorum, vt postea pro iisdem ea intercederet. Casu factum videtur, quod Mardochæus nosset proditionem Eunuchorum illorum, qui in caput Assueri coniurarant, eamque Regi detegeret; casu, quod Rex illam noctem insomnem duceret, proterea quod dormire non posset; casu, quod ad tempus fallendum afferri iusserit historias, quibus regni sui gesta conscripta essent, casu denique, quod inter alia potissimum illi legenda data sit detecta illa per Mardochæum coniuratio. Nihil tamen omnium horum casu contigit, sed omnia profundo consilio & destinato Dei, ac singulari eius prouidentia, hac via & mediis populum suum liberare cupientis. Quod etiam Mardochæus Estheri, quæ ad Regem ingredi non audebat, hancque prouinciam detrectabat, propterea quod euocata ab eo non esset, dicere non dubitauit: *Quis nouit*, inquit, *vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris.* *Esther. 4. 14.*

Estherem variis modis elegit Deus ad populi liberationem.

Plena id genus exemplis est cum sacra Scriptura, tum historiæ Ecclesiasticæ, vt omnes & quoslibet rerum successus vni Deo asscribere, eosque velut à manu illius, ad maius bonum & vtilitatem nostram dimanantes, accipere discamus.

Singulare porro est id, quod quoad hoc propositum apud S. Clementem in libro Recognitionum refertur: Cum Simonem Magum Petrus Apostolus Romæ acriter exagitaret, S. Barnabas ibidem Clementem Christianæ fidei asseruerat. Qui ad S. Petrum veniens, suam ei conuersionem narrat, rogatque vt se in rebus fidei plenius instruat. Tunc Petrus, oportune, inquit, venisti, quia in crastinam diem publica quædam inter me & Simonem Magum indicta est disputatio: in illa nos videbis, & quæ scire aues, audies. Hæc dum inter se loquuntur, ecce tibi duo discipuli ingredientes, nuntiant, peti à Simone Mago, vt ob negotium, quod nec opinanti sibi inciderat, in triduum disceptatio ea prorogaretur. Annuit Petrus. His vero digressis, indoluit de datis induciis Clemens: quē subtristiorem factum videns Petrus, rogauit, quænam tristitiæ huius esset causa. Tum Clemens, Doleo non parum, Pater, quod in triduum disputationē hanc audierim differendam; quæ velim vt crastina die institueretur. Petrus in re tam parui momenti, quod mirandum neophyti sui Clementis manu apprehensa, longa oratione eum est allocutus: *Gentiles*, inquit, *fili turbantur, cum res non accidunt*

Clemens lib. Recognit.

Deus melius disponit quæ nos male petimus.

cidunt ex voto uti desiderant: at nos Christiani, qui scimus Deum gubernare & moderari res omnes, in quolibet rerum euentu in pace consistimus & consolatione. Scito si i has inducias Dei consilio dari ad tuum bonum: Si enim modo institueretur disputatio eam tam bene non caperes, postea vero eam intelliges plenius ac melius: quia interim te ad eam praeparabo & instruam, atque ita multum ex ea proficies.

Lib. 2. c. 16. vita P. Ignatii. & vita P. Xauerii.

Rem omnem domestico concludere volo exemplo, quod in vita B. P. N. Ignatii legimus, in quo hoc ipsum, de quo agimus, mirifice etiam resplendet; in profectione videlicet & abitu Patris Francisci Xauerii in Indiam Orientalem. Media enim & ad inuentiones diuinæ, quibus sanctum hunc virum in Indiam mitti voluit, imprimis notabilia sunt. Denominauerat iam ad missionem hanc Indicam B.P.Ignatius PP. Simonem Rodericium, & Nicolaum Bobadillam. Rodericus, tametsi quartana detineretur febri, nihilominus statim Lusitaniam versus nauigauit. Interim Bobadilla, litteris è Calabria Romam euocatur: sed hic, tum pauperie, tum itineris laboribus adeo fractus, & è crure, è quo laborabat, tam male affectus Romam venit, vt, cum eo tempore legatus Regius, Petrus Mascarenias, rebus omnibus ad iter comparatis iam in Lusitaniam reuersurus esset, necesse fuerit (quia exspectare non potuit, donec Bobadilla plane conualesceret, & sine alio Patre, in Indiam mittendo, abire noluit) in locum Magistri Bobadillæ, P. Franciscum Xauerium felici sane forte substitui: qui statim cum Legato in Lusitaniam soluit. Quia vero Xauerius ab Ignatio initio designatus non erat, sed P. Bobadilla, & quia discessus eius subitus & præceps fuit, videtur non-nisi casu & fortuito in huius locum surrogatus. Fortuito tamen id factum non fuit, sed profundo & arcano Dei consilio, qui illum terrarum illarum remotarum Apostolum facere constituerat. Deinde, cum iam in Lusitaniam venissent,

B. P. Xauerius à Deo, non ab hominibus in Indiam missus.

Rex viso fructu, quem duo illi Patres in Lusitania faciebant, eos ibidem detinere voluit. quocirca tandem constitutum est, vt eorum alter in Lusitania sedem figeret, alter vero in Indiam nauigaret. Ecce vt hic rursum res tota contingentiæ fortuitæ commissa sit: sed nullus est apud Deum contingentiæ & sorti locus. Tandem in Franciscum Xauerium sors cecidit, & decretum vt solus ipse in Indiam traijceret; erat siquidem illa Dei voluntas, & ita id ipse ante decreuerat, quod hoc ad animarum illarum bonum, & maiorem nominis sui gloriam ita fieri expediret. Destinent tandem & designent homines quodcunque voluerint, & ea illud via conducant qua allubuerit; hoc ipsum nihilominus Deus vt medium sumet & deliget, ad sua consilia executioni mandanda, &, quod magis tibi consentaneum, & ad gloriam suam promouendam conuenientius erit faciendum.

Homo proponit Deus disponit.

Per hæc aliaque id genus exempla, tam è sacra Scriptura, quam ex eo quod quotidie tum in aliis, tum in nobis, videmus & experimur, deprompta, hanc in corde nostro confidentiam, mediante oratione & consideratione, insculpere & stabilire debemus. Et tam diu exercitium hoc nobis erit frequentandum, donec familiarissimam quandam & filialem in Deum fiduciam in corde nostro sentiamus. Et hoc vt certissimum tibi persuade, quo maiori te in Deum tuum fiducia proieceris, eo etiam te fore securiorem: & è contra, quam diu filialem hanc fiduciam non habebis, nunquam veram te pacem & cordis quietem inuenturum: Illa enim si carueris, omnia te turbabunt & vexabunt. In Dei ergo manus totos nos proijciamus, in eoque confidamus, vti etiam consulit Apostolus Petrus dicens, *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Et Propheta regius, *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Tu, Domine, ita me dilexisti,

Confide Deo.

1. Pet. 5. 7.

Psal. 54. 23.

xisti, vt pro me te totum in immanissimorum carnificum manus tradideris, vt quidquid alluberet, id in te illi exercerent, (*Iesum vero tradidit voluntati eorum.*) Parum igitur ego præstitero, si totum me tradam in manus, non crudeles & sanguinarias, sed tam benignas ac beneficias, quales sunt tuæ, vt de me facias quodcunque placuerit: certus quippe sum, id mihi futurum cum melius, tum conuenientius.

Luc. 23. 25.

Ineamus ergo pactum hoc, quod cum S. Catharina Senensi Christus Iesus alias iniit. Inter alia enim deliciosi amoris ac beneuolentiæ intimæ signa, quibus sanctam illam præuenit, non postremum fuit illud, quo illi quodam tempore apparens dixit, *Filia cogita tu de me, & ego cogitabo continenter de te, tuique curam geram.* O quam bonum id pactum & sponsio est, quam optabilis in amore reciprocatio! Quam id animabus nostris vtile ac fructuosum foret! Porro hac cum vnoquoque nostrum conditione Dominus stipulari amat: nimirum, obliuiscere tui, & tua consilia ac destinata sequi desine: quanto vero magis tuiipsius obliuisceris, ad Dei recordandum, eique confidendum, tanto ipse magis de te erit sollicitus. Quis ergo hanc tam fauorabilem & deliciosam conditionem non admittat? vtpote quæ eadem prorsus est cum ea, quam se cum sponso suo amans illa sponsa iniisse ait, *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

Tu te Deo Deus se tibi.

Pactum cum Deo homini vtilissimum.

Cant. 7. 10.

Capvt XII.

Quantæ vtilitatis & perfectionis sit, orationem huic exercitio de conformanda voluntate nostra cum diuina applicare; & esse nobis in eo ad particularia descendendum, donec ad tertium conformitatis gradum perueniamus.

Ioannes Ruisbrochius vir tum doctissimus, tum vitæ spiritualis magister egregius, refert, sanctam quandam virginem, dum orationis suæ rationem confessario & patri spirituali, qui haud dubie magnus Dei seruus, orationique deditissimus esse debebat, redderet, & ab eo in spiritu edoceri vellet, dixisse, se in oratione tantum circa vitam & passionem Domini nostri Iesu Christi solitã versari, & ex ea se primo cognitionẽ cum sui, tum vitiorum ac passionum suarum, deinde dolorem & compassionem de doloribus ac tormentis Iesu Christi haurire consueuisse. Intulit confessarius, bonum quidem id esse; sed fieri posse vt exigua cum virtute hanc compassionem quis & teneriorem affectum è Dominica passione hauriat, sicuti etiam homo quilibet è solo amore & affectu naturali, quo amicum suum prosequitur, illius laboribus, malis & ærumnis compati potest. Petiit deinde virgo, num, quando quis quotidie peccata sua plangit, vera ea futura deuotio sit? Respondit confessarius, Bonum quidem id est, at non propterea optimum & excellentissimũ: quia quidquid malum est, naturaliter amaritudinẽ & dolorem quendam causatur. Rursus illa percunctatur, Num ea vera futura sit deuotio, si quis pœnas inferni, & beatorum gloriam assidue recogitet? Retulit, Ne id quidem eminentissimum ac perfectissimum est; quia natura ipsa per se quidquid affligit & cruciat, abhorret ac fugit; amat vero & quærit, quod eam delectat & gloriã causatur: perinde vti, dum quis ciuitatem deliciis ac voluptatibus abundantem illi depingeret, statim erga eam ipsa desiderio ferretur. His auditis cum virgo sancta contristaretur & doleret, quod nesciret quanam potissimum re se in oratione exerceret, quæ præ aliis Deo posset esse grata; non multo post pulcher quidam puellus spectandum ei se dedit: cui cum ipsa mœroris sui causam narraret, diceretque neminem sibi consolationem adferre posse

In fine operum suorum.

posse videri, respondit puer, Ne hoc dixeris, ego enim te consolari & possum & volo. Vnde, & patri tuo spirituali renuntia, veram deuotionem in suiipsius abnegatione, in proprio contemptu, & integra in manus Dei tam in prosperis, quã aduersis resignatione consistere, ita vt homo per amorem firmiter arcteq; Deo sese vniat, suamque voluntatem omnibus in rebus cum illius voluntate conformet. Ipsa hoc audiens, mire gauisa est, & audita ad Patrem suum spiritualem retulit. Qui ait, Hoc rei punctum est, huic rei est oratio applicanda: in hoc namque vera caritas & Dei amor, & consequenter omnis profectus noster & perfectio consistit.

Deuotio vera consistit in indifferentia.

Alia sancta à Deo ita instituta & edocta fuit, vt orationem Dominicam recitans, diutius & affectuosius insisteret in illa petitione, *Fiat Domine, voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.*

Fiat voluntas Dei.

De sancta virgine Gertrude scribitur, eam à Deo inspiratam, tercenties, sexagesies & quinies verba illa Christi, *Non mea, Domine, voluntas fiat, sed tua*, repetiisse; & intellexisse, hoc Deo quam gratissimum fuisse. Hæc ergo exempla ipsi imitemur, huic rei orationem nostram applicemus, & huic exercitio quam maxime insistamus.

Refert Blosius cap. II. Monil spirit.
Luc. 22. 42.
365. voluntati Dei se obtulit S. Gertrudis.

Vt vero melius maiorique cum fructu id faciamus, duo notanda & præsupponenda sunt. Primum, exercitio hoc potissimum in tempore aduersitatis opus esse, quando nimirum difficilia & carni nostræ contraria nobis offeruntur: talibus enim in occasionibus virtute magis opus habemus, & melius tunc apparet quo quisque in Deum amore sit. Quemadmodum Rex pacis tempore ostendit, quo in milites suos sit affectu, dum variis eos donariis & beneficiis afficit; milites vero belli tempore declarant, quam illum diligant & æstiment, dum pro illius capite & pugnant & mortem appetunt: ita cœli Rex tempore consolationis & fauoris demonstrat, quo nos amore complectatur, nos vero quo in eum amore feramur, tempore nubilo, & tribulationibus potius, quam prosperitatis & consolationis.

In prosperitate Deus nobis in aduersitate nos Deo seruimus.

Vnde bene R. P. N. Auila, gratias Deo agere tempore consolationis, esse ait omnium, at tempore tribulationis & aduersitatis, nonnisi bonorum & perfectorum, atque hoc suauissimam & gratissimam in auribus Dei esse harmoniam. Plus valet, inquit vnum in aduersitatibus, *Deo gratias*, & *Benedictus Deus*, quam sex mille gratiarũ actiones, & benedictiones tempore prosperitatis prolatæ.

Tom 2. Epist. fol. 20.
Iusti soli in aduersitate laudant Deũ.
Perfecta Dei laus in aduersitate.

Inde etiam est, quod sacra Scriptura iustos ait esse ceu *gemmulam carbunculi in ornamento auri.* Nam sicuti hæc de nocte magis quam interdiu collucet & fulget: ita iustus & verus Dei seruus magis in tribulationum & laborum tenebris lucet, resplendet, suique fulgorem exerit, quam in die prosperitatis.

Eccles. 32. 7.
Iustus vt carbunculus fulget nocte aduersitatis.

Vnde etiam hoc nomine in S. Scriptura pius senex Tobias deprædicatur; nimirum quod, cum, permittente Domino, post multas alias ærumnas, tandem etiam oculorum lumen amisisset, non propterea contra Dominum murmurarit, factus tristior, vel à fidelitate & obedientia priore ne latum quidem vnguem recesserit, sed immobilis, constans & integer permanserit, omnibus vitæ suæ diebus non minus immissam cæcitatem, quam ob habitum alias visum Deo datori omnium gratias agens. Sicut & S. Iobum suis in ærumnis & miseriis fecisse legimus.

Tob. 2. 14.
Tobias & Iob flagellati laudant Deum.
Iob. 1. 21.

Hoc iustum est, inquit Augustinus, imitari studere, vt in cunctis iidem simus, & tam in prosperis, quam in aduersis, eandem alacritatem & constantiam præferamus. *Sicut manus, quæ eadem est & cum in palmam extenditur, & cum in pugnum constringitur*: ita seruus Dei in interiori animæ suæ semper idem maneat oportet, etsi exterius & deforis angustiari & dolere videatur.

Serm. 4. ad fratres in Eremo.
Iustus semper idem.

Genti-

Socrates semper sibi similis. Gentilis Socrates vno semper eodemque vultu fertur fuisse in omnibus qui illi acciderent casibus, qualescumq; demum illi essent. Vnde hoc illi dat Cicero elogium, *Nec hilariorem quisquam, nec tristiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ vsque ad extremum vitæ.* *Cic. Lib. 3. Tusculan.* Mirum ergo non erit, aut multum, si nos Christiani, ac Religiosi eo pertingere studeamus, quo gentilis ille Philosophus pertingit.

Notandum deinde est, non satis esse, vt in generali hanc cum Dei voluntate conformitatem habeamus: propterea quod difficile non sit, hanc ita in generali habere. Quis nostrum enim non dicat, velle se vt Dei voluntas in omnibus fiat? Omnes quippe, tam mali, quam boni, quotidie in oratione sua Dominica dicunt, *Fiat voluntas tua,* Domine, *sicut in cœlo & in terra.* *Indifferentia in genere facilis videtur, ad particularia descendendum.* Quid amplius requiritur; nimirum ad particularia est descendendum, ad ea inquam, quæ plus nobis facessere negotii, si nobis offerrentur, videntur. Nec ante quiescamus oportet, quam omnes has difficultates ita superemus ac transcendamus, vt nulla omnino quæ vim faciat, supersit; & donec nulla amplius res sit, quæ ab aliquo nobis queat proponi, ad nos in omnibus cum Dei voluntate vniendos & conformandos, sed vt, quæcunque demum nobis offerri queat, animose ei nos objiciamus. *Tract. 5. c. 86.*

Imo ne hoc quidem satis nobis esse debet, sed semper vlterius nobis est progrediendum, nec ante sistendum, quam visceralem quandam & intimam voluptatem ac delectationem sentiamus in eo, *Delectare in Domino.* quod Dei voluntas in nobis, tametsi per labores, dolores, & vilipendia, adimpleatur. atque hic tertius est conformitatis gradus. Nam etiam in hoc diuersi sunt gradus, & vnus alio eminentior & perfectior: qui omnes ad tres præcipuos reduci possunt, quemadmodum & tres patientiæ gradus à sanctis Doctoribus traduntur. Primus est, quando quis casus dolorem & amaritudinem includentes adeo non desiderat & amat, vt etiam abhorreat & fugiat; eos nihilominus tolerare mauult, quam, quo illos fugiat, quid cum peccato coniunctum committere. *Tres gradus Indifferentiæ. 1. Præcepti patienter ferre.* Hic infimus est gradus, & qui etiam præceptum inuoluit. Adeo vt, etsi aliquem casus euenientes dolorem, amaritudinem, & tristitiam homini adferant, & is, dum æger est, quærulus ingemiscat, præ dolorum vehementia in clamores inconditos prorumpat, imo etiam ob parentum suorum mortem plangat; hanc nihilominus cum Dei voluntate conformitatem concordiamque habere queat.

2. Consilii libenter ferre. Secundus gradus est, quando quis, esto mala euenientia non desideret, nec eligat, postquam tamen iam euenerunt, libenter & gratanter ea admittit ac tolerat, quod ea Dei voluntas sit ac beneplacitum, vt hoc hic gradus priori amplius habeat, quod hominem etiam propter Deum erga pœnam aliquatenus affici, illumque eam amare faciat; & quod eam ferre velit, non tantum eo quod iam præcepto & necessario ferre tenetur, verum etiam quod illius tolerantia Deo gratior est. Primus gradus mala tolerat cum patientia; secundus hic facit, vt etiam prompte & facili negotio proferantur. *Differentia vtriusque gradus.*

3. Perfectionis desiderare & gaudere. Tertius demum est, quando Dei seruus, ex ingenti, quo erga Dominum fertur, amore pœnas & mala ab ipso immissa, non solum patienter ac libenter fert & amittit, verum etiam desiderat, & summopere iis gaudet, quod illa Dei sui sit voluntas. Sicut de Apostolis ait S. Lucas: *Ibant gaudentes,* publice iam flagellis cæsi, *à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati:* *Act. 5. 41.* Et Apostolus Paulus de se aiebat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* vinculis & aduersitatibus. *2. Cor. 7. 4.* Atque hoc nomine ipse Hebræos in Epistola ad eos missa, dilandat, dicens, *Et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos* *Heb. 10. 34.*

habere meliorem & manentem substantiam.

Huc itaque nos vt, adiuuante Dei gratia, perueniamus, etiam atq; etiam coniti debemus, vt scilicet, cum gaudio & alacritate, omnes quæ nobis accident, tribulationes & aduersitates suscipiamus: ad quod nos etiam Apostolus Iacobus in sua Canonica cohortatur, dicens: *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Voluntas quippe ac beneplacitum Dei tam pretiosum & dulce esse debet, vt quidquid amaritudinis nobis acciderint, hoc condimento condiamus: atque adeo omnes huius mundi labores & amaritudines ideo fieri nobis dulces & sapidæ debent, quod illa sit Dei voluntas ac beneplacitum. Et hoc sibi vult S. Gregorius, sic in Moralibus suis scribens: *Si mens in Deum forti intentione, dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat; transire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam possit.*

Voluntas Dei condimentũ aduersitatis.

Lib. 7. Moral. c. 7.

S. Catharina Senensis in Dialogo, quem de consummata Christiani hominis perfectione scripsit, inter alia, quæ à dulcissimo sponso suo Christo didicit, non postremum fuisse ait hoc quod sequitur: debere videlicet hominem quoddam velut conclaue in corde suo exstruere, idq; forti fornicæ, diuina inquam voluntate, compaginatum, in quo se in silentio recludat, & perpetuo commoretur, ab eo nec oculos, nec pedes, nec manus vnquam remouens, sed semper recollectus in eo manens, non secus atque apis in alueario suo, aut margaritum suo in conchyli. Nam etsi conclaue hoc initio illi angustum videretur, postea tamen quam amplissimum id illi appariturum, & ipsum eodem non egrediendo, per æterna cœli habitacula ambulaturum, & quam breuissimo tempore consecuturum, quod extra ipsum ne multis quidem annis haberi potest. Hoc consilium ipsi sequamur, hoc continuum nostrum sit exercitium, dicendo: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nam in his duobus verbis duntaxat satis latet materiæ, in qua nos toto vitæ tempore exerceamus; vnde etiam ea semper in ore & corde habeamus oportet.

Voluntas Dei cordis requies.

Indifferentia amplissimum conclaue.

Dilectus mihi & ego illi.

Caput XIII.

De indifferentia & conformitate cum Dei voluntate, quam habere Religiosus debet, ad in eam orbis partem proficiscendum & habitandum, ad quam à Superiore destinabitur.

Vt vero maiorem ex hoc conformitatis cum voluntate Dei exercitio fructum capiamus, & opere exequamur quæ ante dicta sunt, iam singillatim in particulari primaria quædam capita deducemus, in quibus nos oportet exerceamus; inde ad alia generalia, quæ ad omnes in genere pertineant descensuri. Ordiemur hic ergo ab aliquibus rebus particularibus, quæ in Constitutionibus nostris præscribuntur: in his namque præcipue suam Religiosos virtutem ac Religionem patefacere par est. Hanc vero quisque doctrinam ad alia similia, quæ in suo Ordine & statu sunt, applicare poterit.

B. P. N. in septima Constitutionum suarum parte, de Missionibus, quæ sunt vnum de primariis Instituti nostri capitibus, agens, Societatis nostræ hominibus perinde esse debere ait, in quam orbis regionem à superiore mittantur, vt vel in eam ad tempus proficiscantur vel sedem stabilem figant, tam inter fideles quam infideles, tam in Indiam ad barbaros, quam ad hæreticos. Ad quam indifferentiam professi quarto solenni specialis obedientiæ voto se summo Pontifici obstringunt, ituros se scilicet promptissime & libentissime, sine tergiuersatione & excusatione vlla, in quamcunque eos mundi

7. p. Constit. c. 1. §. 1.

c. 1. Examin. §. 5. & 5. p. Constit. c. 3. §. 3. & C. & p. 6. c. 2. §. 13. & I. & p. 7. c. 1. §. 3. & E. & 7. p. Constit. c. 1. §. 1. & B.

mundi partem Sedes Apostolica mittere voluerit, nihil aut sibi, aut alii cuipiam, temporalis subsidii postulando, quo vel in itinere, vel in loco ad quem abeunt, vtantur, sed se vel pedibus, vel equo, cum viatico aut sine illo, & stipem aliorum ad victum comparandũ petendo profecturos, prout id suæ Sanctitati melius esse videbitur, & magis expedire. Addit autem eo loco B. P. N. voti huius faciendi non alium finem & intentionẽ esse, quã vt melius se quis cum Dei voluntate cõponat & conformet. Nam quoniam primi illi Societatis Patres è diuersis erant prouinciis & regnis oriundi, & prorsus quibusnam in mundi partibus Deo gratius præstare obsequium possent ignorabant, vtrum apud fideles, an apud infideles; hinc vt in Dei voluntate cognoscenda non errarent, se per speciale hoc votum Christi in terris Vicario obligarunt, vt ille per eas mundi partes ipsos distribueret, in quibus eos magis Dei gloriam censeret posse promouere. Veruntamen eos qui Societatis sunt, nulla ratione procurare aut eniti debere, vt adhunc potius locum, quam ad illum mittantur, in hoc illos Superior potius habitare sinat, quam in illo; sed prorsus indifferentes esse oportere, sui ipsorum dispositionem liberam & absolutam in manus Superioris, qui Dei loco ipsos gubernat, idque ad maius eius obsequium & gloriam, relinquendo.

Quartum votum Professorum Societatis Iesu.

Quam autem nos Beatus Pater indifferentes & paratos esse velit, ad, in quam mundi regionem nos obedientia mittet, in eam abeundum, ex illius vita colligere est. Quodam tempore cum P. Iacobus Lainius desiderium quoddam ardens se sentire diceret in Indiam proficiscendi, quo miseros illos populos in cœca gentilitatis nocte agentes, & operariorum Euangelicorum defectu pereuntes, in viam salutis reuocaret; Respondit illi B. P. Equidem nihil horum desidero. Causam à Lainio rogatus, Quandoquidem, inquit, obedientiæ votum Pontifici summo præstitimus, vt ipse nos, pro arbitrio ac libitu quocunque Dei gloria vocarit, emittat; ita esse debemus indifferentes, vt non magis in hanc quam in illam partem inclinemus. Quin & addidit, Si ego me ad missionem Indicam, vti tu te sentis, impelli ac trahi sentirem, in partem potius contrariam inclinare satagerem, vt ad illam æqualitatem indifferentiamque possidendam peruenirem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam necessaria est.

Lib. 5. c. 4. vita P. Ignatii.

Non id eo dicimus, quasi desiderium & voluntas Indiæ adeundæ, mala in se sint, aut imperfectionem includant, cum ea nonnisi bona sint & sancta: quin etiam laudabile & consultum est, si quando ea Domino placuerit dare, Superiori illa proponere & repræsentare. Vnde etiã eo loco B. P. N. Superiores gaudere debere ait, quod sibi huiusmodi desideria subditi proponant. Hæc enim signa esse solent, ad hoc illos à Domino vocari; itaque omnia maiori suauitate peraguntur. Verum hæc ideo dicimus, vt appareat, quantam nos B. P. N. indifferentiam & promptitudinem velit ad in hac vel illa parte mundi agendum & abeundũ præferre, cum etiam erga rem tam laboriosam, itaque ad Dei gloriam spectantem, inordinate nos affici nolit; propterea quod hic affectus & particulare desiderium indifferentiam illam & promptitudinem, quam, ad aliud quidlibet amplectendum, & ad aliam quamcumque regionem, quo nos obedientia destinare vellet, adeundam semper præferre debemus, tollat & impediat.

p. 7. Constit. c. 2. litter. L.

Desideria sancta laudantur si sint ordinata.

Hinc corollaria quædam & necessariæ consequentiæ deducuntur, è quibus hoc quod dicimus, melius intelligetur. Primum si hæc Indiæ petendæ desideria, ei qui ea habet, occasio essent aliquid de illa indifferentia & promptitudine, quam erga alia à Superiore ei iniungenda habere debet, deperdendi, illa non tam bona quam imperfecta fore. Si enim tantam tamque vehementem Indiæ aut alterius cuiuspiam regionis adeundæ inclinationem ac desiderium sentiam, vt

Documenta duo.

I. Desiderium noxium quod quietem animi & obedientiam impedit.

vt me illud inquietet, & in causa sit, vt in hoc vel in alio loco, in quo me Superior agere vult, quietus & contentus non sim, vel vt præsentia ministeria, in quibus modo distineor, debita promptitudine, lubentia, & animi applicatione non obeam, quod iam oculos & animum meum in aliud penitus defixerim, certum est desideria illa nec bona esse, nec à Deo descendere, cum eius illa voluntatem impediant, Deus autem sibiipsi nequeat aduersari. Præsertim quod desideria & inspirationes à Spiritu sancto descendentes nullam secum trahere inquietem aut turbationem, sed magnam afferre pacem & tranquillitatem soleant. Atque hoc vnum è signis est, quæ vitæ spiritualis magistri assignant, ad interiores inspirationes & desideria internoscenda, an videlicet à Deo proueniant, an secus.

Deus auctor pacis.

Signum veræ inspirationes dignoscendi.

II. Secundo, hinc sequitur eum, qui promptam & differentem quandam in genere dispositionem habet ad quodcumque mundi clima adeundum, aut quidlibet, quod sibi Superior præceperit, suscipiendum (etsi particularia illa desideria & propensionem de India, aut alia qualibet remota orbis parte petenda, quam alii habent, minime sentiat) non propterea tristari vel angi debere: neque enim propterea deterioris conditionis est, quin imo melioris. Hæc namque ea dispositio est, quam omnes nos, quicunque Societati nomina dedimus, B. P. N. vult præferre, vt nimirum, quantum est ex parte nostra, nullum particulare desiderium & affectum erga hoc potius quā illud præferamus; sed, ceu lingula & statera bilancis, non magis in vnam quam in aliam partem vergamus. Quales sane in ea plurimi sunt, &, vt quidem credo, potissima Sociorum pars. Patrem Hieronymum Natalem B. P. N. aliquopiam mittere decreuerat; ante tamen quam mitteret, scire volebat quonam ipse potissimum propenderet, vt maiori res suauitate peragеretur. Respondit Natalis scripto, in nullam plane se inclinare, præterquam in hoc, quod statueret in nullam inclinare.

Generalis indifferentia melior particulari desiderio, quantumuis laboriose.

P. Natalis indifferentia.

Hoc porro P. N. vt melius & perfectius reputat. Nec immerito quod alius vni rei soli videatur acclinari, hic vero sua indifferentia, quæcumque sibi imperari possunt, complectatur, & ad omnia indifferenter & æqualiter dispositus & paratus sit: atque, vt Deus cor & voluntatem vniuscuiusque in particulari intuetur, & eam pro facto reputat, eo apud eum hæc loco sit, tanquam si opere ipso omnia præstitisset.

Voluntas pro facto habetur.

Vt vero huic tractationi finem imponam, dico, si quis ob inertiam, pusillanimitatem, & paruam sui mortificationem, hæc Indiæ adeundæ desideria in se non sentiat, ne scilicet iis, quibus frui hic se putat, aut fruiturus est, commoditatibus carere, aut laboribus & ærumnis, quæ in iis locis subeundæ sunt, se exponere cogatur, magnæ id imperfectionis & amoris proprii indicium fore: at, cum non ob desidiam, nec quod ei desiderium & animus ad hos & alios maiores propter amorem Dei & salutem animarum labores subeundos desit, hæc minime desiderat; sed tantum quod nesciat an hæc Dei sit voluntas, vel vtrum aliud à se exigat, ipse interim à sua parte tam ad hoc, quam ad omne quod Dei esse voluntatem intelliget, ita dispositus & paratus est, vt, si vel in Indias, vel in Angliam, aut alio quolibet destinetur, tam sit æquanimiter, libenter, & indifferenter iturus, quam si ipsemet id desiderasset, vel petiisset; & fortasse etiam libentius (quod certior & securior sit, se in hoc non suam, sed pure Dei voluntatem facere) minime dubitandum est, quin id longo melius & perfectius futurum sit. Hinc etiam superiores eos libenter in Indiam mittunt, qui hanc dispositionem & ad omnia paratam indifferentiam præferunt.

Ex desidia labores fugere malum.

Melius indifferentem esse ad omnia quam certum quid impensius vrgere.

Verum, vt ad primarium materiæ nostræ scopum reuertamur, ipse B. P. N. talem nos omnes indiscriminatim indifferentiam & resignationem habere vult,

vt tam libenter in hac, quam in illa regione, tam in vna prouincia agamus, quam in alia; ita quidem, vt nec valetudinis corporalis intuitus ab hac nos indifferentia queat diuellere.

In tertia autem constitutionum parte, proprium vocationis, & instituti nostri esse ait, per varias mundi partes discurrere ac peregrinari, & in iis locis habitare, in quibus maius Dei obsequium, vberiorique animarum messis speratur. At si per experientiam certam constaret, regionis alicuius aerem & auram valetudini cuiuspiam obesse, ac proinde assidue eum ægrotare; videlicet Superior, num illum expediat alio mitti, vbi melius valens & firmior, se Dei obsequio animarumque conuersioni feruentius valeat impendere. *Non tamen*, inquit, *erit ipsius infirmi huiusmodi mutationem postulare, nec animi propensionem ad eam ostendere, sed Superioris curæ id relinquetur.*

Infirmus Societatis mutationem loci nec petat nec se propensum ostendat, sed re syncere proposita curam Superiori relinquat omnem.

Non exiguum quid profecto in hoc Beatus Pater à nobis exigit, sed rem maximam. Nam hominem bene indifferentem & mortificatum esse oportet, cum non solum non petere, verum ne propensionem quidem vllam ad mutationem illam ostendere cupit, etsi continuo cum aduersa valetudine confligat. Adeo vt, quantum ad profectionem Indicam, aut ad missionem in regiones hæreticas pertinet, suam quidem quis Superiori inclinationem & desiderium libere, sicuti diximus, proponere possit etsi alioquin cum indifferentia & resignatione, nulli tamen concedat, vt ipsemet hanc mutationem vltro petat, aut propensionem & desiderium aliquod erga eam (quod amplius est) ostendat. Sed tantum illam, vt nimirum, si se infirmum ac valetudinarium sentiat, suam Superiori infirmitatem, indispositionem, & ad ministeria obeunda ineptiam inhabilitatemque significet, quod vt ei proponamus, etiam particulari regula iubemur.

7. p. Constit. c. 2. litt. L.

Verum postquam subditus iam id proposuit, non est quod vlterius laboret; at Superioris est videre num his præsuppositis, eum alio, vbi plus sit fructus meliori vtens valetudine facturus, mittere expediens futurum sit, aut, num maior Dei futura sit gloria, eum ibi manere, etsi minus sit fructus, & fortasse etiam nihil prorsus, editurus. Hoc autem non est ipsius curare; at se quisque à Superiori, qui Dei loco ipsum regit, dirigi sinat, vt, quod ille statuerit, hoc vt melius, & vt maius Dei obsequium ducat. Quam multi tum in his, tum in aliis regionibus, suæ valetudini adhuc magis contrariis & noxiis degunt, eo quod in iis victum commode lucrantur! Quam multi, exigui lucelli spe, mare conscendunt, & in Indiam, Romam, Constantinopolim, & alio se conferunt, ac non valetudinem modo, sed & vitam in præsentissimum discrimen coniiciunt! Non ergo multum fecerimus nos Religiosi, si id propter Deum, & ex obedientia facimus, quos mundani auri & quæstus intuitu faciunt.

Seculares in locis deligendis parum curant valetudinem.

Imo vero si menti occurreret te alio in loco aliquid (pone etiam multum) facere posse, eo autem quo versaris loco, tam sinistra vti valetudine, vt nihil penitus facere valeas; memineris satius esse in eo manere loco (quod id ita velit Deus) nihil prorsus faciendo, quam in alio (ita te volente) quantumlibet multum præstando, teque cum Dei voluntate conforma, id à te in præsens, ob causam quam ipse nouit te vero scire nec est necesse, nec expedit, exigentis.

Expedit otiari pro Deo, quam ex se laborare.

Beatus Frater Ægydius (vt in Chronicis Minoritarum refertur, cum à Sancto Francisco, quocunque se conferendi, & in qualibet prouincia conuentuque agendi facultatem accepisset (libe rum enim id illi relinquebat, quod multum de illius virtute & sanctitate præsumeret) vix quatriduum hac licentia vsus erat, cum solitam mentis tranquillitatem & quietem imminui, & suam è contra animam inquietari & perturbari sensit. Vnde Sanctum Franciscum adiit, instanter ab eo petendo, locum sibi & conuen-

S. Ægidii obedientia.

In sola obedientia quies, nulla in propria volũtate.

uentum certum, in quo viueret, designaret, neue posthac hoc sibi liberum relinqueret, palam testatus nullam se in arbitraria, libera & laxa illa obedientia quietem aut animæ tranquillitatem inuenire posse. Boni quippe Religiosi in propriæ voluntatis adimpletione pacem & quietem non inueniunt, vnde etiam hunc vel illum conuentum, vel habitationis locum haud desiderant, sed vt Superior eum, quem voluerit, sibi assignet; hoc quippe sciunt Dei voluntatem esse, in qua sola quietem & consolationem inueniunt.

CAPVT XIV.

De indifferentia & concordia cum Dei voluntate, quam in quolibet officio & munere, sibi à Superiore iniuncto, habere Religiosus debet.

ILLA, quam iam diximus indifferentia & resignatio, etiam in quolibet officio & munere, quo Superior nos fungi volet, nobis vsurpanda est. Nemo est quin videat, quam multa quamque varia sint Religionis officia ac ministeria. Per horum ergo singula cogitatione quisque discurrat, ac velut catalogum texat, donec pari modo & indifferenter erga vnumquodque horum se affici comperiat. Vnde Beatus Pater Noster in Constitutionibus suis sic statuit, quod etiam in regulas communiores relatum est: *In exercendis officiis abiectis & humilibus, promptius ea suscipi conuenit, à quibus sensus magis abhorrebit; si quidem iniunctum fuerit vt in eis se exerceat.* Hinc magis in vilibus & humilibus officiis indifferentia & resignatio hæc requiritur, propterea quod natura & sensus nostri ab iis abhorrent.

C4.3.examen §.28.& reg. 13.summarii.

Humilia officia ambienda.

Quocirca plus ille haud dubie præstat, & maiorem virtutem & perfectionem ostendit, qui ad huiusmodi officia Deo se offert, quam qui ad alia honoratiora & altiora. Perinde ac si quis tanto domino cuipiam seruiendi desiderio teneretur, vt vltro se offerret ad eius, si necesse id esset, tota vita stratorem & mediastinum culinarum agendum; longe plus præstat ac longe magis suam illi seruiendi voluntatem declarat, quam si diceret, Tuum, Domine, cubicularium & œconomum agam. Illud enim potius est beneficia & beneuolentiam poscere, quam obsequia deferre.

Tanto vero pluris hic affectus faciendus foret, quanto pluribus ad magna munia agenda dotibus & talentis instructus esset is, qui ad humilia ac seruilia operam suam defert. Pari modo, si hoc pacto te Deo offeras, Seruiam tibi Domine in officio concionatoris, vel professionis Theologiæ; parum per hoc præstas (eo quod eminentia & honorabilia officia per se appeti solent) tuumq; Deo formulandi animum parum hoc modo ostendis. At cum operam defers, ad omnibus vitæ tuæ diebus in domo Domini abiecta, vilia, & carni ac sensualitati tuæ repugnantia officia peragenda, tunc magis tuum Deo seuiendi desiderium & animum prodis. Hoc etiam pluris est faciẽdum, & gratius Domino esse solet, idque eo magis, quo maioribus ad officia altiora & digniora obeunda talentis dotatus eris. Satis hoc nobis esse debebat, ad abiecta humiliaq; officia desideranda, & ad semper maiorem erga eãdem affectum concipiendum; pręsertim cum in domo Domini nullum sit officium vile. Si enim in domo Regis nullum esse vile officium ducitur (nam Regi, etiam in quocunque officio seruire permagni ęstimari solet) quanto maioris ducetur seruire Deo, cui seruire regnare est?

Quanto maior es humilia te in omnibus.

Nil vile in domo Dei.

Sanctus Basilius, quo officiorum vilium & humilium nobis amorem ingeneret, Christi exemplum adducit, quem similibus in officiis se occupasse ex Euangelico textu colligitur, vti dum discipulorum

In reg. fusius disp. interr. 7.

Christus humilia officia exercuit.

lorum suorum pedes abluit. Neque vero hic eius humilitas stetit, sed longo etiam tempore sanctissimæ matri suæ & Iosepho est famulatus, & tam huic quam illi, in omnibus quæ sibi imperabant, quam obsequētissime paruit. Vnde etiam de eo post duodecimum ætatis eius annum, vsque ad trigesimum, aliud Euangelium scriptores non commemorant, quam vnum hoc, *Et erat subditus illis.* Quare non sine fundamento contemplantur scriptores pii, eum illis in variis officiis abiectis & humilibus seruisse & adiuuisse; maxime, cum tanta eorum esset pauperis, quātam fuisse constat. *Ne ergo dedignetur facere Christianus*, & multo minus Religiosus, *quod fecit Christus.* Cum filius Dei nō sit dedignatus in abiectis hisce officiis nostri causa se exercere, ne dedignemur & nos iisdem operam nostrā, eius ergo, impendere, etsi alioquin totum vitæ nostræ curriculum iis esset impendendum.

Luc 2.51. Christus 30. annis subditus parentibus.

Christum Christianus imitetur.

Iam ad scopum præfixum propius accedamus. Vna sane de præcipuis rationib. & motiuis, ob quas quā libētissime quodlibet officium & ministeriū, cui nos Superior applicat, acceptemus, esse debet hæc vt nimirum ipsi nobis persuadeamus, hāc Dei esse voluntatē quia, vti iam supra dictum est, hæc semper nostra in omnibus ministeriis esse debet cōsolatio & gaudiū quod Dei in iisdē volūtatem exequamur. Hæc sc. cogitatio animam satiat, & ei satisfacit: Vult Deus me hoc in præsens agere: hæc est Dei voluntas amplius nihil desiderandū est: nihil quippe Dei voluntate aut melius est aut sublimius. Eorum autem qui hoc modo procedūt, nō magis interest, verum hoc, an illud iis præcipiatur, vtrum alto non abiecto officio explicentur. Nā omnia illis in idem recidunt.

Cap. 4 & 5. & Tract. 3. c. 8.

Dei & superioris eadem voluntas.

Egregium & huic proposito accommodum exemplum refert Sanctus Hieronymus: cum enim ipse veteres illos sanctosq; eremi monachos visitaret, incidit tandem in vnum, cui Superior, quod eum in spiritu promouere, simulq; aliis iunioribus inobedientię exemplum dare vellet mandaret, vt bis per diem ingens humeris saxum ad tria passuum millia (Leucam ea nostratem conficiunt) gestaret; qui tamen labor nec necessarius, nec vtilis erat, sed tantum ad obedientiam exercendam, & proprium iudicium abnegandum valebat. Iam illi octennium totum in eo se exercuerat. Et, quoniam factum hoc, inquit Hieronymus, iis qui virtutis huius obedientiæ valorem & pretium ignorant, & nondum ad summam eiusdem puritatem & simplicitatē peruenerūt, quod spiritu superbo sint & elato; aut lusus puerilis, aut opus frustraneum videri forte poterat; rogauimus eū, & ego inprimis, quomodo hanc ipse obedientiam ferret, scire cupientes quales in anima sua motus, cū istud faceret, sentiret. Quibus ille respondit: Tam lætus & hilaris sum, labore hoc expleto, quasi rem maximam maximique pretii, quam mihi Superior iniūgere posset, peregissem. Addit autē Hieronymus, ita se hoc illius responso motum fuisse, vt ex eo tempore, sicut monachum viuere decet, viuere inceperit. Hoc scilicet est esse monachum, & veri Religiosi more viuere, non scilicet in exterioribus, sed exacte Dei voluntatem & beneplacitum adimplere.

In Regul. monach. c. 12.

Monachus lætus quod obedientiam in re ad speciem stulta expleset.

Hi quoq; sunt, qui in virtute & perfectione mirū in modū proficiūt, & ad oculum magis magisq; crescūt; quod volūtatis diuinæ adimpletione, velut cibo sapidissimo semper nutriantur, & flore farinę & *adipe frumenti* satientur.

Voluntas Dei perfectionis mensura.

Psa. 147. 14.

At dicet aliquis, magnam quidem in eo perfectionem video consistere, quod Dei volūtas in omni re adimpleatur, & quod in quocunq, exercitio mihi à Superioribus præscripto, voluntatem Dei facere possim; attamen vellem, vt in alia digniore honoratioreq; re me occuparent, & in illa Dei ipse voluntatem adimplerem. Sed, hoc est in ipsis errare principiis, & verbo vt dicam, nihil aliud, quam velle vt Deus tuæ voluntati obsecundet, non vero tu illius morem geras. Non est meum Deo leges præscribere; nec velle, vt se ipse cum eo, quod mihi optimum videtur, & quod ipse vellem, conformet; at ego

Sequere Deū non Deus te.

at ego è contra illius nutum ſequi, cum eo quod ipſe de me ſtatuere vult, me conformare debeo. Vnde præclare Diuus Au-

Lib. 10. Confeſſ. c. 26.

Velis quod audis nec cupias audire quod velis.

guſtinus, *Optimus miniſter*, inquit, *tuus*, Domine, *ille eſt, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipſemet voluerit, ſe potius hoc velle, quod à te audierit.* Et Beatus Nilus Abbas, *Non ores, vt fiant quæ fieri velis, ſed potius ora ſicut orare didiciſti à* Chriſto, *vt fiat voluntas Dei in me.*

Cap. 29. de oratione.

Ora quod Deus vult nō quod tu vis.

Punctum hoc inprimis notandum eſt, quod id maxime ſit vtile, & in omnibus quicunque nobis occurrere queunt labores, mala, & caſus, habeat locum. neque enim noſtrum eſt deligere, quanam in re & quomodo pati debeamus, ſed Dei, vti nec ſeligere, quas tentationes habere velimus, nec ita loqui, Si quod aliud tentationis genus foret, parum curarem; ſed hanc prorſus ferre non valeo. Si enim pœnæ & grauamina, quæ nobis accidunt, eſſent talia qualia vellemus, grauamina non eſſent, vtpote ad libitum accidentia. At ſi vere Deo placere velis: petas oportet vt per eam te viam conducat, per quam ipſe te norit & velit conducere, non vero per quam tute deduci velis.

Qui habet quod eligit nil patitur.

Hinc quando id tibi Dominus immittit, quod minus tibi placet, quodque magis pati detrectas, & te nihilominus cum illius voluntate conformas: tunc magis Redemptorem tuum Ieſum imitaris, dicentem, *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat*, Pater. Hoc ſcilicet eſt totalem cum Dei voluntate conformitatem & cōſonantiam habere, vt nimirum illi nos totos offeramus, vt quodcunque, & quādocunque, & quomodocunque ipſe voluerit, de nobis faciat ac ſtatuat, idq; ſine vlla exceptione & contradictione, & vt nihil prorſus nobis reſeruemus.

Tunc maxime laudandus Deus cum occurrit quod maxime velles.

Luc. 21. 42.

Cum Sancta virgo Gertrudis commiſeratione mota (vt Ludouicus Bloſius narrat) oraret pro quadam perſona, quam audierat impatienter conquerentem, quod Deus grauamina ſibi mitteret ſaluti ſuæ minus conuenientia, reſpondit ei Dominus, *Dices illi pro qua oras, vt, quia ſine aliqua ſaltem tribulatione vel moleſtia regnum cæleſte obtineri non poteſt, eligat atque indicet, quanam grauamina ſibi vtilia eſſe putet: &, cum hæc ipſi euenerint, ſeruet patientiam.* In quibus Domini verbis, eorumque proferendorum modo, Gertrudis intellexit, periculoſiſſimum genus impatientię eſſe, quando homo peruerſe ac ſuperbe eligere vult quæ ferat; dicens ſaluti ſuæ minus congruere, ſeque non poſſe ſuſtinere ea grauamina, quæ ſibi à Deo immittuntur. Oportet enim vt quilibet ſemper confidat, illud conuenientiſſimum & vtiliſſimum eſſe, quod ſibi Deus imponit, aut euenire permittit: vnde ipſum magna cum patientia ferre debet, in eo ſe pure cum Dei voluntate conformando. Sicut ergo grauamina & tentationes, quas feras eligere ipſe non debes, ſed accipere velut à Dei manu, illas quas ipſe immittit; & tibi perſuadere, eas eſſe quæ tibi magis conueniunt: ita nec officium vel miniſterium, quod tibi faciendum eſt, debes eligere, ſed veluti à Dei dextra admittere id quod tibi Superior præſcribet; ac firmiter tibi perſuadere illud eſſe quod tibi magis congruit.

Summa impatientia ſibi ipſi crucem eligere velle.

Quod tute elegiſti in eo minime patiens eris, aut perficieris.

Accipiendū, non eligendū, quod feras aut facias.

Aliud punctum, & ipſum imprimis ſpirituale, ad hæc addunt ipſi ſpiritualium rerum ſcriptores, docentque hominem ita in Dei voluntate reſignatum, deque eo ſecurum ac certum eſſe debere, vt ſcire prorſus nolit quid de ſe Dominus facere & diſponere velit. Sicut dū in mūdo diues aliquis paterfamilias ita œconomo procuratoriq; ſuo fidit, vt quis rerū ac domus ſuæ ſit ſtatus vix ſciat, inſignis id cōfidētiæ genus eſt; ſicut ſibi œconomus Ioſeph⁹ in domo heri ſui ait cōtigiſſe: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua.* Pari modo magnam quis ſe in Deo habere fiduciam oſtendit, quando ſcire non vult quid de ſe facere ille velit, dicitque, Felicem fidumque nactus ſum Dominum: hoc mihi ſufficit. In manibus tuis ſortes meæ hoc ego contentus

Monil ſpirit. c. 15.

Velis neſcire quid Deus te fieri velit.

Gen. 49. 8.

Pſal. 10. 16.

&ſe-

& securus viuo, plura me vlterius inquirere ac scire non est necesse.

Se decipiunt, qui in altioribus se magis Deo placituros arbitrantur.

Illos vero, qui loca, officia, vel ministeria altiora sectantur, rati vberiorem se in illis, quoad animarum conuersionem, fructum, nec non maius Dei obsequium facturos, dico, non parum falli, dum quendam id erga maius Dei obsequium, & amplius animarum bonum, zelum esse arbitrantur, cum reuera non sit aliud, quam in eius honoris, æstimationis & commodi proprij zelus & desiderium, & idcirco illud officium & ministerium desiderent, quod aut honoratius sit, aut magis ad mentem & inclinationem faciat. Clare id patebit ex eo, quod sequitur: si in sæculo esses, aut solus, videris libere dicere posse; Hoc est melius, quam illud, & conuersioni animarum vtilius, ideo propter hoc illud relinquere volo, quia non possum vnus facere omnia. At hic in Religione non est hoc relinquendum, vt fiat illud; sed tam hoc, quam illud fiat oportet. Hoc solum aduertendum est, si tu altiora secteris, alium humiliora sectari debere. Si autem vere humilis essem, potius velle deberem, vt officium sublime & honoratum alius peragat: credere namque debeo melius illum, ac maiori cum fructu, minori etiam cum vanitatis periculo eo perfuncturum, quam ego.

Altiora relinque aliis, minora tute amplectere.

Lib. exercit. spirit.

Ad hoc, aliaque id genus, non parum iuuat doctrina quædam B. P. N. Ignatij, quam ipse electionum faciendarum velut fundamentum ponit: in qua tres humilitatis gradus vel modos assignat. Inter quos tertius & perfectissimus est, vt, cum duæ res occurrunt, parem Dei gloriam, & æquale Dei obsequium includentes, illam seligam, quæ maiorem mei despectum & vilipendium contineat; vt hoc pacto Redemptori meo Iesu Christo, qui pro nobis contemni, rideri despicique voluit, similior reddar, & melius illius imitator.

Ad imitationem Christi viliora mihi amplectenda.

In hoc vero etiam aliud singulare bonum includitur, nimirum quia in id genus rebus minus proprij commodi continetur, hinc nullam homini sui ipsius in illis quærendi occasionem esse, nec illud eum in illis euanescendi periculum habere, quod in sublimibus & honoratioribus. Siquidem in officijs humilibus exercentur simul humilitas & charitas; & hæc humilitatis virtus per illa, veluti per proprios actus suos egregie in vigore conseruatur: at in honoratis exercetur quidem charitas, sed nonnisi cum maximo humilitatis periculo. Quod sane sufficere nobis debebat, non tantum ad ea non desideranda, verum etiam ad ea, ceu periculosa, fugienda.

Altiora & si charitatem habeant, periclitatur tamen humilitas.

Viliora humilitatem augent cum charitate, ideoq; tutiora.

Capvt XV.

De conformitate, quam quoad donorum ac talentorum naturalium distributionem, cum Dei voluntate nos habere par est.

Contentvs quisque esse debet eo, quod à Deo illi datū est, eo, inquam, talento, ingenio, intellectu, habilitate, & naturalibus dotibus, quas Deus ipsi communicare est dignatus; neque angi aut tristari, quod non tantam naturæ nactus sit habilitatem & talentum, quantam alius, nec ad tam multa aptus sit, quam ille. Nemo nostrûm non hac doctrina opus habet: vt enim demus aliquos alijs quibusdam in rebus præstare & præcellere videri, semper tamen aliquid ex opposito habent, ob quod humiliter de se sentiant: in quo hanc eos conformitatem habere necesse est. Quare præmonitos & præmunitos nos esse oportet: hac enim via multos solet dæmon subuertere.

Quisque suo contentus sit.

In multis deficimus omnes.

Scilicet tibi in studijs agenti & videnti quendam de condiscipulis tuis tibi ingenio antecellere, ac solide docteque argumentari, & apte ad proposita respondere, forte quædam inuidiæ species suborietur; quæ etsi inde ortū non habeat, quod ob bonum & dotem fratris tui doleas & contristeris (quod inuidiæ peccato proprium est) quod tamen collegas tuos ingenijs

Tristitia, quod aliis cedere cogaris, grauis tentatio est inuidiæ proxima.

genijs suis euolare, & dotibus naturalibus precurrere videas, te vero in posterioribus hærere, imo nec quidem eos posse attingere, nec caput extollere; nescio quã in animo sentis tristitiam & melancholiam, & incedis inter condiscipulos, velut deiectus & confusus: atque inde tibi languenti, animi quædam contractio, pusillanimitas, & à studijs, quinimo à Religione interdum prorsus desciscendi tentatio oritur.

Hæc autem tentatio quosdam reipsa à Religione apostatare fecit, quod in humilitate non bene fundati essent. Putauit ille fore, vt se illustrem redderet, inter reliquos condiscipulos primatum ferret, & tota prouincia, fama celebrante, cognoscendum, quod esset doctissimus; sed quoniam plane secus ac conceperat, euenit, hinc adeo præ infamia confunditur & indignatur, vt Diabolus, tam bonam occasionem videns, illi suggerat, non aliter ab hac illum confusione & tristitia liberatum iri, quam Religionem prorsus deserendo. Neq; noua ea est Diaboli tentatio, sed satis antiqua, eique visitata.

Superba tristitia apostatare facit.

In Chronicis Dominicanorum illustre, quoad hoc propositum, exemplum refertur de Alberto Magno, S. Thomæ Aquinatis præceptore. Albertus adhuc puer mire erga Deiparam Virginem Mariam affectus erat, & singulis diebus certum orationis pensum in eius honorem recitabat, cuius intercessione & patrocinio, annum agens decimumsextum, Ordinem D. Dominici est ingressus. Cum autem in adolescentia obtusiori esset ingenio, & ad litterarum studia parum idoneus, & condiscipulos suos, qui plures erant numero, prestanti subtilique videret ingenio donatos; adeo confusus & animo deiectus fuit, vt tentante Diabolo, eo ad extremitatis redactus, vt iam de habitu monastico deserendo cogitare inciperet. Hæc ergo dum animo anxie agitat, mirabili quadam visione in sua fuit vocatione confirmatus. Quadam nocte inter dormiendum videre sibi visus est scalam ad muros Monasterij applicare, vt per eam ascendens septis Monasterij exiret. Hac ergo conscensa, illius in summitate quatuor venerabiles conspicit matronas, inter quas vna cæteris videbatur eminere. Ad quas dum propius ascendit, illarum vna eum corripuit, & è scala deturbauit, vetans ne Monasterio egrederetur. Sed ille rursus instat ascendere; at secunda matrona non aliter eum excipit, quam prior. Conantem iam tertio conscendere, rogat tertia matrona, cur Monasterio vellet egredi? Ipse, vultum pudore suffusus, respondit; Quod videam, ô Domina, condiscipulos meos magnos in Philosophiæ studio profectus facere, me vero irrito & casso in ea conatu laborare: & quod propterea confundar & pudefiam inde est, quod à Religione velim deficere. Tum matrona: Quam illic vides, Domina (quartam designabat) Dei est mater, ac cœlorum Regina, cuius nos tres famulæ sumus; illi itaque te commenda, quia nos apud eam tibi patrocinabimur, eamque rogabimus, vt apud benedictum filium suum pro te intercedere dignetur, quo tibi ille docile ingenium elargiatur, cuius adminiculo in studijs litterisque proficias. His auditis, frater Albertus mirifice est recreatus, & à tertia illa matrona ad Deiparam matrem conductus, benigne ab ea acceptus est. Qua rogante, quidnam tantopere vellet & desideraret, respondit Albertus, Philosophicam, Domina, scientiam (nam illa erat, cui tum operam dabat, quamque non intelligebat) percallere. Itaque eum Virgo Mater, & cœli Regina bono animo esse, & sedulo ei incumbere iubet; fore enim, vt in ea aliquando excelleret. Vt vero noris, inquit, id tantum à me proficisci, non vero tui ingenij acumini & naturæ habilitati attribuendum; tibi paucis ante mortem diebus publice in schola docenti, subito omnium quæ nosti, incidet obliuio. Atq; hac ille visione mire tunc est recreatus & consolatus: ab illo autem tempore, tantos in studijs, non philosophicis modo, sed & Theologicis, ac sacra Scriptura

1.p.q.3.c.45.

B. Alberti Magni tentatio.

Visio B. Alberti Magni.

B. Albertus Magnus à B. Virgine obtinet ingenium ad scientias.

ptura progressus fecit, quantos testantur opera, quæ scriptis posteris reliquit.

Tertio autem ante mortem anno, cum Coloniæ Agrippinæ publice doceret, omnium, quas norat, scientiarum penitus in momento est oblitus, tanquam si toto vitæ suæ tempore nihil artium didicisset. Quod forsitan etiam in expiationem paruæ illius cum Dei beneplacito conformitatis, quam in talentis naturaliter à Deo acceptis ostenderat, factum est. Quare visionis alias, dum è Religione exire volebat, habitæ, memor, publice auditoribus, quod factum sibi erat, enarrauit, itaque ipsis valedicens, intra Monasterij septa se abdidit, totumque tempus in quiete deinceps orationi & contemplationi diuinorum impendit.

B. Albertus Magnus à B. Virgine obtinet ingenium ad scientias.

Ne ergo in id genus pericula incidamus, necesse nos est aliquando premuniri. Necessaria autem ad hoc præmunitio esse debet, insignis quædam humilitas: ex huius enim defectu omnis difficultas oritur: dum nimirum ferre nequis, quod omnium totius cursus studiosorum tu ineptissimus indoctissimusque habearis. Si ergo Superiores dicant, ineptum te esse, qui in studijs vlterius progrediaris, tu vero tuos interim cōdiscipulos in Theologos, post in illustres Doctores, & insignes concionatores euasisse videas, an non magna quadam tibi opus est humilitate, magnaq; cum Deo conformitate, vt hoc probrum æquanimiter feras.

Humilitas & indifferentia necessaria cōtra tentationes.

Eadem etiam post studiorum cursum iam absolutum præmunitione opus habebis, quando nimirum hęc tentatio tibi incidet; Cur non sum talis, & ad tam multa vtilis, quam alij? Cur prædicandi, emergendi & cū proximo tractandi, item vt mihi negotia tractanda committātur, ac magnifiam, talentum non habeo sicut ille? Idem de ijs dico, qui scholastici non sunt; quibus hæ vel similes cogitationes & tentationes incident; Vtinam Scholasticus, Sacerdos, vel doctus essem, vt in conuertendis animabus fructum facere possem! Fieri quoque nonnunquam poterit, vt tam vehemens sit tentatio, vt religiosa vocatione excidendi, imo & salutis æternæ amittendæ tibi periculum creet; vti id non paucis creauit.

Apostasia periculum à superbia.

Doctrina porro hæc generalis est, vt hanc sibi pro statu suo quisque applicare possit: quare omnes cum Dei voluntate maxime conformes sint oportet, ita vt accepto à Deo talento, & statu, in quo ab eo constitutus est, quisque contentus sit, & amplius esse nolit, quam se esse velit Deus.

Quod sis, esse velis nihilq; malis.

S. Augustinus super illa Psalmographi verba: *Inclinaui cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam*, scribens, hoc omnium malorum ait fuisse principium & radicem. Quia enim primi generis nostri parentes plus esse voluerunt, quam eos fecerat Deus, & plus habere, quam hic ijs dederat; hinc & eo, quem habebant, statu exciderunt, & quod ante ab eo acceperant, perdiderunt. Hac scilicet esca: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*, illos cacodæmon inescatos de statu suo deturbauit; atque hanc nos ab ijs hæreditatē hæreditamus, vt quendam etiam diuinitatis appetitum, & stultitiam & phrenesin plus esse volendi, quam reuera sumus, habeamus.

In Psal. 118. 36.

Gen. 3. 5.

Qui plus petit, & quod habet, auferetur ab eo.

Et quoniam Diabolo per hanc technam semel bene res cessit cum primis nostris Patribus, hinc & nos per eandem oppugnare non desinit, assidue nos incitando, vt plus esse velimus, quam nos esse velit Deus, nec accepto ab eo talento, nec statu, in quo nos ipse posuit, cōtenti simus.

Hac de causa, inquit Augustin. sic orat Propheta: Da mihi Domine, cor ab omni propria vtilitate semotum, & in tuam solius voluntatem ac beneplacitum fideliter, non vero in mei ipsius commoda & vtilitates inclinatum. Per *auaritiam* porro hoc loco omne commodi genus ait designari, non vero solam pecuniæ & auri cupiditatem. Atque hanc esse cupiditatem ait, quam *omnium malorum radicem* esse testatur Apostolus.

Cor inclinatum.

Auaritia & cupiditas.

1. Tim. 6. 10.

Vt ergo dispositionem & indifferentiam illam omnes habeamus, vt nimirum eo talento, quod à Deo recepimus, & statu ac

tu ac gradu, in quo nos ipse posuit, contenti viuamus, satis nobis est, nosse hanc Dei voluntatem esse. Vnde ait Apostolus: *Hac autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult.* Quo loco Apostolus metaphora vtitur sumpta à corpore humano, quam supra nos alia occasione adduximus; dicitque, quod, quemadmodum singula Deus membra in corpore posuit, prout voluit, nec conquesti sunt pedes, quod facti non essent caput; nec manus, quod non essent factę oculi; ita in corpore Ecclesiæ (quin & in corpore Religionis) in eo vnumquenque Deus statu & officio posuit, in quo eum ponere voluit: idque non casu aut fortuito, sed particulari eius nutu ac prouidentia. Si ergo Deus te velit esse pedem, nefas est velle esse caput: si manus, non debes velle esse oculi. Quam alta, profunda & sublimia sunt Dei iudicia! Quis ea comprehendat? *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Omnia ex te procedunt Domine, & ideo in omnibus es laudandus: tu scis, quid vnicuique dari expediat, & cur iste minus, & ille amplius habeat: non est nostrum, sed tuum est hoc discernere.* Vnde nosti, quid futurum sit de te, si magno esses ingenio, & naturam nactus habilem? Vnde nosti, vtrum si donum & talentum concionandi accepisses, si multos auditores haberes, magnique ab omnibus fieres, hoc ipsum tibi non esset in perniciem futurum, sicut aliis plurimis in perniciem fuit, dum eo superbierunt & euanuerunt? *Scientes*, ait idem sanctus Scriptor, *libenter volunt videri, & sapientes dici.* Si exiguo quod habes ingenio, si tenui tua scientia, si tua mediocritate, & fortasse etiam infra mediocritatem, tam euanescis & insolescis, vt te æstimes, & alijs compares, & fortasse etiam præferas, & conqueraris, quod ad hoc & illud tractandum non eligaris, quid esset ergo, si excelleres? Quid, si dotes aliquas raras & extraordinarias nactus esses?

1. Cor. 12. 11. — *Tract. 4. c. 4.* — *In Ecclesia variæ functiones, vt in corpore membra.* — *Iudicia Dei occulta.* — *Sap. 9. 13.* — *Th. à Kemp. lib. 3. de imit. Christi, c. 22.* — *Lib. 1. c. 2.* — *Grauiore lapsu culmina ruunt.*

Formicis alæ adnascuntur in propriam perniciem: ita forte & tibi alæ adnascerentur. Profecto, si haberemus oculos, & non velamina obnubilãtia, infinitas potius Deo datori gratias ageremus, quod in humili infimoque nos statu collocarit, ac diceremus cum sancto illo viro: *Pro magno etiam reputo beneficio, Domine, non multa habere, vnde exterius, & secundum homines laus & gloria apparet.*

Alæ formicis noxia. — *Li. 3. de imit. Christi, c. 22.*

Norant sancti, quantum in hisce excellentijs ac talentis periculi subesset, vnde etiam non solum ea non desiderabant, sed etiam sibi ab eis quammaxime timebant, ob magnum, quod in ijs latet, euanescendi pereundique periculum (*ab altitudine diei timebo:*) itaque Deo gratiores fiebant, seruos suos potius humiles esse volenti, quam magnos. Vtinam ipsi nobis tandem aliquando id persuadeamus, & credamus, omnia nonnisi meras esse inanias & stultitiam, præterquam Dei facere voluntatem! Vtinam omne nostrum gaudium in Dei beneplacito poneremus! Si ille sine vllis litteris, & tu cum exigua tua scientia & tenui talento magis Deo places, ad quid ille doctrinam, tu maiorem scientiam, maiorem habilitatem, & talenta maiora cupis? Si quam enim ob causam ea desiderare deberes, id esset, vt per ea Deo magis satisfaceres, ac placeres, eique melius seruires. Iam si magis ei placeat, vt vel prorsus indoctus sis, vel non doctior, ac minus talentum aptitudinemque à natura habeas (vti certum est eum velle, cum ipse sit, qui hanc donorum distributionem fecit) quid angeris, aut te crucias? Ad quid esse cupis illud, quod te esse non vult Deus, & quod minime tibi expedit vt sis?

Periculosa dona maiora. — *Psal. 55. 4.* — *Humiles respicit Deus.* — *Placere Deo anima finis.*

Sicut Deo non placuere holocausta & splendida sacrificia, quæ Saul offerre ei voluit, quia non erat hoc voluntati eius conforme: ita nec Deo placebunt alta illa & elata desideria tua. Neque enim in eo bonum nostrum, profectus & perfectio sita sunt, quod litterati, & eximij ac celebres simus concionatores, aut quod illustria dona & talenta habeamus, quod denique in altis & sublimibus rebus versatissimus: sed, quod voluntatem Dei faciamus, quod bonam eorum, quæ ipse nobis

1. Reg. 13. 10. & c. 15. 21. — *Melior est obedientia quã victima.*

nobis concredidit, rationem reddamus, quod denique talentum acceptum bene impendamus. Quare in hoc oculos conijciamus oportet, non autē in prius illud: hoc namq; est, quod à nobis Deus reqrit.

Vita nostra comœdiæ similis.

Egregie hoc declarabit ea, quæ à comœdis & actoribus sumitur, comparatio: quibus commendatio & præmium non tam ob personam, quā repræsentant, quā ob bonum agendi modū, quo suas quisq; partes agit, dari solet. Vnde si melius suam agat is, qui rustici personam agit, quā qui Imperatoris, plúris ab auditoribus æstimabitur, magisq; laudabitur, & maius ab agonothetis honorarium accipiet. Pari modo in hac vita (quæ tota nonnisi quædam actio & comœdia est, quę statim finitur; vtinam vero non aliquando tragœdia sit) Deus non tam respicit & æstimat personam quam agimus, hic quidem superioris, ille concionatoris, alius æditui, alius ianitoris; quam gestus & modum, quo suam quisque personam agit. Vnde si suo coadiutor aliquis officio laudabiliter fungitur, & melius suam personam repræsen at, quam suam prædicator & Pręposítus, pluris apud Deum fiet, maiusque & amplius præmium & honorem recipiet.

Non quam personam, sed quam bene egeris, quæretur.

Non posset forte alter ille bene Regis personam agere; quia vero armigeri aut pastoris bene repræsentauit, hinc & honorem tulit, & lauream adeptus est: sic & tu fortassis nō posses cum laude partes agere prædicatoris, vel superioris personam repræsentare, confessarij vero bene & prout oportet, repræsentas, vti tu alicuius coadiutoris. Nouit quippe Deus optime partes scenicas distribuere, & eam cuique personam assignare, quæ ipsi conueniat, & sua *vnicuiq; secundum propriam virtutem* & vires talenta diuidere, vti in Euangelio scribitur. Hinc nemo aliam, præter attributam personam, aut dignius talentum desideret: sed quam quisque personam accepit, eam bene agere, acceptum talentum debite impendere, & bonam eius rationē datori reddere ꝓcuret: Ita namq; magis Deo cōplacebit, & maius ab eo præmium ac coronam accipiet.

Non omnia possumus omnes.

Matt. 15. 15.

Quæ tibi præcepit Deus, hac cogita semper.

Capvt XVI.

De conformitate cum voluntate Dei, quam in morbis & inualetudine præferre debemus.

Sicvt sanitas ingens Dei donum est, ita est & morbus & ægritudo, quam ad nostri probationē, correctionē, & emendationem, & alia multa bona & commoda ex ea sequi solita, Deus nobis subinde immittit: vti sunt, agnoscere quam simus imbecilles, vanitatem nostram exuere, à rerum terrenarum & sensualibus appetibus mentem diuellere, effręnes maximi aduersarij nostri, carnis, inquam, impetus debilitare, ac vires eius retundere; recordari denique, terram hanc patriam nostram non esse, sed in ea nos sicut in diuersorio rurali, atq; tristi exilij loco agere: atq; alia id genus. Vnde dicit Sapiens: *Infirmitas grauis sobriā facit animam*, & fortem. Hinc tam conformes nos esse oportet cum Dei voluntate & infirmitate, sicut in sanitate, illam velut à manu Domini Dei profectam, quandocunq; is eam nobis immittere dignatus fuerit, acceptādo.

Ægritudo donum Dei.

Ægritudinis commoda.

Eccl. 31. 2.

Omnia de manu Dei amantis.

Quidam de priscis illis Patribus discipulo suo ægrotanti dicebat: Noli, fili mi, ob hanc infirmitatē cōtristari, sed ingentes Deo potius ꝓpter eā gratias age: si. n. ferrū sis, per hunc ignē rubiginē & scoriā depones; si aurum, per eundem purgaberis, & purior redderis. Magna quippe virtus est, inquit, & insignis religio, in infirmitate Deo gratias agere.

In ægritudine Deo agenda gratia.

S. Clara virgo duodetriginta annos continēter diris fuit morbis afflicta; quo toto tempore tantam patiētiam ac silentium ostendit, vt nemo eam de vexatione ac malo suo conquerentem murmurantemve audierit; sed è diuerso assidue Deo gratias agentem. Quin etiam in vltima suā infirmitate, quæ tam grauis fuit, vt septemdecim ipsis dieb. ne buccellam quidem in stomachū traijcere potuerit, cum eam Confessarius P. Reginaldus consolaretur, & ad patientiam in tam longo tot mor-

Surius in vita.

S. Claræ patientia & indifferentia.

morborum martyrio præferēdam cohortaretur, respondit: Ex quo Domini nostri Iesu Christi gratiā per seruum eius Franciscum cognoui, nulla mihi *infirmitas* dira visa fuit, nulla *pœna* molesta, nulla *pœnitentia* onerosa.

S. Liduuinæ 38. annorum morbus.

Sur. tom. 7 f. 277. & Villegas 3. p. vita 189.

Admirabilis est quoad hoc propositum & rarissimi exēpli, quæq; infirmis omnibus multum animi & cōsolationis dabit, vita S. Liduuinæ virginis, triginta & octo annos grauissimis & extraordinarijs morbis & doloribus conflictatæ; & quidē 30. postremos tam grauiter, vt nec paupere lectulo surgere, nec pedem in solo figere posset. Quo tempore durante, illustria ei Dominus spiritus charismata contulit.

Verum, quia particulares aliquot rationes sub maioris boni specie & prætextu, quo indifferentiam hanc & conformitatem impediant, nobis solent occurrere, ad illas hic respondebimus, easq; breuiter dissoluemus.

Contra infirmitatem Obiectio I.

Sum molestus aliis.

Responsio.

Male alios iudicas.

Primo, dicet aliquis: Parum quidem mea referret, ægerne sim, an bene valens; at hoc me cruciat, quod religioni onerosus, & domui toti grauis esse videar. Ad hoc respondeo, eum, qui ita loquitur, Superiores suos, atq; adeo domesticos omnes paruæ charitatis, & exiguæ cum Dei voluntate conformitatis insimulare: cum etiam Superiores suæ perfectionis studio teneantur, & omnia velut à Dei dextera venientia, accipere, inque ijs diuinæ eius voluntati se conformare satagant. Proinde, si te Deus ægrotare, illosque in te curando recreandoque occupari velit, ipsi pariter id volent: & sicuti tu crucem, quam tibi Dominus imponit, in humeros patienter accipis, ita quoq; illi suam magna cum voluntatis conformitate accipient.

Obiectio II.

Æger fructum nullum facio.

Responsio.

Rursus dices: Charitatem, quæ in Societate hac in parte exercetur, satis quidem perspicio; attamen doleo & angor, quod eum per infirmitatem fructum facere impediar, quem bona valetudine vtens studendo, concionando, confessiones excipiendo, facere possem. Huic obiectioni egregie respondet S. Augustinus, dicens, prorsus nescire nos, vtrumne melius futurum sit facere id, quod vellemus, an vero ipsum omittere; ac proinde nos pro capacitate nostra res agendas dirigere & constituere debere; atque ideo, si deinde, prout ipsi eas concepimus ac designauimus, eas exequutioni mandare possumus, non esse, cur lætemur (quia id factum est, quod ipsi & cogitabamus & volebamus) sed ideo tantum, quia id ita fieri Dominus voluit: si autem postea, quod ipsi cogitabamus & designabamus, ad effectum non deducitur, non propterea turbari nos, aut pacem cordis amittere debere: quia *æquius est, vt nos eius, quam vt ille nostram sequatur voluntatem.* Quam deinde tractationem idem admirabili quadam sententia concludit: *Nemo,* inquit, *ordinat, quod agat, nisi qui paratior est non agere, quod diuina potestate prohibetur, quam cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur.*

Ignoras quid vtile sit.

In Dei voluntate acquiescendum, non in nostra.

lib. de catech. rudib. c. 14.

Hoc ergo modo & cum hac indifferentia ordinare & designare debemus ea quę nobis agenda sunt; nimirum, vt semper paratissimi simus ad nos Dei voluntati conformandos, si forte res statuta suum effectum non sortiatur. Atque ita non turbabimur, nec contristabimur, quando per infirmitatem, aut alio simili casu exequi non poterimus, id quod facere cogitaueramus & designaueramus, etsi alioqui res ipsæ in se animabus sint maxime proficuæ. Vnde bene R. P. Magister Auila, Sacerdoti cuidam ægroto scribens: *Ne, quæso, respicias ad id, quod faceres, si sanus esses; sed cogita potius, quam placiturus sis Deo, si in morbo tuo cum Dei voluntate te conformes. Et si pure, vt equidem reor, Dei voluntatem quæras, quid amplius tibi confert sanum esse, quam ægrum, cum eius voluntas omne nostrum sit bonum?*

Tom. 2. epist.

S. Iohannes Chrysostomus plus Iobum meruisse, & magis Deo placuisse, ait, dicendo: *Sicuti Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, cum illius voluntate se in illis ærumnis & vice-

Iob. 1. 21.

Iob patiens plus meruit quam benefaciens.

ribus ab eo immissis conformando, quam eleemosynis & bonis, quæ faciebat, dum esset sanus & opulentus. Pari modo magis Deo placebis illius voluntati te in ægritudine conformando, quam bonum quodcunque in bona valetudine faciendo.

De grad. virtut. c. 24. & lib. 2. de prof. relig. c. 37. adfertur hoc ex S. Greg.

Idem habet & S. Bonauentura: *Perfectius*, inquit, *est aduersa tolerare patienter, quam bonis operibus insudare.* Quia Deus mea & tua opera non indiget, ad fructum, quem prætēdit, in Ecclesia sua faciēdum: *Ego dixi*, inquit Psaltes, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipsemet iam tibi concionari per hanc ægritudinem vult, teque patientiam & humilitatem edocere: permitte ergo Deum facere; vt qui nouit, quid magis tibi congruat, tu vero id ignoras. Si quam ob causam sanitatem & robur corporis desiderare deberemus, ideo sane ea desideranda essent, vt in Dei obsequium, eique magis placendo illa impenderemus. Iam si Deo gratius sit, magisque placeat, vt ego cum ægritudine conflicter, & morbi labores patienter tolerem, fiat voluntas eius: hoc namque melius est, ac mihi magis conueniens.

Psal. 15. 2.

Infirmitas tua Deo gratior, quam opera tua.

Act. 28. 30.

Si ipsum Apostolum Paulum, Doctorem Gentium, biennio integro in carcere Dominus agere voluit, & quidē eo tempore, quo Ecclesia adhuc tenella, eius opera tantopere indigebat; durum tibi nō videatur, quod te bimestri vel biennio, imo tota vita, si ita illi videretur, ægritudine velut captiuum detineat; quia Ecclesiæ Dei adeo non es necessarius, atque erat Apostolus Gentium.

Paulus in carcere Deo gratior, quam in cathedra.

Nonnullis, dum longa continentique infirmitate & languore correpti, lecto affixi iacent, graue videtur, quod communitatem sequi non possint, & multis in rebus singulares esse cogantur; atque ideo contristantur, dum putant se vel non tam religiosos esse, quam sint alij, vel saltem cæteris offendiculo & scandalo fore, ipsorum particularitates & priuilegia singularia videntibus: præsertim, quod subinde infirmitas ac necessitas,

Obiectio III. Singularis sum, & alios offendo.

qua quis laborat, non tam deforis videtur, quam intus latet, vt solus Deus, & qui eam patitur, æger, eius sint conscij. Hæ autem singularitates & exceptiones statim videntur, & in oculos omnium incurrunt.

Responsio.

Ad hoc respondeo, respectum hunc bonum videri, atq; adeo æquum & laudabile esse, ita sentire; ita tamen, vt is conformitatem cum Dei voluntate tempore infirmitatis præferendam minime debeat impedire; sed meritum potius conduplicare, dum ex vna parte totaliter te cum Dei voluntate in omnibus indispositionibus & morbis, quod ille te hos pati velit, conformas; ex alia parte, intensum, quantum est ex parte tua desiderium præfers omnia Religionis exercitia accurate exacteque peragendi, & in corde tuo doles, quod quidquid alij faciunt, ipse facere non possis. Quia hac ratione, præterquam quod multum merearis, infirmitatem hanc cum magna tui cum Deo conformitate & patientia tolerando, per secundum hoc non minus mereri potes, quam cæteri, qui integro corpore & bona sunt valetudine, & idcirco hæc omnia exercitia peragunt.

Bonum desiderium, si sit ordinatum indifferentia.

Æger voluntate meretur, quod sani patientia plus quam illi.

S. Augustinus declarans, quomodo sancto Quadragesimæ tempore, sub peccati mortalis reatu omnes ieiunare teneantur, & simul etiam de eo, qui ob morbum & infirmitatem ieiunare nequit, loquens, satis huic esse ait, quod cum ieiunare nō valeat, cum dolore cordis comedat, gemēdo & suspirando, quod abstinentibus cæteris, ieiunare ipse neutiquam valeat. Sicut generosum militē qui iam vulneratus in tabernaculum refertur, magis cruciat, quod iam cōfligere, Regiq; suam operā præstare nō valeat, quā ipse vulnerū dolor, & durior eorum curādorum ratio. Ita boni Religiosi, si quando præ ægritudine lecto affixi iacent, magis angi ac dolere debent, quod vna cum alijs cōmunia exercitia Religionis obire nequeant, quā ob ipsam, quā patiūtur, ægritudinē. Verū nec hoc, nec aliud quodcūq; tandē incōmmodū impedire nos debet, quo minus

Serm. 62. de tempore.

Infirmus comedendo meretur.

Infirmus desideret labores, sed cum resignatione.

cum

cum voluntate Dei nos in infirmitate conformemus, eam velut à manu illius ad maiorem suam gloriam, ac maius bonum & vtilitatem nostram submissam, acceptando.

Hier. in vitis Patrum. Monachus quidam ægriens, cum S. Iohannem Abbatem, vti memoriæ prodidit S. Hieronymus, rogaret, vt se à morbo & ardentissima, qua laborabat, febri, liberaret, ab eo audiuit: *Rem tibi necessariam cupis abijcere; vt enim corpora intro vel aliis huiusmodi linimentis abluuntur à sordibus, ita animæ languoribus aliisque huiusmodi castigationibus purificantur.* *Morbus necessarius ad puritatem animæ.*

CAPVT XVII.

Non tam est in medicis aut medicamentis, quam in Deo fiducia nobis collocanda: nec in infirmitate solum, verum & in aliis omnibus rebus, in ea contingere solitis, nos cum illius voluntate conformemus oportet.

QVIDQVID de infirmitate dictum est, etiam de reliquis omnibus, quæ ea durante occurrere solent, rebus intelligendum venit. S. Basilius pręclarum nobis assignat documentum, quod in morbo nobis vsu veniat. *In reg. fusius disput. 55.* Ait enim, ita nobis medicos & medicamenta adhibenda, vt omnem in ijs fiduciā nō ponamus. Quod *2. Par. 16. 12.* Asa Rex cum fecisset, à S. Scriptura reprehenditur: *Nec in infirmitate sua*, inquit, *quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.* *Plus Deo, quam medicis fidendum.* Quod enim à morbo curemur, aut è diuerso non cōualescamus, non est medicis medicamentisve penitus adscribendum; sed omnis nobis est fiducia in Deo collocanda: qui interdum per hæc, & non per illa medicamenta sanitatem nobis restituet.

Deus etiam sanat sine medicis. Vnde etiam non est nobis, inquit Basilius, quando medicus & medicina nobis desunt, propterea de sanitate recuperanda desperandum. Nam, sicut in Euangelio legimus, *Matth. 8. 2.* ipse Redemptor Iesus interdum sola voluntate ægris salutem reddebat, vti leproso illi, cui petenti dicentique: *Domine si vis, potes me mundare*, respondit; *Volo mundare.* Interdum aliquid deforis applicando, sicut, dum è sputo lutum conficiens, eoque oculos cœci inungens, ei præcepit, vt in natatoria vel fonte Siloe se lauaret. *Ioan. 9. 11.* Alias ægros in suis languere morbis permittebat, eosque sanitati reddi nolebat, etsi omnem in medicos & medicamenta substantiam suam insumerent. *Christus alios volendo, alios faciendo, alios nullatenus sanauit. Marc. 5. 26. Luc. 8. 43.* Ita Deus facit & modo; nonnunquam quippe ægro salutem dat sine vllis medicis & medicamentis, at sola sua voluntate: alias mediantibus his medicamentis: alias denique, quantumlibet multi adhibeantur medici, ac varia efficaciaque applicentur medicamina, sanitatem reddere non vult: Vt hinc discamus, non in medijs humanis, sed in solo Deo spem & fiduciam nostram constituere. *Deo confide, non in medijs humanis.*

4. Reg. 20. 7. Sicut Ezechias Rex sanitatem recuperatam non tam massæ ficuum, quas suo Isaias vlceri applicuit, quam Deo adscripsit: ita tu, quando ab infirmitate sanaberis, non medicis aut medicinis debes, sed vni Deo, qui sanat omnes infirmitates nostras, salutem attribuere. *Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanauit omnia.* Vti nec de medicis vel medicamētis conqueri, quando sanitatem non recuperas, sed totum Deo id imputare, qui adeo tibi sanitatem dare non vult, vt etiam in morbo languere iugiter sinat. *Sanitas aut languor Deo non medicinis adscribenda.*

Similiter, quando medicus vel morbi tui genus non intellexit, vel in eo curando errauit (quod non raro, etiam medicis peritissimis, & in maximæ authoritatis viris contingit) hunc ipse errorem, velut Dei destinato factum, accipere debes, vti & negligentiam & errorem, quem circa te commisit infirmarius: nec dicere, quod is circa te error admissus est, idcirco te in febrim reincidisse, sed omnia velut à Dei manu venientia accipere, ac dice- *Error medici aut infirmarij Deo non fortuitus.*

dicere: Placuit & visum est Domino, vt hæc in me febris adaugeretur, & huiusmodi mihi casus aut malum accideret. Certissimum namque est, etiamsi respectu te curantium error hic commissus sit, Dei tamen respectu eum nonnisi destinato certaque deliberatione euenisse: cum apud illum nihil casu aut fortuito fiat.

Tobiæ & Iobi afflictiones à Deo permissæ.

Putasne transuolatum illum hirundinum, & pij Tobiæ per earundem stercora excœcationem casu & sorte euenisse? nihil minus: facta namque ea sunt annuente, volente, & singillatim permittente Deo, vt in eo nos patientiæ exemplum haberemus, vti & in sancto Iobo. Testatur id Scriptura: *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Vnde & postea ei dixit Angelus: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

Tob. 2. 12.

Tob. 12. 13.

Refert etiam Doroth. doctrin. 7.

Abbas Stephanus, sicut in Vitis Patrum scribitur, æger ex morbo decumbebat, hinc qui ei aderat, socius quandam ei tortulam farinaceam coxit, cui, dum oleum oliuarum indere se putat, oleum lineum, quod maxime amarum est, & insipidum, ei inspersit, itaque ægro seni porrexit. Stephanus eam vt gustauit, pauxillum de ea comedit, & tacuit. Cum post aliam simili modo socius coxisset, & eam senex vt gustauit, comedere noluisset, ait: Comede Pater, quia sapida est. Atque hoc dicens, vt ægrum suo ad comedendum exemplo inuitaret, eam prægustauit: cuius amarorem percipiens, turbari cœpit, & dicere; Homicida sum. Tum senex: Noli turbari, fili; si enim Deus te noluisset errare, in vno olei genere pro alio accipiendo, ipsum non fecisses.

Error hominum à Deo volitus.

Sanctorum in morbis indifferentia.

Sic & alios sanctos, non paucos, magna animi conformitate & patientia, quę sibi adhibebantur remedia, etsi morbo, è quo laborabant, directe aduersantia, legimus admisisse. Ad hunc ergo modum nos cum errata medici, tum negligentias infirmariorum debemus accipere, de his scilicet non conquerendo, in illum autem culpam non conijciendo.

Æger indifferens valde ædificat.

In hac re sane virtus hominis mire relucet & patescit: hinc Religiosus æger, qui, quidquid sibi offertur, mira animi æqualitate & alacritate accipit, tanquam à Dei manu profectum, seque a Superioribus atq; infirmarijs dirigi gubernariq; sinit, suiipsius obliuiscens, seipsum totaliter negligens, non mediocriter alios ædificat. Vnde S. Basilius: Si animam, inquit, Superiori tuam concredidisti, cur non & corpus ei fidis? Salutem æternam in manus eius consignasti, quare non & temporalem ponis? Cum autem regula copiam & licentiam nobis faciat, ad omnem corporis nostri curam tunc abijciendam, atque adeo idipsum præcipiat, nostrum est id magnifacere, & tam vtili plausibilique licentia vti.

Da corpus ei, cui animam dedisti.

Regula liberat infirmos à cura sui.

3. p. Constit. c. 2. lit. G.

Contra magno omnibus offendiculo est Religiosus ille, qui, dum æger est, magnopere de se sollicitus est, de eo, quod sibi dandum est, & quomodo id dandum sit, & num sibi per omnia & exacte pareatur, anxie disquirit, quique, si quid desit, conqueri & expostulare nouit.

Ægritudo animam purificat.

Vnde Cassianus: Corporis infirmitas, inquit, nullum est ad cordis puritatem habendam impedimentum, quinimo mirifice ad hanc iuuat, si quis illam ita, prout oportet, nouit accipere. Vide ergo, inquit, ne corporis ægritudo ad animam transeat. Si quis autem ex ægritudine occasionem hauriat voluntatis propriæ faciendæ, obedientię & parentiæ excutiendæ, tunc ad animam ægritudo penetrare dici potest, & ipsa in causa erit, vt magis de spirituali sit, quam de corporali subditi sui infirmitate Superior sollicitus futurus.

Cauendum, ne morbus à corpore ad animã transeat.

Æger regulis tenetur, & perfectionis acquirendæ.

Quod quis infirmus sit, non propterea debet desinere videri & esse Religiosus, aut cogitare nullis ideo se regulis iam obstringi, atq; adeo fas sibi esse, omnem in sanitate sua recuperãda, delicijsq; consectandis curam constituere, proprijque profect⁹ obliuisci. *Qui ægrotat,* ait B. P. N. *humilitatem & patientiam suam præ sefe-*

Reg. 50. Sumã

Militia est vita hominis. *rendo, nō minorem ædificationem, dum morbo laborat, quā dum valebat corpore, ad maiorem Dei gloriam præstare curet.*

Psal. 5. 3. S. Ioannes Chrysostom. super illa Prophetæ verba: *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, docens, quomodo, quoad diu viuimus, semper nobis pugnandum sit, ac proinde semper ad pugnā parati armatiq; incedere debeamus, tam ægroti quam sani, ait: *Morbi tempore huius maxime pugnæ tempus est, quando dolores undique conturbant animam, quando tristitia obsident, quando adest Diabolus incitans, vt acerbum aliquod verbum dicamus*, & in querimonias murmurationemque prorumpamus: atq; ideo virtutem tum potissimū exercere & patefacere necesse est. *Morbi tempore maxime pugnandum.*

Epist. 78. Hinc Seneca docet, virum fortem, fortitudinis suæ exercendæ etiam in lecto occasionem habere, non minus in contra morborū dolores ac molestias, quam in acie aduersus hostes pugnando, quia præcipua & potissima fortitudinis pars in perferendo magis, quam in confligēdo consistit. Testatur id etiam Sapiens, dum ait: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* *Æger fortitudinem in perferendo maxime ostēdere potest.*

Capvt XVIII.

Confirmantur superiora aliquot exemplis.

Blosius c. 11. monit. spirit. Beatæ virgini Gertrudi aliquando apparuit Redemptor Iesus Christus, ferēs in dextera sua sanitatē, & in sinistra infirmitatem, monens, vt, vtram vellet, eligeret. Ipsa ab vtraque manu Domini se auertens, ait: *Domine ego toto corde desidero, vt non meam voluntatem respicias, sed tuum beneplacitum in omnibus perficias, & quod ad maiorem tuam gloriam facit.* *Voluntas Dei non sanitas expetenda.*

Marul. lib. 5. c. 4. Iacob. de Voragine. Quidam S. Thomæ Cantuariensi addictus ac deuotus, æger illius sepulcrum adijt, eum rogaturus, vt sibi à Domino sanitatem impetraret. Quam consequutus, & ad suos reuersus, cogitare secum cœpit, cur, si illa infirmitas sibi magis ad salutem consequendam conueniret, sanitatem postulasset. Tanti porro apud eum ponderis hæc ratio fuit, vt sancti Martyris sepulcrum rursus adiens, ipsum precatus sit, vt, quod sibi ad salutem æternam consequendā magis consentaneum esset, id sibi dare dignaretur. Cui cum Dominus hunc ipsum morbum immisisset, mire eo gauisus fuit; facile intelligens, hunc sibi præ valetudine expedire. *Qui male sanitatem obtinuerat, maluit postea infirmus esse.*

Simile quid in vita Sancti Vedasti Episcopi legitur: Cœcus quidam, quo die sancti huius corpus eleuabatur, quam ardentissime sanctas eius reliquias suis oculis contueri desiderabat: qui cum voti factus esset compos, & vidisset, quod desiderarat, oculosq; sibi restitutos aduerteret; Dominum orauit, vt, si visus ille sibi ad animæ bonum non expediret, priorem sibi cœcitatem redderet. Qua oratione facta, suos rursus sibi oculos eripi, seque vt ante cœcum esse sensit. *Idem accidit cæco.*

S. Antonius Abbas, vt narrat Hieronymus, cum euocatus à S. Athanasio Archiepiscopo, Alexandriam se contulisset, vt illum in hæresibus ibidem suppullulantibus confutandis & extirpandis adiuuaret, inuenit ibi Didymum, virum eruditissimum, at oculis corporeis destitutum: qui cum Antonius multa de sacra Scriptura conferens, tam profundam in eo doctrinam comperit, vt illius ingenium & doctrinam maximopere admiraretur. Hac tractatione absoluta, quæsiuit ab eo, num ob hanc cœcitatem contristaretur: ille autem tacuit, & præ pudore respondere ausus non fuit. Donec secundo & tertio idem rogatus, ingenue confessus est, ob illam se cōtristari. Quem consolatus Antonius, ait: Miror te virum tam eruditum & tam præstātis ingenij propterea mœrore confici, quod careas eo, quod muscis, formicis, lacertis, & vilibus terræ animalculis donatum est; & non potius lætari, quod habeas id, quod soli sancti & Apostoli habere meruerunt. Vnde videre est, inquit Hieronymus, multo esse potius spirituales oculos habere, quam corporales. *S. Hier. epist. ad Castrat.* *Didymi cœci doctrina & ingenium.* *Oculi animæ corporis oculis potiores.*

S. Do-

Chron Fratr. Præd. 1 p. lib. 1. c. 19. authore Ferdin. Castillio.

S. Dominicus Romæ habitans, mulierem quandam afflictam, morbidam, arcte reclusam, illustrem Dei famulam, quæq; ad portam S. Ioannis in Laterano in turri solitaria agebat, identidem visitabat: quin & confessionis, ac Venerabilis Eucharistiæ Sacramenta ei non raro ministrabat. Mulieri nomen erat Bona. Cui nomenclaturæ ita ipsa vitæ suæ modo respondebat, vt eam ceu bonam Deus in laboribus & vitæ ærumnis lætari, in morte vero solum quietem inuenire faceret. Putidum hæc in mammillis vlcus habebat; vtpote quas dudum edax cancer depasceret, ac vermes fœtidissimi incolerent: quem cruciatū cum alius quislibet, quia enormis erat ferre non potuisset, ipsa nihilominus incredibili patientia ac silentio ferebat, Deoque assidua gratiarum actione benedicebat. S. Dominicus, quod eam ita morbis vexatam, & in virtute tam solide fundatam cerneret, magnopere erga ipsam afficiebatur. Quadam ergo die, postquam illam Sacramentis vitalibus refecisset, horrendum & purulentum illud vberum vlcus sibi petijt ostēdi. Quod etsi Bona initio detrectaret, sancti tamen viri postulatis tandem morem gessit. Vt ergo retectis mammillis, Dominicus putidam purulentiam, apostema, cancrum, & vermes ex ijs scaturientes conspexit, simul eius patientiam & animæquitatem; eiusdem quidem commiseratione motus est; has tamen plagas & apostema omnibus terræ thesauris & gemmis prætulit, vnumq; sibi de vermibus illis proserpentibus, quasi pretiosas aliquas reliquias dari petijt. Non tamen eum Bona dare voluit, quam ei Dominicus eum se redditurum promitteret: Quia iam tum tantopere se etiamnum viuam rodi ac comedi gaudebat, vt, si quis vermium illorum in terram difflueret, eum ipsa suum in locum reinsereret. Quare, fide prius accepta, vnum satis grandem & longum, & caput nigrum præferentem Dominico dedit. Vixdum eum Dominicus in manus acceperat, & ecce in gemmas pretiosissimas conuertitur. Quo viso perculsi adstantes fratres, Patrem suum rogant, ne Bonæ lumbricum reddat: Ipsa vero, eum ex compromisso instanter postulans, suam sibi petijt restitui gemmam. Sed dum illa Bonæ redditur, in priorem vermis formam rediens, ab ipsa mammillis, in quibus enatus & alitus erat, inseritur. Dominicus vero Dominum pro illa deprecans, eique cruce facta benedicens, inde decessit. Sed cum è turris gradibus descenderet, putida mulieris vbera vna cum vermibus omnibus exciderunt, & paulatim noua succrescente carne, paucis post diebus sanitati est restituta, enarrans omnibus, quæ per seruum suum Dominicum Dominus mirabilia operabatur.

Vermes Bonæ patientis in gemmas conuertuntur.

S. Dominici benedictio sanat cancrum.

Fr. Reginaldus, vti eadem historia prodit, dum cum S. Dominico de veste religiosa assumenda serio agitaret, & iam eam induere firmiter apud se statuisset, non multo post in continuam incidit febrim, &, vt quidem medici censebant, mortalem, S. P. Dominicus de illius valetudine mirum in modum sollicitus, assidue Deum Optimum Maximum pro eo oratione interpellabat: & tam ipse, quam æger, miro animi studio ac sensu, Deiparæ Matris opem exposcebant. Hæc ambo dum instanter orant, ecce tibi Reginaldi cubiculum sacratissima cœli Regina, mirabili & cœlesti quodam fulgore resplendens, alijs duabus virginibus beatis (& vt quidem apparebat, S. Cecilia & Catharina Martyribus) comitata ingreditur, quæ vna cum beatissima Virgine, ad ægrotantis lectulum propius accesserunt. Hunc ergo clementissima cœlitum Regina, & mater pietatis, consolata est, dicens: Quid tibi vis faciam Reginalde? Nam venio, vt postulata tibi concedam: ergo hæc quæ sint, audacter mihi dicito; nam haud dubie voti tui compos redderis. Turbatur ad hæc eius verba animi dubius Reginaldus, & cœlesti visione velut consternatus, hæret anceps, nescius quid aut ageret aut peteret. Sed vna de sanctis illis Deiparæ comitibus, hanc ab eo quamprimum

Voluntas Dei non nostra petenda.

hæsitationem excussit, dicens: Nihil certi petas, frater, sed omnia petenda illi committe, siquidem melius illa tibi dare, quod necesse est, nouit, quam tu poscere. Consilium hoc adeo prudens & discretum, æger sequutus, hoc modo Deiparæ Matri respondit: Nihil prorsus peto, Domina, & aliã voluntatẽ non habeo, quam tuam vnius: in illã ergo & manus tuas totum me resigno. Quas ipsa tũ blande extendens, & oleũ, quod ad hunc effectum comites secum tulerant, accipiens, Regináldum vnxit, eo prorsus modo, quo morituri solẽt sacro oleo inungi. Tantæ porro sacrarum illarum manuum contactus fuit efficaciæ, vt statim reliquerit eum febris, & ita confirmatis fuerit viribus, tanquam si nunquã ægrotasset. Et (quod amplius est) ad singulare illud redditæ sanitatis corporeæ beneficium, aliam maiorem in anima gratiam ac virtutem accepit; quod nimirum ex illo die nullum amplius in se, quoad vixit, carnalem inhonestumque vllo in loco vel occasione motum senserit.

B. Virginis vnctio sanitatem & castitatem tribuit.

Hist. Eccle. p. 2. lib. 6. c. 2.

In historia Ecclesiastica scriptum est, inter omnes, qui illa tempestate floruerunt, viros sanctos eminuisse Beniaminum quendam: vtpote cui à Deo datum erat infirmos omnes, nullo extrinsecus adhibito medicamento, curare, tantum leuiter manu eos tangendo, oleo paululum inungendo, & orationem super eos fundendo. Etsi vero ægris quibuslibet sanitatem restitueret, hydrope tamen ipse mire affligebatur, itaque distentus ab eodem & inflatus erat, vt per cellæ suæ ostium egredi non posset, sed cardines eius & postes illi egressuro diuelli oporteret. Porro ad octo menses in ea conclusus, sic laborauit iugiter in laxissima quadam sede sedens, donec tandem demortuus est: in qua sedens etsi multos morbidos persanaret, de sua tamen infirmitate neutiquam conquerebatur, nec expostulans murmurabat, quod sibiipsi sanitatem reddere non posset. Eos vero, qui sui commiseratione tangebantur, consolabatur, ac dicebat: Rogate Deum tantum pro anima mea, de corpore parum estote solliciti, quia etiam dum sanus eram, ad nihil id mihi vtile erat.

Æger ipse alios sanat.

Corporis vix vlla, animæ magna cura habenda.

Barnabas Monachus, cum in via in paxillum pedem induisset, ad dies aliquot eum sibi tolli noluit, nec à plaga curari, vt sic aliquid pro amore Dei pati posset. Ijs autem, à quibus inuisebatur, dicebat, quanto magis is, qui exterius est, homo patitur & mortificatur, tanto magis qui interius est, viuificatur & corroboratur.

Corpus patiatur vt anima lætetur.

In vita S. Pachomij Surius.

Monachus quidam nomine Zachæus, vti in vita sancti Pachomij scribitur, tametsi epilepsia iugiter laboraret, non propterea vel apicem de solito rigore & abstinentia sua, qua ad panem nudum nonnisi salem addebat, remittebat: tam quoq; frequens & assiduus in oratione erat, ac cæteri bene valentes, semper vna cum ijs ad Matutinum & reliquas horas confluens. Reliquo autem tempore, quod illi ab oratione vacuum erat, storeis, sportulis, & funibus è sparto texendis sese occupabat: cuius asperitate manus ita cõuulneratas habebat, vt sanguis illi iugiter è fissuris decurreret: quod nonnisi otij vitandi gratia faciebat. Nocte vero, antequam se ad quietem componeret, aliquid pro more è sacra Scriptura meditabatur, crucisque se signo deinde communiebat: quo facto, paulisper dormiebat, vsq; dum tempus matutinarũ instaret; ad quas, vti dictum est, surgebat, ac tamdiu in ijs & in oratione reliqua perseuerabat, donec illucesceret. Hoc scilicet modo suum sanctus ille æger tempus dispertiebatur, hæcq; ordinaria eius erant exercitia. Sed cum alius eum Monachus inuiseret, manusq; eius conuulneratas & cruentas videret, suasit, vt oleo eas inungeret, fore enim, vt illæ scissuræ tantos dolores non afferrent. Fecit id Zachæus; sed adeo dolor non est imminutus, vt etiã magis increuerit. Verũ cum ipse deinde S. Pachomium inuiseret, narratoq; quid malo pellendo fecisset; ait illi vir sanctus: Putasne, fili, Deum infirmitates nostras nõ intueri, &, si ipsi placuerit, eas sanare nõ posse?

Ægri Zachæi ieiuniũ, labor & oratio.

Medicina morbum auget.

Infirmorum curam Deus sibi reseruat.

Quod ergo eas minime sanet, sed in ijs diu nos languere sinat, donec non rogatus auferre eas ipse velit, ideo id ab eo fieri credendum, vt nostri curam omnem illi concedamus, inq; eo solo fiduciam nostram collocemus: ad magnũ quoq; animarum nostrarũ bonum & vtilitatem, vt nimirum nobis postea pro breuibus illis laboribus, quos nobis immittit, mercedẽ & coronam adaugeat, & velut duplicatam rependat. His auditis Zachæus, mire animo compunctus: Ignoscat, inquit, mihi Deus hoc paruæ in eum fiduciæ, & cum diuina eius voluntate conformitatis, & desiderij sanitatis peccatum. Hinc, postquam Pachomius inde discessit, leuẽ hãc noxam anno integro tam rigido expiauit ieiunio, vt nonnisi post duos ieiunij dies cibum gustaret, & eum quidem tenuissimum, & quem etiam cum lachrymis misceret. Memorabile hoc Zachæi exemplum Pachomius identidem apud fratres suos commemorare solebat, vt eos ad perseuerãdum in laboribus, in Deo confidendum, & leuia delicta non parui facienda cohortaretur.

Zachæus leue delictum magna eluit pœna.

CAPVT XIX.

Quam tam in morte, quam in vita nos præferre oporteat, cum Dei voluntate concordiam.

CONFORMES insuper cum Dei voluntate esse debemus, tam ad moriendum, quam ad viuendum. Et quanquam ipsum mori ex se perdifficile sit & peracerbum (ait siquidem Philosophus: *Omnium rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius*) in Religiosis tamen difficultas hęc magna ex parte est imminuta, & acerbitas dulcorata: quia iam medium, imo prope totum viæ, qua ad mortem itur, cursum confecimus.

Mors difficile.

Arist. 3. Eth. c. 6.

Mors Religiosis suauis.

I. Religiosus bona fortunæ iam ante reliquit.

Nam primo, ideo præcipue mundanis hominibus ipsa mors acerba, & eius hora dura esse solet, quod opes, honores, voluptates, delectationes, commoda, delicias, quibus hac in vita fruebantur, amicos item, consanguineos, hic charam vxorem, ille filios dilectissimos relinquere cogantur: quæ singula in illa angustiæ hora non parum hominem turbare & angere solent, præsertim quando ijs ante occursum non est. Vniuersa hæc mature in tempore Religiosus iam reliquit; vnde ea relinquere, illi nec graue est, nec difficile.

Si quando dens molaris iam vndequaque decarnatus est, & à gingiuis solutus, nullo negotio ore educitur; at si eum non oblata circũsecus carne, educere chyrurgus satagat, ingẽtem tibi dolorẽ adferet: ad eundem modum Religioso, qui ab omnibus mundi rebus iam dudum diuulsus & sequestratus est, in hora mortis graue non est easdẽ penitus relinquere: iam dudum enim eas volũtarie magnoq; merito suo, dũ primũ Religioni nomẽ dedit, reliquit; nec expectauit, vsq; dum eas in mortis hora aliquando relinqueret, vt faciunt mundani, quãdo eę necessitate premente (etsi ipsis inuitis, & magno cũ dolore & amaritudine, ac sæpenumero sine vllo merito) relinquendæ sunt: quia tunc suos illæ potius possessores, quam illas deserunt. Atq; hic est vnus de præcipuis, quos mundi abnegatio, & Religionis ingressus continet, fructibus, vti bene obseruat Chrysostomus; quod nimirum mundanis, qui in opibus, voluptatibus, & delicijs vitæ huius requiem suam & pacem collocarũt, mors accidat quam pœnosissima, iuxta illam Sapientis gnomen: *O mors quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantia sua!* Si vel ipsa mortis memoria tam amara est, quam erit dura eius præsentia! Si sola cogitatio amaricat, quomodo amaricabit gustus? Religioso autem, qui iam dudum omnia illa deseruit, mors adeo non amara est, vt etiam læta, iucunda ac sapida sit, vtpote malorum eius finis, & laborum terminus, & in qua ipse præmium & mercedem pro omni eo, quod causa Dei reliquit, est recepturus.

Similitudo.

Morientes deseruntur, non deserũt mundum.

Homil 14. in 1. ad Tim.

Fructus Religionis mortis suauis.

Eccl. 41. 1.

Memoria est amara, quid faciet præsentia?

II.

Lib. de bono mortis, c.8.

Bona conscientia Religiosum in morte recreat.

Alterum, quod in hora illa mundanos maxime affliget, ac causa esse solet, vt mors ijs terribilis ac horribilis accidat, iuxta sanctum Ambrosium, est mala conscientia, & quod ad eam se minime disposuerint: quod in Religioso tem nec locum habet, nec habere debet: nam vniuersa eius vita quid est aliud, quam continua quædam ad bene moriendum præparatio & dispositio? Religiosus quidam æger, cum à medico, vt se ad mortem disponeret, commoneretur, dixisse fertur: Ex quo hunc habitum indui, aliud quotidie non feci, quam ad moriendum me præparare. Hoc quippe Religiosi est exercitium.

Religio est mortis meditatio.

Castitas & charitas mortem cōdiunt.

Hom.13.in Euangel.

Quinimo ipsemet Religionis status nos eam dispositionem docet, quam in suum aduentum haberi Redemptor Christus vult: *Sint*, ait, *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lumborum autem pręcinctio, inquit Gregorius, castitatem, lucernæ ardentes in manibus gestatæ, bonorum operum denotant exercitiū: quæ sane duæ res in religiosa vita potissimum locum habent. Quocirca boni Religiosi est, mortem non formidare.

Tract.2 c.5.

Desiderium mortis signum bonæ conscientiæ.

Luc.12.36.

Notandum autem hic (quod ad propositum nostrum mirifice faciet, & quod etiam supra insinuauimus) inter cætera manifesta signa, quod bonam quis conscientiam habeat, & bene illi cum Deo sit, esse, quod cum diuina eius voluntate quoad horam mortis suę, mire sit conformis, eamque summo cum gaudio vbique expectet, perinde ac si sponsum suum expectaret, cum quo cœlestia illa sponsalia, & nuptias celebret. *Et vos similes hominibus expectātibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.*

Mortis metus malæ conscientiæ signum.

E diuerso, quo quis mortem inuitus subeat, & hanc cum Dei voluntate conformitatem non habeat, bonum id signaculum non est.

Simile.

Isa.53.7. Act.8.32.

Ouis paret, porcus resistit.

Insignes aliquot rei huic declarandæ adferri solent comparationes. Non vides, qua ouicula mansuetudine & quiete ad laneonem suum abeat, vtpote nec balatum edendo, nec vllo modo resistendo. Quam etiam similitudinē de Redemptore Iesu sacra Scriptura adducit, dicēs: *Tanquam ouis ad occisionem ductus est.* At animal immundum porcus quam grunnit & reluctatur, dum ad mortē abripitur. Tale etiam est inter bonorum, qui per oues repræsentantur, & improborū & carnalium, quos alia illa animalia immunda designarit, mortem discrimen.

Innocens sperat, reus metuit aduentum iudicum.

Psal.141.8.

Qui ad mortem sententia iudicum condemnatus est, quotiescunq; ianuam carceris aperiri audit, contristatur, & totus perhorrescit, singulis vicibus adesse lictorem ratus, à quo ad mortē rapiatur: at innocens, & qui liber & innocens a iudicibus pronūtiatus est, quoties carceris fores reserari percipit, gaudet, cogitans se iam in libertatem asserēdum. Ita impius, dum mortis mouere & strepere seram audit, dum, inquam, à morbo affligitur, mente concutitur, & grauiter angitur: quia, quoniam sauciam habet conscientiam, iamiam se educendum credit, vt æternis tartari ignibus addicatur: at, qui bona conscientia, lætatur potius, quod per mortis ianuam se norit in libertatem & quietem sempiternam asserendum. Nos ergo agamus, quod bonos Religiosos agere par est, & non solum difficultatem nullam sentiemus, cum Dei voluntate in hora mortis nos cōformemus, verum etiam mire exultabimus, & cum Propheta à Deo petemus: *Educ de custodia*, id est, de carcere, *animam meam.*

S. Greg. lib. 6. Mor. c.16.

Iusti in morte cœlum, impij infernum prægustant.

S. Gregorius illa Iobi verba, Et bestias terræ non formidabis, exponens, ait: *Iustis namque initium retributionis est ipsa plerumq; in obitu securitas mentis*: iam tum quippe guttulam quandam pacis illius, quæ ceu flumen quoddam exundās, iamiam in animas ipsorū influxurum est, prægustant, & suā beatitudinē auspicantur: improbi econtra iam tum tormentum & infernum suum, per angorem, tremorem, & remorsum illum, quem in illa hora sentire incipiunt, præsentire videntur.

Climac.c.6.

Adeo vt mortem desiderare, & ea gaudere satis bonum sit signum. Vnde Climachus: *Laude dignissimus est*, inquit, *is,*

qui

Non in dies sed horas mors speranda.

In ora. funeb. in obitu Val. Imp. to. 5. & de fide resurr.

Patriarchæ ceu peregrini patriam sperabant.

Heb. 11. 14.

qui omnibus diebus mortem expectat; sed ille sanctus, qui nulla non hora eam desiderat. Sic & sanctus Ambrosius laudat eos, qui ardens quoddam moriendi habent desiderium: quod habuisse profecto constat priscos illos Patriarchas, dum se vt peregrinos & hospites, non vero habitatores & possessores esse in terra crederent, *confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.* Et sicut bene Apostolus obseruat: *Qui hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* & ad ex hoc exilio emigrandum anhelare.

Psal. 119. 8.

Hoc item erat, ad quod tam impense & audacter Propheta regius suspirabat, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.*

Cœlo aperto mors magis optabilis.

Si autem veteres illi Patres, etiam porta cœli clausa & obserata, & cum etiam statim à morte in illud ingredi non poterant, hæc dicebant, & tantopere desiderabant; quid erit modo, cum fores cœlorum iam patent, & anima, quæ expurgata iam est, quamprimum ad Dei conspectum & fruitionem admittitur?

CAPVT XX.

Aliquot adferuntur rationes & motiua, ob quæ licite sancteque mortem desiderare possumus.

Mortis optandæ rationes.

VT vero melius maiorique cum perfectione voluntati diuinæ, tam in morte, quam in vita conformemur, aliquot hic motiua & rationes adducemus, propter quas mortem desiderare liceat, vt meliorem ex ijs seligamus.

I. Vt vita ærumnis liberemur.

Eccl. 30. 17.

Prima itaque ratio, ob quam desiderare homini mortem liceat, est, vt labores & ærumnas, quas vita hæc mortalis includit, eius adminiculo deuitet. Nam, vt ait Sapiens: *Melior est mors, quam vita amara* & laboriosa. Sic videmus, etiam ab ipsis mundanis sæpe mortem optari, & omnibus votis à Deo desiderari: quod etiam sine vllo peccati reatu fieri potest. Tanti namq; & tam graues sunt vitæ huius labores & ærumnæ, vt, ad ijs carendum, mors à quopiam possit optari.

Aug. lib. 2. contra 2. ep. Gaudentij. c. 12. tom. 7.

Cur Deus mundum fecit amarum.

Vt ad cœlum anhelemus.

Apoc. 21. 4.

Cur autem tantis in vita homines diuexari laboribus Deus sinat, inter alias, quas sancti Patres assignant, causa hæc est, ne mundo tam perdite adhærescerent, vitamque hanc mortalem æquo impensius diligerent; sed in aliam illam toto animo & dilectione ferrentur, & ad eam incessanter suspirarent, vtpote *vbi non erit luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra.*

Serm. 37. de Sanctis, qui est primus in festo omnium Sanctorum.

Hæc vita breuis, quia amara, illa æterna, quia læta.

Addit vero Augustinus, clementissimum Deum, ex infinita qua est bonitate & misericordia, statuisse, vt vita hæc, quia laboribus & malis obnoxia est, breuis foret, & cito finē acciperet; alia verò, quam expectamus, æterna & perennis; scilicet vt labor esset breuis, gaudium & requies perpetuò duraret.

Serm. super c. 7. Iob. to. 2.

Mors remediū ærumnarum vitæ.

De illa sic loquitur Ambrosius: *Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non pœna*, &, nisi eam Deus in castigationem & pœnam immitteret, hanc ipsi nobis è misericordia, & velut donum ac remedium dari cuperemus, quo grauia mala & ærumnæ finem aliquando acciperent.

Mors peti potest, sed cum patientia.

Sæpe quidem, fateor, mundani homines quoad hoc peccant, in eo, quod in malis hisce ferendis magnam impatientiam præferant, tum quod nonnisi quiritabunde, expostulando, & cum impatientia, mortem à Deo deposcant: sed si pacifice & cum plena sui subiectione eam peterēt, hoc modo, Domine, si placeat, educ me ex hisce malis; satis mihi est, quod vixi; peccatum non esset.

II. Mors optanda, ne publica mala videamus.

Secundo, tum maiori mors perfectione desideratur, quando ea de causa optatur, ne Ecclesiæ mala & persequutiones, & continuæ, quæ in Deum Optimum Maximum committuntur, iniuriæ, videantur. Sic eam optauit Elias Propheta, cum Achabi & Iezabelis vexationem, cum altaria destructa, cum omnes Dei Prophetas interfectos cerneret, seipsum deni-

Eliai.

denique ad eandem necem conquiri sciret: quare zelo honoris diuini actus, & ijs se malis mederi non posse cernens, in desertum se recepit, & sub arbore iunipero

3.Reg.19.4.

se prosternens, *petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*, ne tot mala & offensas tui videam: *neque enim melior sum quam Patres mei.* Et generosus ille populi Dei dux Iudas Machabæus dicebat: *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum*, & honorem Dei proculcatum. Atque hoc dicto suos ad strenue pugnandum exhortabatur & animabat.

Machabæi.

2.Mac.3.59.

S. Augustin. vnum è trib. in obsidione petiuit, mortem obtinuit.

Sic etiam S. Augustinus, vti in eius vita legimus, Wandalis ex Hispania in Africam traijcientibus, eamque vniuersam ita destruentibus, vt non viro, non mulieri, non clericis, non laicis, non pueris, non senibus parcerent, & iam Hipponam, cui ille vt Episcopus præerat, magna militum manu obsidentibus, tantam populi sui tribulationem, atque adeo Ecclesias clericis, vrbesque ciuibus hostili gladio iam iugulatis viduatas cernens, quam amatissime in sua senectute plorabat. Et clericis suis in vnum locum conuocatis, Tria, inquit, Dominum rogaui, vel vt nos ab hisce periculis liberet, vel ad ferendum patientiam concedat, vel me è vitæ huius ergastulo educat, ne tanta mala videre cogar: tertium porro mihi ipse concessit. Nec fefellit: nam tertio obsidionis Hipponensis mense male valere cœpit, è quo etiam morbo post paulo demortuus est.

B. Ignatius mori maluit, quam Ecclesiæ perturbationem videre.

Simile quoque exemplum in vita B. P. nostri Ignatij legimus. Hæc scilicet est perfectio sanctorum, ita nimirum ob Ecclesiæ persecutiones, & quæ aduersus diuinam maiestatem committuntur flagitia, dolere & contristari, vt ea ferre æquanimiter nequeant; atque ideo ad mortem iugiter anhelent, ne tantum tamq; graue malum videre cogantur.

III. Vt Deum vltra non offen-

Tertia, eaque etiam bona, prægnans, multumque perfectionis ad mortem optandam, & precibus à Deo postulandam causa & ratio est, quod à morte non amplius eum sumus offensuri, & à peccando plane liberi. Certum namque est, quod, quamdiu in hac vita agimus, nulla nobis sit de non peccando securitas, sed in peccatum mortale incidere possimus; & constat alios nobis perfectiores, quia illustribus Dei donis ornati erant, & vere sancti, & quidem illustres sancti, erant, fœde prolapsos esse. Hoc inter cætera seruos Dei maxime percellit & timere facit, & hoc est, ob quod ex hac vita emigrare ardentissime desiderant. Si vt non pecces, desiderare tibi liceat etiam non natum fuisse, & nunquam extitisse, quanto magis non? Maius quippe malum est peccatum; quam non esse, & melius esset non esse, quam peccasse. De suo proditore Iuda dicebat Redemptor noster IESVS: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et hunc in sensum exponit sanctus Ambrosius illud Ecclesiastæ: *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes; & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est. Mortuus*, inquit, *præfertur viuenti, quia peccare desinit: mortuo præfertur, qui natus non est, quia peccare nesciuit.*

damus, mors optanda.

Lapsus sanctorum concutit iustos.

Peccati malitia.

Matt.26.24.

Serm.18. in Psal.118.

Eccl.4.2.

Quamobrem laudabile exercitium erit, si sæpe in oratione hosce actus exerceamus, *Domine ne permittas me separari à te:* Domine, si te offensurus sum, ante me ex hac vita celeriter educito, quam te offendam: Non aliam ob causam viuere volo, quam vt tibi seruiam; &, si viuendo tibi seruire non possim, posthac viuere detrecto.

Malo mori quam peccare.

Est autem hoc exercitium Deo longe gratissimum, nobisque inprimis vtile: in eo namque exercetur cum dolor & detestatio de peccatis, tum humilitas & amor Dei; item res in eo petitur, qua nulla à Deo peti potest gratior.

Actus cõtritionis Deo gratissimus.

Sancta illa Regina Blanca, S. Ludouici Galliæ Regis mater, filio suo identidem dicere solebat: Mallem te iam mortuum videre, fili mi, quam vt vllum lethale crimẽ admitteres. Tantopere porro Deo hocce desiderium & benedictio materna pla-

S. Blanca, S. Ludouicum à mortali peccato præseruat.

na placuit, vt nullum is tota vita peccatum mortale dicatur admisisse. Eundem effectum forsitan & in te, desiderium & petitio hæc operabitur.

Martyr est qui moritur, ne peccatum veniale committat.

Adhęc, mortem desiderare, non solum ad mortalia peccata euitanda bonum est, sed etiam ad venialia, sine quibus vita hæc duci non potest. Seruus quippe Dei paratus esse debet mori potius, quam vt vllum peccatum non solum mortale, verum etiam veniale (v.g. officiose mentiri) committat; & sane qui hanc ob causam mortem pateretur, verus esset martyr. Cũ certo certius sit, nos, si diu viuamus, multa peccata venialia commissuros: nam *septies in die cadet iustus*, id est sæpius, imo, quo viuit diutius cadet frequentius. Et non solum ad venialia hæc peccata euitanda optant serui Dei ex hac vita egredi, sed etiam vt se à tot defectibus & imperfectionibus, tot item tentationibus ac miseriis, quot quotidie experiuntur, immunes se ac liberos videant. Vnde bene sanctus ille scriptor: Heu Domine quid patior: *Propono me fortiter acturum, sed cum modica tentatio venerit, magna mihi angustia fit:* & dum de cœlestibus cogitare volo, carnalia magno impetu menti se ingerunt. *Heu! qualis est hæc vita, vbi non desunt tribulationes & miseriæ; vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia! nam vna tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit; sed & priore adhuc durante conflictu, alij plures superueniunt & insperati. Quomodo potest amari vita tantas habens amaritudines, tot subiecta calamitatibus & miseriis? quomodo etiam dicitur vita, tot generans mortes & pestes?*

S. Thomas. 2. 2. q 124. art. 5. ad 1. Prou. 24. 16.

Kempis lib. 3. de imit. Christi c. 20.

Vitæ tædium ex miseriis eius laudabile.

Mors homini maxime eligenda.

Illustris quædã sancta dicere solebat, se si quid homini eligere fas esset, aliud quam mortem non esse electuram: illa enim mediante, anima timere desinit, ne quid vnquam exinde committat, quod, quo minus pure Deus ametur, impedimento sit. Maioris proinde perfectionis esse videtur, si quis cupiat dissolui vt venialia peccata, imperfectiones, & defectus euitet, quã vt mortalia. Fieri quippe potest, vt mortalia committere nolit,

Magna perfectio mori velle, ne venialiter pecces.

potius quod infernalia tormẽta horreat, ac solo suiipsius amore teneatur, quam ex amore Dei: sed tam ardenti erga Deũ amore ferri, vt mors optetur, ne qua venialia aut leues defectus & imperfectiones admittantur, insignis est puritatis intentio, & magnæ perfectionis argumentum.

Dices, Idcirco viuere cupio, quo pro culpis & delictis meis faciã satis. Ad hoc respondeo, si diutius viuendo, semper quid de preteritis demeremus, nouas vero ad priores culpas nõ adderemus, laudabile quidẽ id propositũ foret. At si, nõ modo de debito nihil imminuis, sed ipsum semper aggrauas, & quo diutius viuis, eo plura tibi accrescunt de quibus Deo sit ratio reddenda; tunc non erit ea bona responsio. Vnde bene conqueritur S. Bernardus, *Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua quãto amplius viuimus, tanto plus peccamus; quãtò est vita lõgior, tanto culpa numerosior?* Et S. Ambrosius: *Quod esse discrimen putas inter eum qui moritur puer, & eũ qui demoritur senex, nisi quod hic peccatis abeat oneratior, & pluriũ coram Deo culparum reus, quam ille?*

Sepe plus peccamus quam satisfacimus diu viuendo.

Cap. 2. Meditat.

Epist. ad Heliodorum.

Cum ætate peccata augentur.

De inter demo. c. 35.

Longe melius hac in re animatus erat S. Bernardus; qui quoad hoc propositum quædam magna humilitate de se cõfitetur, quæ maiori cũ veritate nos de nobis dicere par esset. *Viuere erubesco, quia parũ proficio; mori timeo, quia non sum paratus. malo tamen mori, & misericordiæ Dei me committere & commendare, quia benignus & misericors est, quam de mala mea conuersatione alicui scandalũ facere.* Est hæc profecto laudabilis quædam resolutio.

S. Bernardus maluit mori quam tepiditate scandalum dare.

R. D. M. Auila autem dicebat, ei etiam qui nonnisi mediocrem dispositionẽ haberet, mortem tamen potius desiderandum videri quam vitam; idq; ob assiduũ in quo degimus, peccandi periculum, quod omne per mortem tollitur. Vnde & præclare S. Ambrosius, *Quid est mors, nisi sepultura vitiorum, & virtutum suscitatio.*

Mors optanda ne peccemus.

Lib de bono mortis c. 4.

IV.

Mors optanda amore Christi

Omnes quidem hæc mortis desiderãdæ rationes & motiua bonæ sunt, at omnium perfectissima est illa, quæ Paulum

Apostolum ad eam optandam incitabat, vt nimirum Christum, quem tam ardenter desiderabat, videret: *Desideriũ*, inquit, *habens dissolui: & esse cum Christo.* Quid ais Paule? cur à corpore hoc dissolui, & liberari cupis? An forte vt labores in Euangelij prædicatione subeundos effugias minime; quin imo *glorior in tribulationibus.* Quamobrem ergo? Vt à peccando sis tutus? ne ideo quidẽ: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à caritate Dei.* Erat namque iam in gratia confirmatus, certusque de ea non amittenda, proinde non erat cur hac ex parte timeret. Quare ergo tantopere ad mortẽ aspiras? Vt sim cum Christo ex puro scilicet amore eam desiderabat; *quia amore languebat*, adeo ad amatum suum anhelabat: hinc omnis mora & dilatio, quantumuis exigua, longa illi videbatur, quo dilecti præsentia frueretur.

Phil. 1. 23.
Rom. 5. 3.
Rom. 8. 38.
S. Pauli eximia charitas.
Cant. 2. 5.

Tres gradus charitatis.

S. Bonauẽtura inter tres amoris diuini gradus hunc vt vltimum assignat. Quorum primus est, Deũ super omnia amare,

I. *Præcepti.*

ita inquam quidquid in mũdo est diligere, vt ob nullum horum peccatum mortale admittamus, nec vllum Dei mandatum violemus. Hoc est, quod adolescenti illi Euãgelico Redemtor suasit, *Si vis*, dicens, *ad vitam ingredi, serua mãdata.* Hoc porro omnium est.

Matt. 19. 17.

II. *Consilij.*

Alter caritatis gradus est, vt nuda mãdatorum obseruatio nobis satis non sit, sed ad eam insuper Euangelica consilia adiungamus: quod Religiosorum proprium est, qui non modo id quod bonum est, sed etiam quod melius & perfectius, procurant, secundum illud Apostoli, *Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplaces, & perfecta.*

Rom. 12. 2.

III. *Impatientia amoris.*

Tertius, inquit Bonauentura, amoris gradus est, *tanto affectu ad Deum æstuare, quod sine ipso homo quasi viuere non possit:* hinc liberari, & à corporis huius carcere eripi gestit, vt sit cum Christo, hocq; exilium finiri, & corporis huius parietem, qui inter Deum & nos interiectus est, atque impedit quo minus Deũ videamus, dissolui & corruere cupit. Qui tales sunt, iis vita hæc quædã patiendi materia, aut potius fastidio est; mors vero in votis, & plane desiderabilis.

Sic B. P. N. Ignatius quã ardentissime è corporis huius custodia eripi desiderabat animaque eius tantopere ad Dei fruitionem anhelabat, vt, cum de moriendo cogitaret, lachrymas, quas ex puro gaudio oculi eius destillabant, inhibere non posset. Quamquam non tam mortem optabat, vt ipse ex parte sua summi illius boni particeps fieret, & beato illo Dei conspectu donaretur, quam vt felicissimam sacratissimæ humanitatis filij Dei, quem tam affectuose deperibat gloriam conspicaretur.

Lib. 5. c. 1. Vitæ.
B. Ignatius spe mortis flebat, non suam sed Christi gloriam sperans.

Et sicut hic in terra amico volupe est, eum, quem toto corde diligit ad honores & dignitatẽ euectum videre: ita B. P. N. cum Christo Domino esse auebat, sui ipsius proprij commodi & quietis prorsus oblitus, sed ex puro erga Christum amore. Gloria scilicet Christi Iesu gaudere & exultare cupiebat, eique de eadem cõgratulari. Atq; hic altissimus & perfectissimus amoris est gradus, ad quem homo queat pertingere.

Purus amor Christum non se quærit.

Hoc modo mortis memoria adeo nobis amara non erit, vt etiam mire nos recreatura sit, & gaudio cumulatura. Vlterius porro progredere, & considera post paucos dies cœlo te beandũ, ibiq; donãdum eo quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis potest ascendere, & omnia tibi in gaudiũ & delectationem cõuertenda Quis porro nõ exultet, ꝙ exilij sui iam sit finis, & laborũ terminus? Quis non gaudeat, quod iam finem vltimatum, ad quem à Deo conditus fuit, cõsequatur? Quis non lętetur, ꝙ hæreditatis suę, & quidem hæreditatis tam opulentæ, possessionẽ adeat? Atqui per mortis ianuam in cœlestẽ hæreditatẽ ingredimur. *Cũ dederit dilectis suis somnũ, ecce hæreditas Domini.* Neq; enim ad bonorum illorum æternorum possessionẽ admitti possumus, nisi mediante morte. Hinc *iustum* Sapiens ait *in morte sua sperare.* Ipsa namq; medium & scala est, per

Mors cœlum aperit.
Psalm. 126. 3.
Prou. 14. 32.

quam

Mors dulcedo & spes nostra. quam in cœlum ascendatur. Vnde etiam ipsa vnicum nostrum est in hoc exilio solatium. *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* (*Psalm. 10.2.*) Sic porro locum hunc Prophetæ declarat August. Intentio & desiderium meum, Domine, est, vt tota vita me immaculatum conseruẽ, & hoc intendẽs semper tibi psallam. Carminis autem mei materia erit, quando hoc exilium terminabitur Domine? quãdo venies ad me? quando ego, Domine, proficiscar ad te? *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* (*Psalm. 41.3.*) Heu, quã diu illa hora differtur! quam mihi iucũdum erit audire, cum eam iam adesse mihi nuntiabitur! *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* (*Psalm. 121.1.*) Id est, Iã mihi videbar illuc, ad Angelorum beatorumque omnium Societatem admissus, ibiq; stans te Domine in sempiterna seculorũ sæcula frui. Amen. (*Desiderium vitæ æternæ canticum iustorum.*)

CAPVT XXI.

In quo quæ dicta sunt, nonnullis confirmantur exemplis.

HOMINI cuidam opulento, sicut in vita S. Ioannis Eleemosinarij Patriarchæ Alexandrini refert Metaphrastes, filius erat, quem enixissime amabat: quẽ vt Deus in vita & sanctitate sopitem conseruaret, B. Ioannem adit, rogans vt pro eius incolumitate Dominum compellaret; simul etiam magnam auri vim, quam in pauperes effunderet, ea intentione ei dedit. Fecit rogata Ioannes: nihilominus tricenis post diebus filius diuitis demoritur. (*Deus exaudit ad salutem non ad voluntatem.*) Cuius morte nimium quantum afflictus parens, credit orationem & eleemosinam, quæ ad eum incolumem conseruandum facta erant, frustranea fuisse. Episcopus ergo cognita viri mœstitia, pro eo Deum precatus est, vt eum consolari dignaretur. Audiit orationem clemens Deus; & ecce nocte quadam ad hominẽ illum Angelum de cœlo submisit, qui diceret orationem, quæ pro filio eius facta fuerat, à Deo fuisse exauditam, atque ob eam ipsum in cœlo viuere & sospitem agere. addebat eum quam commodissime & oportunissime illo quo mortuus erat tempore defunctum esse, quo saluaretur: Si enim vixisset, ob vitã flagitiosam Dei se conspectu indignum reddidisset. Nosset adhęc, nihil eorũ quę in hac vita quotidie contingunt, sine iusto Dei iudicio & nutu euenire, etsi alioquin iudiciorum diuinorum causæ homines lateant: hominem proinde nullum inordinatæ tristitiæ locum dare debere, sed quidquid Deus fieri vult, patienti gratoque animo accipiendum. (*Nemo tristetur Deus omnino regit.*) Ad cœleste hoc monitum defuncti adolescentis pater tristitiã posuit, inque Dei voluntatem se resignans, Deo posthac seruire constituit.

In gestis Thebæorum Martyrum illustre quoddam S. Mauritius, legionis illius Thebeæ ductor, mulieri cuidam, erga se mirę affectę, beneficium legitur cõtulisse. (*Hist. Thebæa lib. 2. c. 12.*) Habebat hæc vnicum filiolum, quem, vt cum tempore sanctos piosque mores addisceret, post pueritiæ annos iã transactos, monachis Monasterij S. Mauritij concredidit, vt eius illi curam gererent; sicut id illa tempestate passim moris erat, & sicut S. Maurum, Placidum, aliosque è prima nobilitate Romana insignes adolescentes tempore S. Benedicti, parentes monachis erudiendos dabant; & sicut multis post annis S. Thomam Aquinatem in Monasterio Cassinensi, cum eius mater Theodora, tum fratres eius Comites aquinates, formandum curarunt. Adolescens ergo hic, vnicus huius matronæ filius, insignes in litteris, bonis moribus, ac disciplina monastica in Monasterio illo progressus faciebat, & iam vna cum Monachis suauissima vócula in choro canere inceperat. Sed cũ non multo post tempore ex febricula, qua aliquãdiu laborauit, exstinctus esset, afflictissima mater ad templum venit, multisque cum lachrymis cadauer ad tumulum vsque est prosecuta. Verũ multę, quas quotidie fundebat, lachrymę ne dolorẽ eius tẽperare, aut minuere, nec ipsam impedire poterãt, quo minus quotidie sepul- (*Rachel plorans filios suos noluit consolari.*)

chri locum adiret, eumq; lachrymis suis humectaret. Tum vero magis, cū officia diuina cantantibus monachis, sui se filij vocem iam amplius audire non posse recogitabat. In tristi hoc exercitio cum iugiter perseueraret, ploraretque nō modo in templo per diem, sed etiā domi suæ de nocte, ita vt requiescere neutiquā posset; tandem quadam vice flendo defatigata, in somnum incidit. Cui dormienti apparens sanctus dux Mauricius, dixit: Quid assidue filij tui mortem plangis mulier, nullum vt continuis lacrymis finem statuas? Tum illa, Ne omnes quidem vitæ meæ dies dolorem hunc meum poterunt auferre: proinde, quamdiu vixero, semper vnicum filium meū plorabo, nec ante hi oculi mei lacrymari desinent, quā eos fera mors etiam claudat, & mœsta hæc anima è corpore hoc euolet. Infert Mauricius, Noli posthac, mulier, filium tuum mortuum, quasi demortuum plangere: quia mortuum non est, sed viuus, ac nobiscum in vita æterna cœlestibus gaudiis perfunditur. Vt aūt quæ dico, vera esse credas, crastina die manu surgens ad Matutinum abi, & filij tui vocem inter aliorum fratrum officia diuina concinentiū voces audies. neq; solū cras eam audire dabitur, sed etiam quotiescunq; diuinis laudibus in templo intereris. Quare iam tandē flere desine, & lacrymis tuis modū pone, vtpote quæ gaudendi magis quam dolendi occasionem habes. Experrecta mulier, magno cum desiderio Matutinū tempus exspectauit, vt de rei veritate plane certa redderetur; dubitabat enim nū aliquod id somniū fuisset. Vt ergo optata hora venit, & ipsa templum ingressa est, in ipso Antiphonæ præludio suauissimā beati sui filij vocem agnouit, deque gloria eius qua in cœlo donatus erat secura, omnemque à se mœstitiam eliminās, infinitas Deo datori gratias egit, quotidie suauissimam illam vocem in templo illo, dum sacræ Laudes canerentur, audiens; Deo scilicet hac ratione eam cōsolante, tamq; singulari beneficio eā perueniēte.

Mater filij mortui vocem audit in choro.

Eques quidam nobilis cum in venatu feram de cunabulis subito prorumpentē solus, nullo famulorum comitāte (quod aliis feris insequendis distinerentur) magno ardore prosequeretur, procul à suis diuulsus est, donec ad syluam quandam peruenit, in qua vocem humanam mire suauem audiuit. Miratur ille talem se in deserto vocem audire (neq; enim credebat eam aut famulorum, aut alicuius eo in loco agentis vocem esse posse) & scire cupidus, qualis aut cuius ea esset, ad interiora syluæ penetrat; & ecce, incidit in leprosum tam squalido tetroq; aspectu deformē, vt commiserationem aspicientibus moueret, vtpote cuius carnes toto corpore cōuulsæ, vix ad inuicem cohærebant. Ad primum huius conspectū perhorrescens & consternatus Eques hæsit; collectis tamen aliquantulum viribus, & sumpta audacia accessit propius, eumq; verbis amicissimis compellauit, percunctās, nū ipse paulo ante cecinisset, & vndenam ei tā suauis & arguta vox venisset? Respondit leprosus, Ego sum, Domine, qui cecini, & vox hæc mihi naturalis est. Petiit dein Eques, Quomodo cantare & exultare potes cum tot malis conflictās? Tum pauper, Inter Dominū Deum meū & me, non aliud est interstitium q̃ luteus quidā paries, hoc inquā corpus meum, quo diffracto, & hoc impedimento sublato, æternæ maiestatis eius visione mox beabor: quoniam vero eū quotidie frustatim decidere & diminui video, hinc incredibili quadam cordis iucunditate gaudeo & canto, corporis huius solutionem semper exspectans, vti reuera exspecto: non enim ante, q̃ ipsum penitus soluatur, possum ad Deum fontem viuum apud quē riuos qui in æternum fluunt, reperire est, quo ab eo inebrier, ꝓficisci.

Flores Henrici Grow lib. 4. n. 88.

Leprosus spe mortis suauiter canit.

Episcopus quidam, cum graui infirmitate premeretur, & proxime instāte morte maximopere perterreretur, Dominum cœli precatus est, sibi vt vitam diutius produceret. Vnde mox illi Angelus, in pulchri adolescentis miroq; fulgore coruscantis specie apparuit, & graui seueraq; voce eum increpauit, dicens, *Pati timetis*

Cyprian lib. de mortal.

Aut patiendum aut moriendum.

metis, exire de vita non vultis, quid faciam vobis? Ostendẽs, Deo displicere quod homo ex hac vita tam ægre & inuitus discedat. Notat autem Cyprianus, Angelum hæc illi verba, dixisse, vt in suo agone ea ipse palam repeteret, & alios edoceret.

Surius.tom. 1.fol.137.

Abbas Theodosius, vti scriptum reliquit Simeon Metaphrastes, & ex hoc Surius, vsu perspectum habens, quantæ esset vtilitatis ipsa mortis recordatio, simul etiam per hoc aliquã discipulis suis in spiritu proficiendi occasionẽ dare cupiens, sepulchrum quoddam putiscens aperiri iussit, moxq; vna cum discipulis suis circum ipsum stetit, dicens, Iam, en, sepulchrum apertum est, cuius vestrũ vero primo hic exequias celebrabimus? quo dicto, manu quendã, Basilium nomine, qui Sacerdos erat, magnæq; virtutis vir, ac proinde ad mortẽ hilariter oppetendam optime dispositus & paratus, apprehendit. qui mox genu flexu, ait, Benedic mihi, Pater: ego etenim futurus sum primus, cui hoc in loco officium defunctorũ peragetur. Basilius quidẽ illud vltro petiit, Theodosius aũt ei haud grauate concessit. Quare Abbate iubente, ei etiamnũ viuẽti omnia officia facta sunt, quę mortuis fieri pro more consueuerũt: nempe primi, tertij, noni, atq; aliorũ dierum officia, donec ad quadragesimi diei exequias peruenirent. Sed ecce tibi rem mirabilem: postquam iam quadragesimo die iusta & omnes eius exequiæ absolutæ essent, Basilius bene valens & sanus, sine vllo febris aut capitis, aut quopiam alio dolore, sed velut suaui & placido quodam sopere obdormiscẽs, ad Dominum emigrauit, virtutis suæ, promptitudinis, alacritatisque, qua cum Christo Domino esse iam dudum desiderarat, præmium recepturus.

Mortem exoptans exequias sibi præmittit.

Vt vero appareat quantopere hæc promtitudo & alacritas, qua sanctus hic monachus ex huius vitæ ergastulo exire cupiebat, Deo placuerit; post hoc miraculum, statim aliud secretum est. Narrat quippe Metaphrastes, eum quadraginta cõtinuis post mortem diebus, Theodosio Abbati visum, quasi quotidie ad vesperas venriet, & cũ contubernalibus ac condiscipulis in choro præsens caneret; esto eum hi nec viderent, nec cantantem audirent, præter vnum, præ aliis virtute excellentem, nomine Aetium, qui quidẽ eum audiebat cantantem, non tamen videbat. Hic ergo Theodosium adit, rogans num fratrem Basilium cum reliquis in odeo cantantem audiret? Cui Abbas, Non modo eum audio, sed & video, &, si velis, efficiam, vt & ipse eum videas. Quare cum postridie ad sacrum officium in chorum conuenissent, vidit in eo Basilium Abbas cũ aliis fratribus, vti solebat, cantantem, eumque digito Aetio monstrauit, simul Deum rogans illius vt oculos aperire dignaretur, quo Basilium quoque videre posset. Illum ergo vt vidit & agnouit Aetius, ilico ad eum magna cũ alacritate accurrit; ipsum complexurus: at eum comprehendere nõ valuit, quia subito euanuit; clara, quam omnes audirent, voce dicens, Valete Patres fratresque, valete; nam ex hoc amplius me non videbitis.

Mortuus chorum frequentat.

Mortuus apparet sed tangi non sustinet.

Chronica Augustinianorum centur.3.

S. Columbanus iunior, cognatus & discipulus S. Columbani maioris, cum ardentissima oppressus febri, & morti iam proximus, eam (vtpote sanctæ spei plenus) omnibus votis desideraret; apparuit ei splendidus quidam iuuenis, dixitque, Noris, orationes & lacrymas, quas Abbas tuus pro tua sanitate assiduo fundit, obstare quo minus ex hac vita decedas. Vnde ipse amorose blandeque cum Abbate expostulauit, & cum lachrymis ait. Quare me violenter in ærumnosa & tristi hac vita retines Abba, & impedis quo minus ad æternam & cœlestem requiem euolem? His auditis, Abbas eius ergo plorare & orare desiit; vnde Columbanus mox, præsentibus fratribus omnibus, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis communitus, omnesq; adstantes ex animo amplexus, in Domino obdormiuit.

Oratio vitam prolongat.

Columbanus mortem exoptat.

Lib. de fide resurrection.

Thraces, referente S. Ambrosio, pro more habebant, vt si quis apud se in lucẽ prodiret, lacrymarentur; ẽ diuerso plauderent

derent & conuiuarentur, si quis vita decederet Natalicia scilicet & natiuitatem plangebant diem obitus vero & funebria festo plausu epuloq; prosequebãtur. Credebãt enim (nec sine ratione) inquit Ambrosius, eos qui in calamitosum & ærumnosum hũc mundum, tot laboribus plenum, primum ingrediebãtur, dignos esse quorum sors deploraretur; qui autem tristi hoc exilio eripiebantur & efferebãtur, vt felices deprædicandos, festaq; lætitia prosequendos, quod è tot ærumnis ac miseriis educerentur. Si porro id facerent Gentiles & pagani, qui q̃ nos Christiani à morte exspectamus gloriã, prorsus nesciebant; quid non facere & sentire par est. nos, qui fidei luce illustrati, nouimus quibus donandi sint bonis, qui pie in Domino moriuntur? Quare multo potiori iure dixit Sapiens, *Meliorem esse diem mortis die natiuitatis.*

Vita d flenda mors optãda.

Eccles. 7. 2.

Hanc etiã ob causam Redemptor noster Iesus Christus, cum ex hoc mundo ad Patrem suum esset transiturus, discipulos suos vetuit contristari, vt bene obseruat D. Hieronymus: *Nescitis*, inquit, *quid facitis*: quia *si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrẽ.* E diuerso cum Lazarum à morte suscitare ad vitam voluit, fleuit. Non fleuit, inquit, Hieronymus, quia erat mortuus; etenim statim eum erat vitæ restituturus: ideo autem fleuit, quod ad vitam hanc calamitosam denuo redire debebat, & quia, quem tantopere dilexerat, is ad exilij huius labores & ærumnas erat reuersurus.

Epist. ad Tirasium.
Ioan. 14. 18.
Ioan. 11. 35.

Christus deflet Lazari resuscitationem mortem suam defleri non vult.

Capvt XXII.

Quam cum Dei voluntate conformes & concordes esse debeamus in generalibus, quas nobis immittit, calamitatibus & malis.

Non in propriis ac priuatis laboribus & casibus solum Dei voluntati nos conformari oportet, verum & in publicis & generalibus, puta famis, bellorum, mortalitatis, pestis, aliisq; id genus cladibus ac calamitatibus, quas Ecclesię suæ immittere Deus vult. Vt autẽ melius hoc intelligatur, pręsupponendum videtur, quod, licet ex vna parte ob hasce calamitates & flagella doleamus, nosque mali & ærumnæ quam proximus noster patitur (vt par est) pigeat; ex alia tamen parte, considerãdo videlicet eas, in quãtum Deo volente fiunt, & per iusta eius iudicia decernuntur, vt nimirum illa ex iis bona & fructus eliciat, quæ ad maiorem gloriam suam nouit futura, in illis nos cum sanctissima & diuina eius volũtate possumus conformare; non secus ac iudex erga reum & maleficum se habet, quem morti adiudicare debet: qui etsi hinc, vel è naturali cõpassione, vel quod amicus suus sit, doleat ac tristetur quod talis morti adiudicãdus sit; illinc tamen sentẽtiã mortis in eũ pronuntiat, cumq; mori vult, quod ad commune Reipublicæ bonum id ita fieri conueniat.

In calamitatibus proximo condolere possumus.

Possumus tamen etiam velle quod Deus vult.

Simile.

Etsi vero nos Deus obligare noluerit, vt in omnibus illis rebus cum sua voluntate conformemur, eas & volendo, & positiue amando, sed satis illi fuerit vt eas patienter, nec diuinæ iustitiæ obluctando, & repugnando, nec aduersus eam murmurando, feramus; communiter tamen Theologi & sancti Patres docẽat, maioris perfectionis & meriti opus, perfectiorem item & maiorẽ resignationem fore, si quis eas non modo patienter ferat, verum etiam amet & vltro quęrat, in quantum scil. Dei sunt voluntas & beneplacitum, ac diuinæ iustitiæ decretum, & in quantum ad maiorem nominis eius gloriam referuntur: vti faciunt beati in cœlo, qui omnibus in rebus Dei voluntati consentiunt & se conformant; vti docet S. Thomas & vulgari hac similitudine id declarat S. Anselmus, ait siquidem ita in cœlesti gloria voluntates nostram & Dei concordes fore, vti hic sunt duo eiusdem corporis oculi; quia nihil vnus videre oculus potest, quin id etiam videat alter: atque ideo, esto duobus res quæpiam ocu-

Non tenemur flagella amare sufficit si patienter feramus.

D. Bonauent. 1. sentent. dist. 48. 42. & alii.

Perfectius est flagella etiam amare.

22. q. 19. art. 10. ad 1.
Lib. similitud. c. 63.

Sancti sunt conformes voluntati Dei.

oculis videatur, ſemper nihilominus illa vna eademque eſt. Quare ſicut ſancti in cœlo omnibus in rebus cum Dei voluntate ſe conformant, quia in omnibus illis iuſtitię illius ordinem, & maioris gloriæ diuinę finem, ad quam vniuerſa referuntur, intuentur: ita non parua futura perfectio eſt, ſi ipſi in hoc Beatos imitemur, ſi inquam cupiamus vt ipſa voluntas Dei taliter hic in terra fiat, ſicut in cœlo fit à beatis. Velle quod Deus vult, & eadem de cauſa, & eundē ob finem, ob quē id ipſe vult, nō poteſt non eſſe bonū.

Simile.

S. Auguſtinus, vt de eo teſtatur in vita Boſſidonius, cum ciuitas Hipponenſis, in qua commorabatur, à Wandalis obſidione cingeretur, magnam eius ſtragem & ciuium mortalitatem videns, illo ſe Philoſophi veteris dicto ſolabatur, *Non erit magnus, magnum putans quod cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales.* Multo potiori iure nos ipſi conſolari debemus, conſiderantes omnia illa aduerſa à manu Dei proficiſci, & hanc eius voluntatem eſſe: &, eſto cauſa, ob quā mala hæc & calamitates immittit, occulta ſit, non propterea tamen poteſt eſſe iniuſta. Iudicia quippe Dei valde ſunt abſtruſa, & abyſſus quædam profunda: ſicut dicit Propheta, *Iudicia tua abyſſus multa.* Noſtrum vero non eſt ea tenui & curta ingenij noſtri bolide inueſtigare velle: hoc namque ingens quædam eſſet temeritas. *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* quis te ad illius conſilia & arcana admiſit, vt in illa præſumas inquirere? quin potius ea magna cum humilitate reuereri, & credere ab infinita ſapientia nihil aut venire, aut venire poſſe, niſi quod maxime ordinatum eſt; & ita ordinatum, vt tandem id nonniſi in maius bonum noſtrum & vtilitatem ſit ceſſurum. Semper hoc nos fundamendum præ oculis habere oportet, nobis perſuadendo, infinitam illam Dei bonitatem & miſericordiam, ſimilia mala & calamitates non alio modo nobis immiſſuram aut permiſſuram, quā vt alia maiora bona ex iis eliciat. Hac via nimirum multos Deus ad cœlum vult deducere, qui ſi aliud iter inſiſterēt, haud dubie peſſum irent. Quam multos enim inuenire eſt, qui per hæc aduerſa & turbida ex toto corde ad Deū conuertētur, & cum vero de ſceleribus dolore ac pœnitentia ex hac vita decedentes, cœleſti donātur vita, ſempiterna alioquin morte damnandi? Quamobrem ipſum quod dura videtur eſſe caſtigatio ac flagellum, nonniſi ingens eſt miſericordia & ſingulare beneficium.

Nil mirum ligna cadere & mortales mori.

Iudicia Dei ſæpe occulta nunquam iniuſta.

Pſal.35. 7.

Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria.

Rom.11.14.

Iſa.40.13.

Deus nulla mala permittit niſi ad maius bonum.

Per tribulationes multi ſaluautur. Cap.9.

Auctor libri ſecundi Machabæorum, poſtquam atrocem & horrendam illam impiiſſimi tyranni Antiochi perſecutionem necnon immanem illam in populum Dei ſtragem, qua ille nec puerili, nec ſenili ætati, nō coniugatis, non virginibus innuptis pepercit; eius adhæc ſacrilegia, quibus templum Domini diſpoliauit & prophanauit, abominationes denique quę illo inſtigante & auctore in illo committebantur, cōmemoraſſet, hac tandē clauſula rem vniuerſam cōcludit. *Obſecro autem eos, qui hunc librum lecturi ſunt, ne abhorreſcāt propter aduerſos caſus; ſed reputēt ea quæ acciderūt, nō ad interitū, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri.*

Non ad interitum ſed ad correptionem flagellat Deus.

Quare egregie ad hoc propoſitum S. Gregorius, Sanguiſuga, inquit, dū ægri ſanguinem exugit, nihil aliud ſpectat, q̄ vt eo ſe repleat, & omnem vitalem humorem, ſi poſſit, imbibat: medicus vero eius ope nonniſi malū ſanguinē educere, & ſanitatem ægro afferre ſatagit. Idē ſpectat & Deus, dum nobis mala, aduerſa, & tribulationē immittit. Quare, ſicut æger ſtulte ageret, ſi vitiatum ſibi ſanguinem extrahi vetaret, magis ad ſanguiſugæ, q̄ ad medici ſui intentionem reſpiciendo: pari modo noſtrū eſt, in qualibet aduerſitate tā ea q̄ ab homib. q̄ ab alia quacunq; creatura nobis cauſatur, nō tā ipſos & ipſas, q̄ ſapientiſſimū medicū, Deū in quā intueri: hi omnes enim ei ſanguiſugarū vicē præſtant, & media ſunt, ad vitioſum ſanguinē eliciēdū, ac totali nos ſaluti reſtituendos aptiſſima. Quamobrē ipſi nobis pſuadeamus & intelligamus oportet,

Lib.2. Moral.c.32.

Simile.

Deus malis terminum ponit quem tranſgredi nequeunt.

omnia illum nobis nonnisi ad maius animæ bonum & vtilitatem nostram immittere. Imo vero, esto nihil aliud in hoc subesset, q̃ quod nos Dominus, velut filios dilectissimos, in hac vita castigare velit, non autem castigationem in futuram reseruare nihilominus ingens id bonum & beneficium foret.

Beneficium ingens sic flagellari.

Vita eiusdem p.2.c.4.

S. Catharina Senēsis, cū ob falsum, aduersus virgineā eius puritatē à maleuolis hominibus cōfictam testimonium mirū in modū contristaretur, apparuit illi Redemptor noster Christus, dextra coronā multo auro gemmisque pretiosissimis radiantissimā, sinistra vero aliam spinis & sentibus rigentem ei ostentans, ac dicē̄s, Noris, dilectissima mea, prorsus necesse esse te vtraque hac corona diuersis vicibus ac temporibus coronari: quo circa alterutram tibi iam delige, vtrum nempe velis in præsenti vita hac spinea coronari, illa autem pretiosa in vitam perpetuo duraturam reseruetur; vel potius in præsenti sæcuo aurea illa & pretiosa redimiri, vt post mortem te maneat hæc spinosa? Tum virgo: Iam ab hinc multo tempore Domine voluntatem meam abnegaui, quo adimpleam tuam; proinde non est meum hanc optionem facere, vt tamen ad propositionem tuam respondeam, profiteor serio me in hac vita semper sanctissimæ passioni tuæ similem ac conformem esse velle, & ex amore tuo quaslibet pœnas ac dolores in refrigeriū meum amplecti semper paratam fore. Atque hæc dicens, suis ipsa manibus spineam te manu Domini coronam accepit, totisque viribus capiti tam valide ac profunde impressit, & ipsum spinæ circumsecus perforarent; sic vt ex illo tempore ruerera magnum capitis dolorem ad multos dies è spinarum perfossione ac puncturis ortum senserit.

Flagella hic eligenda præmia æternitati reseruanda.

S. Catharina Sen. spineam capiti coronā imprimit.

CAPVT XXIII.

Aptum quoddam suggeritur medium, ad labores & aduersa, quæ Dominus nobis immittit, tam particularia quam generalia, bene & magna animi conformitate ferenda; quod est peccata nostra agnoscere, & ob ea dolere.

COMMVNIS sanctorum doctrina est, generalia illa mala & castigationes, à Deo vt plurimum nonnisi ob cōmissas à populis iniquitates & peccata immitti solere quemadmodū à sacra Scriptura, q̃ id genus exemplis plenissima est, liquido patet. Vnde sic tres pueros legimus ad Deū clamasse, *Induxisti omnia hæc propter peccata nostra; peccauimus enim, & inique egimus, & præcepta tua non audiuimus: omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti.* Sic videmus tunc olim Deum populo suo dilecto flagella immittere, & in manus hostiū eum tradere solitum, quando is in ipsum delinquebat, tunc vero eū ab iisdē liberare, cum delictorum pœnitens ad ipsum in toto corde conuertebatur.

Priusquam humiliarer ego deliqui.

Dan.3.28. & seq.

Propter iniustitias suas humiliati sunt.

Hinc Achior Amonitarum Princeps & dux, cum Holopherni plurib. declarasset filios Israel singulari quodā modo à Deo protegi, eique curæ esse, nec aliter ab eo castigari, nisi eum præuaricando à mādatis diuinis recederent; ei prudenter deinde suggessit, vt antequam bello eos adoriretur, perquireret, si esset aliqua iniquitas eorū in conspectu Domini hæc enim si esset, fore vt sub iugum potentiæ Assyriorum facile redigerentur; si vero non esset offensio populi huius corā Deo suo, frustra aduersum eum ascendi, infelicem belli euentum, & nonnisi in confusionē & opprobrium eius impugnatores fore; quoniam Deus excelsus pro populo suo pugnaret, cui nemo mortalium queat præualere.

Iudith 5.9.

Nulla nocet aduersitas, vbi non dominatur iniquitas.

Præci-

Peccati merces pœna.

Præcipue autem id Theologi notāt in verbis illis Saluatoris ad languidum illũ, qui duodequadraginta annis ad probaticam piscinam iacuerat, postquam illũ sanitati restituit, prolatis, *Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

Ioan. 5.14.

Quæ cum ita sint, vnum è mediis, quæ ad nos in calamitatibus & laboribus, tã generalibus quam particularibus, cum Dei voluntate conformandos, & eos æquanimiter ferendos, inprimis conducent, erit, statim ad nosipsos reflectere; ac peccata nostra in memoriã reducere, simul etiã quã hoc ipsi flagellũ promeruerimus: hoc enim modo omnẽ, quæcunq; demum nobis accidet, aduersitatẽ in bonam partem capiemus, eamq; minorem esse iudicabimus, quam peccata nostra commerentur.

Peccatorum memoria antidotum flagellorum.

Sensus conscientiæ tollit sensum pœnæ.

Præclare rem hanc tractant S. Bernardus & Gregorius. Ille quippe sic loquitur, *Culpa ipsa si intus sentitur perfecte, vtiq; exterior pœna parum, aut nihil sentitur: sicut S. Dauid non sentit iniuriã Semei conuiciãtis, memor filij persequentis. Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini?* S. Greg. porro in illud Iob, *Et intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua,* commentans, insigni hoc declarat similitudine. Quemadmodum ægrotus, quando vlcus & apostema suũ iam vitiato pure infectum, & carnem omnẽ putruisse comperit se haud grauate in chirurgi manus tradit, vt illud hic incidat, & carnes vbicunq; expedire iudicarit, præsecet; &, quo vlcus corruptius, malignius, & putidius est, eo ferrũ & cauterium admittit libentius: sic, dum quis ob plagã & infirmitatẽ, quam in anima sua peccatũ progenuit, vere dolet, ipsum laboris, mortificationis, & humiliationis cauma, quo plagã illam curare, & pus ac putredinẽ illius tollere Deus conatur, libenter admittit. *Dolor quippe flagelli,* inquit, *temperatur, cum culpa cognoscitur.* Quod aũt mortificationem & laborem quemcunq; illibẽter admittas, causa est, quod culparũ tuarum morbos malignitatemq; non agnoscas, & putredinẽ qua intus laboras, nõ sentias; atq; inde est, ꝙ cauteriũ & nouaculam ferre nequeas.

Serm. de altitud. & bassitud. cordu.
2. Reg. 16.11.

Lib. 10. Moral. c. 8.
Iob. 11.6.

Agnitio culpæ flagelli dolorem mitigat

Medicinam refugit, qui morbũ ignorat.

Viri sancti aũt, & veri serui Dei, non solum libenter hęc flagella recipiebant, sed etiam vltro desiderabant, & instanter illa à Deo petebant. Sic ea petebat Iob dicẽs, Quis det *vt veniat petitio mea, & qui cœpit, ipse me cõterat; soluat manum suam, & succidat me; & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Et Psalmista Dauid, *Proba me Domine, & tenta me.* Et *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Et, *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Ita sc. desiderant serui Dei à diuina eius maiestate in hac vita humiliari & castigari ait Gregorius, vt etiã, quando hinc suas cõsiderant culpas, inde vero vident ob eas minime se fuisse castigatos, non parum cõtristentur. Verentur enim & metuunt, ne forte sibi in vitam alteram (vbi rigidius ea exercebitur) castigationem Deus reseruare velit. Atq; hoc sibi vult illud, quod eo loco S. Iob addit, *Et hæc mihi sit consolatio, & affligens me dolore, non parcat.* Perinde ac si diceret, Quia in hac vita quibusdam Deus parcit, vt eos postea in altera in sempiternum puniat, ne, obsecro, hoc modo mihi in hac vita parcat, vt postea in sempiternum parcat: castiget ergo potius hic, velut clemẽtissimus pater, ne me postea cruciet in æternum, vt iudex implacabilis: quia ob eius flagella non murmurabo, non conquerar, *nec cõtradicam sermonibus sancti,* quin potius summæ ea mihi futura cõsolationi. Hoc quoq; est quod olim S. Augustinus orabat: *Hic vre, hic seca, hic nihil mihi parcas, vt in æternum mihi parcas.*

Flagella à Deo petenda.
Iob. 6.8.

Psal. 25.2.
Psal. 37.18.

Lib. 7. Moral. c. 7. & 8.
Sancti dolent, si non flagellentur.

Iob. 6.10.
Pater castiget ne iudex cruciet.

Hic non parcat vt ibi parcat.
Iob. 6.10.

Mera nostra stultitia & cæcitas est, quod tantopere ob corporales afflictiones & cruces angamur, tam parum vero ob spirituales: cum tamen magis ob peccata, quam labores & aduersa nos dolere oporteret. Si autem culparum nostrarum grauitatem & pondus pro eo atque oporteret cognosceremus & põderaremus, quodcunque flagellum nobis exiguum & to-

Peccata deflenda nõ flagella.

Iob.33.27. *Flagella minora peccatis.* *Iob.11.6.* *Præ inferno quæuis flagella dulcia.* *2.Reg.16.12.* *Flagellis peccata expiantur.* *Expedit se humiliare quam conqueri.*

& tolerabile videretur, & cum sancto Iob diceremus, *Peccaui, & vere deliqui, & vt eram dignus non recepi*, & citra condignū punior. Quæ verba cum semper in corde reuoluere, tū identidem ore repetere nos par esset. Quia quidquid demum in hac vita pati possumus, nihil prorsus est respectu pœnæ & castigationis, quam vel vnum delictum promeretur, *& intelligeres, quod multo minora exigaris ab eo quam meretur iniquitas tua.* Qui ergo considerabit in Deum se peccando offendisse, ac meruisse vt perennibus in inferno ignib. addicatur, quę non opprobria, quas non iniurias, quæ non vilipēdia æquo animo in satisfactionem expiationemq; scelerū in diuinam maiestatem cōmissorum admittet? Dauid cum à Semei maledictis & cōuitiis impeteretur, ea æquanimiter ferens, dicebat: Sinite eū, ꝑ libitu maledicat mihi, conuitietur, iniurias irroget & opprobria: *Si forte respiciat Dominus afflictionem meā, & reddat mihi Dominus bonū pro maledictione hac hodierna*, eamque in priorum peccatorū meorū satisfactionē admittat, meiq; hoc pacto misereatur: ꝙ mihi futurū q̄ vtilissimū & saluberrimū. Hoc ergo modo & nos infamias & aduersitates quaslibet par est admittere, atque æquabili mente dicere, veniant aduersa quæcunq; voluerint, forsitan Dominus hæc in peccatorum nostrorū expiationē satisfactionēue habere dignabitur: atq; hoc nobis perutile futurū esset, si ꝙ tempus conquerendo dolendoq; de aduersis impēdimus, illud huic introrsum ad nos ipsos cōuersioni impēderemus, cū & Deo gratiores essemus tum minus in illis laboris difficultatisque sentiremus.

Sancti peccatis suis flagella adscribebant.

Ita porro sancti isthoc ꝙ dicimus medium in id genus occasionib. vsurpabāt, tamq; id iis frequēs erat, vt nōnullos (vti S Catharinā Senensem & alios) legamus, quæcunq; Deus Ecclesię suę aduersa & flagella immitteret, suis ea peccatis ac defectib. attribuisse, dixisseq;, horū bellorū vnus ego sum causa: pestis huius & horū malorum q̄ Deus immittit, peccata mea sunt occasio; rati persuasumq; habētes hoc, & etiā amplius, peccata sua promereri. In cuius rei confirmationē constat, sæpe à Deo vnius ob culpam vniuersum populū vapulasse. Sicut ob peccatū solius Dauid in omnē populū Israel pestilentia est immissa, adeo vt, Scriptura teste, septuaginta hominū millia triduo ab ea sublata sint. Sed dices, Dauid erat Rex, hinc ob capitis peccatū reliqua corporis totius membra, & regnū vniuersum pœnas dedit. Respondeo, Etiam ob vnius priuati hominis, Achan inquā, ꝑuaricationem, q nescio quas reculas in excidio Ierichuntino, furto sustulerat, in totum populū Deus animaduertit, adeo vt tria fortissimorū lectissimorumq; bellatorū millia hosti tergū obuertere coacta sint. Non solū ergo ob peccatū capitis, verū etiam ob scelus particularis alicuius ac priuati Deus solet castigare. Atq; hoc in sensu exponunt & intelligunt sancti Patres id, ꝙ toties in sacra Scriptura repetitur, nempe, patrū peccata Deū in filiis vsque ad tertiā & quartā generationē punire: & culpam patris nō transiturā ad filiū, nec ob filij culpā patrē pœnas daturum (*Anima quæ peccauerit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatē patris, & pater non portabit iniquitatem filij*) sed, quo ad pœnā, rem aliter se habere & in vnum ob alterius delictū, summū iudicē Deum solere animaduertere. Quocirca fortassis ob mea, aut tua peccata, totam Deus domū, atq; adeo vniuersam Religionē puniet. Ponamus itaque nobis ob oculos, hinc quidē hāc considerationē, illinc vero Dei beneplacitū, atq, ita fiet vt sine vlla difficultate eius nos volūtati in omnibus q̄ nobis immittet aduersis, conformaturi, & cum Heli Pontifice dicturi simus, *Dominus est rerum omniū director & gubernator, quod bonum est in oculis suis, faciat*; & cum sanctis illis Machabæis, *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*; & cum Regio Vate, *Obmutui, & nō aperui os meū*, id est de aduersitatibus mihi immissis nō sum conquestus, sed eas summa cum patientia & æquabilitate toleraui, *quoniam scio, Domine, quod tu eas fecisti.* Hoc semper

Ob vnius peccatum puniti plurimi. *2.Reg.24.15.* *Iosue 7.4.5. & 11.* *Exod.20.5. & c.34.7.* *Ecclef.18.20.* *Pœna transit in alios non culpa.* *1.Reg.3.18.* *1.Mach.3.60.* *Psal.38.10.* *Solatium malorū quæ à Deo immittantur.*

ſemper noſtrum omnib. in rebus eſſe ſolatium & confortatio debet, vt dicamus, Deus hoc vult, Deus hoc facit, Deus hoc præcipit, Deus hoc nobis immittit; erit ergo mihi hoc acceptiſſimum. Alia ergo ratione opus nō eſt, ad omnia æquiſſimo animo acceptanda.

Pſal. 28. 6. *Deus vnicorni duabus de cauſis comparatur.*

Notant Patres in illa Pſalmographi verba, *Et dilectus quemadmodū filius vnicornium*, Deum ſe vnicorni merito aſſimilare: ꝙ animal hoc cornu ſuum infra oculos habeat, ſic vt videat quę & vbi feriat; taurus verò, ꝙ cornua ſupra oculos habeat, minime videt vbi ea figat. Adhæc, quemadmodum Monoceros cornu quo ferit ſanat, ita Deus plagas immittendo ſalutem dat.

Nauclerus 2. Volum. Nicol. Ola in Attila. Baronius anno Christi 451.

Hęc porro noſtri cum Deo conformitas, & humilis ad flagella recipienda ſubmiſſio, adeo Deo Opt Max. placent, vt eius intuitu & cauſa, ſæpe Dominus flagella auferat, noſq; caſtigare omittat. In hiſtoriis Eccleſiaſticis ſcriptum eſt, Attilæ Hunnorum Regi, qui varias orbis vaſtauit prouincias, ſeq; metum orbis, & flagellum Dei appellabat, cum ad Trecas Campaniæ Gallicæ vrbē accederet, ſanctum Lupum, eius vrbis Epiſcopum, pōtificio ornatu inductum, vniuerſo cum Clero ſuo obuiā prodiiſſe, ab eoq; petiiſſe, Quis es tu, qui turbas orbem, eumq; deſtruis? Cui Attila, Ego ſum flagellum Dei. Tum Lupū ei portas aperiri iuſſiſſe, dicendo, *Bene veniat flagellū Domini mei.* Milites autem eius vrbem ingreſſos, ita à Deo fuiſſe excæcatos, vt eā ſine vllo maleficio & noxa tranſierint. Etſi enim Attila eſſet flagellum Dei, noluit tamen flagellam eſſe iis, qui ipſum tanta animi ſubmiſſione, ceu flagellū ſuū recipiebāt.

Attilam flagellum Dei S. Lupus humiliter excipit: ideoque à Deo cuſtoditur.

Capvt XXIV.

De ea, quam in ariditate & deſolationibus in oratione, cum Dei voluntate nos habere oportet conformitate: & quid ariditatis & deſolationis nomine intelligamus.

Non ſolum cum Dei voluntate in rebus exterioribus, naturalibus & humanis conformari debemus, verum etiam in iis, quæ quandam ſanctitatis ſpeciem includere multis videntur, magis magiſque deſiderare, in bonis inquam ſpiritualibus & ſupernaturalibus; puta in conſolationibus diuinis etiam in ipſis virtutibus, in ipſo quoque orationis dono, in interiori animæ noſtræ pace, quiete & tranquillitate, denique in cæteris chariſmatibus doniſque ſpiritualibus.

Amor proprius etiam in ſanctiſſimis rebus ſe prodit.

At petet aliquis num in id genus rebus propria voluntas, & inordinatus ſui amor habere locum queat, vt eum, etiam his in rebus neceſſe ſit moderari? Reſpōdeo, habere poſſe. Et hinc ad oculum patebit, quanta ſit amoris proprij malitia, cum ſuæ malignitatis virus etiam rebus adeo ſanctis non vereatur adſpergere.

Voluptates vitiorum nutrimentum.

Conſolationes & guſtus ſpirituales maxime bonæ ſunt, quod earum ope facili negotio, omnes terrenarum rerum voluptates & conſolationes (quæ vitiorum ſunt velut eſca & alimentum) anima reiiciat ac deteſtetur, & ad viam mandatorum Domini leuiter agiliterque percurrendam animetur ac vigoretur, iuxta illud Prophetæ, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Per lætitiam quippe & conſolationem ſpiritualem cor humanum dilatatur ac diſtenditur, ſicut è diuerſo per triſtitiam contrahitur & anguſtiatur. Ait ergo Propheta Dauid, conſolationes diuinas ſibi velut alas fuiſſe, quarum adminiculo per viam virtutis & mandatorum Dei cito curreret, & quodammodo volaret.

Pſal. 118. 32.

Conſolati cor dilatant.

Conſolationes animam roborant.

Poteſt adhæc quis ſpiritualium conſolationum ope voluntatem frangere, appetitus effrænes refrænare, carnem laſciuientem mortificare, maiori denique cum robore ac conſtātia crucem & afflictiones occurrentes ferre. Hinc ſpiritus conſolationes & delicias iis potiſſimum dare Deus ſolet, quibus graues labores, afflictiones, & tribulationes poſtea miſſurus eſt, vt illarum ope ad has bene generoſ-

nerose & cum fructu ferendas præparentur ac disponantur.

Incipientes consolationibus præmuniendi.

Sic suos Redemptor Iesus discipulos gloriosa sua transfiguratione in monte Tabor ante voluit consolari, vt postea cum eum probrosa patientem & in cruce morientem viderent, minime turbarētur. Sic quoque videmus, spirituales has consolationes vt plurimum primum incipientibus à Deo dari, vt his efficaciter eos inducat ad terrenas delectationes, cœlestium causa, repudiandas: quos deinde iam amoris sui reti constrictos, & profundis virtutum radicibus actis, miris ariditatibus exercere & probare consueuit, vt sic plus humilitatis & patientiæ acquirant, ac maius gratiæ glorięque incrementū recipere mereantur, Deo pure ac sine vllis consolationibus seruiendo.

Proficientes exercendi desolationibus.

Consolationibus Deus incipientes è mundo extrahit.

Atq; hæc est ratio, cur nōnulli in principio, dum primum Religionis habitum assumerent, & fortasse etiam adhuc extra eam, dum hæc eius assumēdæ desideria haberent, maiores consolationes, & gustus spirituales vberiores in se sentirēt, quam postea: quod tunc eos Deus iuxta ætatis exigentiam tractaret, paruulo cū lacte eos lactando, vt illius suauitate eos illectos à mundi deliciis diuelleret & ablactaret, fastidiumque quoddam eius ipsis ingeneraret, quo quidquid mundi est proculcarent: at quia postea cibos duriores possunt digerere, & panem mordere crustatum, hinc esca grandium eos Deus pascit. Hunc, aliosue similes ob fines, cōsolationes & gustus spirituales Deus cōcedere consueuit. vnde etiam communiter nobis sancti Patres consulunt, vt in tempore consolationis ad tempus turbidum ac tribulationis nos disponamus, quemadmodum tempore pacis ea quæ bellum necessaria & oportuna sunt, parari solent: propterea quod consolationes quoddam tentationum ac tribulationū esse solent peruigilium ac præludium.

Tempore consolationis futuras tribulationes præcogita.

Adeo vt consolationes spirituales per bonæ sint, magnaque commoda adferāt, modo rite debiteque iis vti nouerimus; hinc dum eas Dominus elargiretur, magna cum animi gratitudine ac gratiarum actione recipiendæ sunt. Si quis vero in iis sisteret, & eas suę solius recreationis causa desideraret, ob gustum videlicet & delectationem, quam in iis anima sentit, malum id foret, culpandum, & inordinatus quidam amor proprius.

Consolationes bonæ si bene vtamur.

Quemadmodum si quis in actionibus ad vitam humanam necessariis, puta comedere, bibere, dormire, aliisq; eius generis, non alium finem haberet, quam voluptatem, culpa & vitium foret; ita quædam gulæ spiritualis species esset, si quis sibi in oratione hos gustus & consolationes præstitueret. neque enim ea sunt ob nostram delectationem & voluptatem desideranda vel capienda, sed verum medium, quod nos ad fines, quos diximus, consequendos adiuuet.

In consolationibus non acquiescendum.

Atque vt æger, cibum omnem necessarium abhorrens, non parum gaudet, cum aliquomodo is illi sapere incipit, nō tam ob eius saporem, quam quod appetitum is excitet, vt comedere valeat vitamque per cibum conseruare: pari modo Dei seruus non adeo consolationem spiritualē desiderare debet, vt in ea sistat, quam vt cœlesti illa refrigeratione anima eius ad in via virtutibus laborādum, & firmiter stabiliterq; in ea persistendū, animetur & confortetur. Atq; ita desiderantur delectationes non tam propter ipsas delectationes, quam propter maiorem Dei gloriam, & in quantū eæ ad maiorem eius honorem & gloriam cedunt.

Addo insuper, esto quis etiam hasce cōsolationes spirituales, eo quo diximus modo, & ob fines declaratos, qui sancti & boni sunt desideret, quendam tamen in huiusmodi desideriis excessum, & amoris proprij inordinati misturam esse posse: vti dum quis eas perdite, efflictim, & anxie nimis concupiscit, adeo vt, si illis careat, non sit tam cōtentus, nec tam cum Dei voluntate conformis, sed querulus, inquietus, quiritabundus, & morosus. Affectus hic & concupiscentia spiritualis, inordinata est: neque enim ita anxie, inordinate & vehemēter erga hos spiri-

In differentia adsit etiam sanctissimis desideriis.

spiritus gustus & consolationes quis ferri debet, vt hoc animæ eius pacem quietemue, & plenum cũ Dei voluntate consensum impediat; cũ eas ipse dare nolit. Melius quippe est Dei voluntatem sequi, quam omnia ista habere; & cõducibilius, vt se quis cum eo quod Deus vult, conformet, eoque contentus sit.

Voluntas Dei omne donum superat.

Quod autem de gustibus, & spiritualibus consolationibus dico, etiam est de dono orationis, deque eo quem ad eandem habere volumus, ingressu, itẽ de interiori animæ pace, quiete & tranquillitate, deque aliis donis ac prærogatiuis spiritualibus intelligendum. Quia etiam in harum omnium rerum desiderio inordinatus quidam affectus & cupiditas locum habere potest; quando scilicet eæ tam vehementer, anxie & impatienter desiderantur, vt, nisi quis quod desiderat consequatur, conqueratur, & morosus, male contentus, atque à diuina voluntate dissentiens incedat.

Omne inordinatum vitiosum.

Proinde, per gustus & consolationes spirituales, in præsens non solum deuotionem, & sensibiles gustus & cõsolationes intelligemus, verum etiã ipsam orationis substantiam ac donum, & quod ea qua vellemus, quiete & tranquillitate eam primo auspicari, & dein in ea pergere possimus. Imo vero de hoc præcipue iam agemus, ostensuri, quomodo in eo nos cum diuina voluntate conformare, non autem impatienti quadam cupiditate, aut nimio angore erga illud ferri debeamus. Etenim vnusquisque facile gustus, consolationes & deuotiones sensibiles repudiaret, si modo ipsam orationis substantiam consequi posset, eiusque in se fructum sentiret. Norunt enim omnes, orationem non consistere in id genus gustibus, neq; in illis deuotiunculis & tenerioribus affectibus: vnde etiam ad hoc exigua opus est virtute. sed in ea, vt quis instar saxi durus & tanta cum ariditate ad orationem accedat, & in ea post versetur, vt nullum prorsus in ea gustum inuenire posse, sed Deus se ab illo velut subduxisse, & vultum suum abscõdisse videatur, atq; adeo super se iam venisse putet maledictionem illam, quam suo olim populo Deus comminabatur, dicens, *Dabo vobis cœlum desuper sicut ferrum & terram aneam*. Maiori sane ad hoc opus est virtute, maiore animi robore. Credunt siquidem hi, cœlum sibi factum esse ferreum, & terram æneam; quod illud nullam aquę, qua cor eorum emollescat, guttam super eos pluat, hæc vero nullũ, quo se cõseruent, fructum progerminet; sed in continua quadam sterilitate & ariditate versentur.

Non modo in consolationib. sed & ipsa oratione indifferentes simus

Leuit. 26. 19. Deut. 28. 25.

Cælum ferreũ, terra ænea aridis.

Et insuper, nõ modo sicci & aridi sunt, verum etiam interdum tales distractiones, ac tantam cogitationum, & subinde etiam maxime fœdarum & turpium varietatem sentiunt, vt non aliter ad orandum accedere videantur, quam vt omnigenis tentationibus vexentur & inquietentur. Si ergo illis cõsulas, vt tunc temporis de morte & cruce Iesu Christi meditentur, quod hac vna cogitatione aliæ illæ soleant dispelli, dicent: Hoc faciendum noui & ego: sane si hoc facere possem, quid mihi deesset? Interdum namq; ita quis in oratione aridus est, vt ne quidem de hoc valeat cogitare: vel, esto de eo cogitet, & in memoriam reducere procuret, nihil horum ipsum moueat, nihil attentionem creet, aut aliquam in eo impressionem faciat. Atq; hoc est, quod hic desolationis, ariditatis, & derelictionis spiritualis nomine dicimus; & in hoc opus est vt nos etiam cum Dei voluntate conformemus.

Distractiones orantium.

In ipsa derelictione Dei voluntati conformemus.

Est hoc magni momenti punctum: vtpote communis querela & expostulatio, & vna de maximis afflictionibus eorum qui orationi student: omnes namque gemũt, & se deplorãt, dũ in hoc statu & angustiis se inueniunt. Quod n. hinc tanta tamq; ꝑclara orationis bona & laudes referri audiãt, & ꝓut illa ꝓcedit, ita & hominẽ toto die, imo tota vita, se habere; simul etiã intelligãt, vnã hãc de præcipuis esse mediis, q̃ tum ad ꝓprium, tũ ad proximi ꝓfectũ ꝓcurandũ habemus: illinc vero tã ꝓcul se (vt quide ipsis videtur) ab ora-

Oratio mensura & medium perfectionis.

Deus meus, vt quid dereliquisti me.

orationis studio videat abesse, dolent & cõtristantur sibiq; persuadét ꝙ Deus eos dereliquerit, &ipsorũ penitus sit oblitus; atq; adeo timét, ne eius amicitia & gratia exciderint, ꝙ se nullũ amplius apud eum habere accessum & locũ credãt. Vnde vero nõ parũ tentatio ipsorũ accrescit, ꝙ alios, paruo tẽpore, etiã pene sine vllo labore ac molestia, tãtũ in oratione videãt ꝓficere, se vero cũ omni sua cõtentione & conatu nihil prorsus impetrare. Vnde etiã aliæ, & quidẽ deteriores in illis tẽtationes enascũtur, vti sunt, de Deo interdũ cõquiri, ꝙ hoc modo illos tractet; ipsum quoq; orationis exercitiũ plane omittere velle, dũ sibi persuadét, nõ esse id suũ ꝙ tam male id ipsis succedat. Tũ vero omnia hęc ipsis grauiora sunt, magisque cruciant, cũ dæmon in memoriã ipsis reducit, ipsosmet horũ omniũ causam esse, seq; nõnisi ob suã culpã à Deo ita tractari. Multi hęc animo dũ agitãt, in maxima viuũt desolatione & angore, & ab oratione nõ aliter discedũt, q̃ à tormẽto & eculeo, tristes, melancholici, & intolerabiles tũ sibi, tũ aliis, quibuscum cõuersantur. Quocirca Deo dante huic tentationi & querelæ iã respõdebimus, & prout licuerit satisfaciamus.

Tentationes graues desolatorum.

CAPVT XXV.

In quo respondetur querelæ eorum, qui hasce spiritus ariditates & desolationes in oratione sentiunt.

Consolatus lætetur, desolatus tristetur.

PRIMO, nõ dico, vt, dũ quis à Deo suo visitatur, nõ lætetur: quia certũ est, eũ ꝙ iã dilecti sui pręsentia fruitur, nõ posse nõ gaudere & exultare: Rursus nõ dico, vt in eius absentia, quãdo sc. immissis ariditatib. & tentationib. eũ affligit, non doleat: video n. fieri nõ posse, vt nõ propterea angatur & cõtristetur; cũ ipsemet Redẽptor Christus ob sui à Patre æterno, dũ afflictus in cruce pẽderet, derelictionẽ sit cõquestus, clamãs, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Sed hoc volo, vt aliquem nobis ex hac afflictione, amaritudine & ꝓbatione, quã nõ raro electos suos ꝓbare solet Omnipotẽs, fructũ & bonũ colligamus, & magnã dũ adueniũt animi cõstantiã pręferamus, cum Dei Opt. Max. volũtate nos cõformãdo, dicamus, *Veruntamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu.* Pręsertim ꝙ sanctitas & perfectio nõ in cõsolationib. aut sublimi eminentiq; orãdi modo cõsistat; neq; ad hãc noster ꝓfectus & perfectio mensurã debeat demetiri, sed dũtaxat ad vlnã veri amoris Dei, q nõ in id genus reb. sed tantũ in intima veraq; vnione, & totali cũ volũtate Dei cõformitate, tam in amaritudine, q̃ dulcedine, tã in aduersis, q̃ prosperis, cõsensu situs est: vt nimirũ æqualiter à manu eius accipiamus cũ crucẽ & derelictionẽ spirituale, tũ delicias, fauores & cõsolationẽ, tã illi ob hanc, q̃ illã ex toto animo gratias agẽdo: *Si me vis esse in tenebris, sis benedictus & si me vis esse in luce, sis iterũ benedictus. Si me digneris cõsolari, sis benedictus; & si me vis tribulari, sis æq; semper benedictus.* Ita nobis id cõsulit Apostolus, *In omnib.* inquit *gratias agite: hæc est n. volũtas Dei in Christo Iesu in omnib. vobis.* Iã si hæc Dei sit volũtas, qd amplius desideremus? Cur itẽ viuimus, quã vt Deo placeamus? Qui si vitã meã p semitã hãc obscurã & scabrosam deducere velit, non est ꝙ aliã clariorẽ & molliorẽ desiderẽ. Hunc Deus p viã lucidã, & q̃ arrideat, incedere vult, me vero p hãc desertã, tenẽbrosam, & omni cõsolatione destitutam deducit, sterilitatẽ tamẽ meã cũ illius fœcũditate nõ cõmutarem. Ita sentiũt & loquuntur ij q oculos veritati apertos habẽt, & hoc modo se cõsolantur. Vnde bene R. D. M. Auila: *Si nobis Dominus oculos aperiret, quã sole meridiano clarius appareret, omnia q̃ terra caloue cõtinẽtur, nimis quã vilia esse quã vt à quopiã mortaliũ desiderẽtur & possideãtur, si Dei volũtas ab iis absit; cõtra nihil esse, esto etiã minimũ & amarissimũ, quin, si diuina volũtas cũ eo cõiũcta sit, magni sit valoris. Infinities plus est, ad dignius, in aduersitatib., cruce, desolationib. ariditatib. & tẽtationib. iugiter viuere, si id ipse ita velit, q̃ quoscunq; gustus, cõsolationes, & contẽplationes habere, Dei volũtate cũ iis nõ cõcurrente.*

At dicet aliquis, si scirẽ hãc Dei volũtatẽ

Christus ipse in derelictione tristatus est. Matth. 27. 46.

In tribulationibus constantia seruanda.

Matt. 26. 39.

Amor Dei mensura perfectionis.

Deus semper æque laudandus.

A Kempis lib. 3. de imitat. c 17.

1. Tim 5. 17.

Si Deo placeas bene viuis.

Desolatio consolatione vtilior.

Audi filia. c. 16.

Voluntas Dei sola pretium rei facit.

tē esse, & hoc illi grati⁹ & acceptius fore, haud difficulter me ei plane conformarē, & valde cōtentus essē, etsi alioquin totū vitæ tēpus, hoc in angore mihi esset traducēdū: qa ad oculū video, nihil aliud homini studēdū, q̄ vt Deo placeat & satisfaciat, nec ad aliud nos in mūdo viuere. Nihilominus arbitror velle Deū, vt ego melius orationē instituerē, maioremq; in ea recollectionē & attentionē præferrē, si ad hoc me ipse disponerē: ꝗ aūt magis cruciat, est, ꝗ ob culpā & teporē meū, & ꝗ à parte mea nō agā ꝗ possū, hāc distractionē & ariditatē, ita vt ad orādū me nequeā applicare, mihi credā euenire qa, si certo scirē facere me, quidquid est à parte mea faciendū, & nullā ab hac parte culpā meā latere, neutiquā me affligerē aut cruciarē.

Obiectio & quermonia desolatorum.

Bene sane hęc querela cōcepta est; nihil vt reliquū sit ꝗ vlteri⁹ obiiciatur, qa omnes, quas opponere queāt, q similes querelas formāt, rationes in ea sunt cōprehēsę quocirca si bene huic respondeamus, magnū qd haud dubie pstiterimus, quod querela hęc adeo cōmunis & vulgaris sit. quia nullus est, quantūuis sanctus & perfect⁹, q non aliquādo hasce ariditates & derelictiones spirituales sentiat. Sic eas sensisse legimus B. Franciscū, & Catharinā Senensem, etsi alioquin à Deo tā delitiose amiceq; haberētur. Sic S. Antonius. esto orationis tā studiosus cultor esset, vt etiā integræ noctes ei breues, & nōnisi vnica respiratio viderētur, ac cū sole nonnunquā expostularet, ꝗ tā mature oriretur; nihilominus à malis, & importunis cogitationib. subinde ita exagitabatur, vt ad Deū gemebūdus clamaret, Quā libēter essem bonus, Domine, sed cogitationes meę nō patiūtur! Idē quoq; querebatur S. Bernard. exclamās, *Exaruit, Domine, cor meū, coagulatū est sicut lac, factū est sicut terra sine aqua, nec cōpūgi ad lacrymas queo: tāta est duritia cordis. Nō sapit psalm⁹, nō legere libet, nō orare delectat, meditationes solitas nō inuenio. Vbi illa inebriatio spiritus Vbi mētis serenitas? & pax & gaudiū in spiritu sancto.* Adeo vt hæc doctrina omnib. omnino sit necessaria, atque in Domino

Ariditas sanctis familiaris.

S. Antonius.

Serm. 54. in Cant.

S. Bernardus.

cōfido, fore vt etiam omnibus satisfaciā.

Ab hac ergo parte incipiamus. Equidē tibi cōcedo, & fateor, distractionē & ariditatē tuā, & ꝗ in oratione habere gustū nō queas, culpę tuę ascribēdū videri. Vnde etiā bonū est, id te nosse ac cōfiteri, Dominū ob peccata tua p̄terita & ob culpas & negligētias p̄sentes te castigare velle, dū aliquē tibi ad se per orationē accessum, quin & in eadē recollectionem, quietem; attentionemq; denegat: qa id ipse non mereris, quin potius demereris.

Ariditas pœna peccati.

Non hinc tamē cōsequitur te debere de eo cōqueri, sed potius Dei volūtati quoad hoc egregie cōformari. Clare, & ad oculū id videre cupis? Ecce *de ore tuo*, & tua ipsius sentētia, *te iudico*. Nunquid nosti, & etiā fateris, te ob peccata p̄terita & ob culpas ac negligentias p̄sentes, magnam Dei castigationē ꝓmereri? maxime dicisque, sæpe infernum cōmeritus sum; itaq: nulla castigatio mihi nimis erit magna, sed omnia nōnisi mera misericordia & delinimentū futura sunt, respectu eorū quę mereor; quin imo vt singulare quoddam beneficiū admittā, ꝗ aliquā mihi in hac vita Deus immittere castigationē dignetur: eā n. ceu arrhā certā credā, ꝗ peccata mihi mea ignouerit, & in vita futura me punire nolit; cū me castiget in p̄senti. Satis h. e. plura nō addā, & his cōtentus sum.

Luc. 19. 22.

Ariditas patienter ferenda.

Verū vt omnia nō sint, nisi nuda verba, veniamus ad opera. Hæc est castigatio, q̄ Deus te nunc ob peccata & flagitia pati vult; has inquā desolationes, distractiones, & ariditates, hāc spiritualem derelictionē, hanc cœli occlusionē, hanc terræ æris instar duritiem, quodq; Deus se à te subducat, ac faciē suā abscōdat. ꝗ deniq; nullum in oratione saporē inuenias. Per hęc in p̄sens te Deus castigare, tuasq; culpas expiare cupit. An non tibi superiora scelera tua & p̄sentes negligētię & socordiæ tuæ hāc castigationē satis vidētur ꝓmereri? Merētur haud dubie, quin & nūc addo, eā etiā nimis exiguā & leuē, respectu eorū q̄ cōmereor, atq; adeo iustitia & misericordia plenissimam videri. Iustitia quidē, quia cū cordis mei ianuā toties,

Ariditas nobis iuste sed clementer immittitur.

Deo

Deo ad eā pulsanti occluserim, & eo per sanctas inspirationes aurē mihi vellicāte pulsante, surdastrū egerim, eiq; sæpius sim reluctatus; æquissimū pfecto est, vt, quāuis eū ego assidue inclamē, ipse nūc, velut surdus & nihil audiēs, mihi clamāti non respōdeat, & portā pulsanti aperire nolit, sed eam mihi ante fores stanti occludat.

Iustissima ergo hæc castigatio est, mihi tamē nimis q̄ parua & leuis, ac proinde magnā etiā misericordiā spirans, qa maiorē multo pmerui. Cū Dei ergo volūtate in ea te cōforma, eamq; cū gratiarū actione admitte, cū tanta te misericordia, & nō secundū merita tua te castiget. An

Ariditas lenis pœna.

non ipsemet dicis, te infernū pmeruisse? quomodo ergo consolationes & recreationes sensibiles in oratione à Deo petere audes? quomodo, vt in ea familiariorē ad Deū accessum, pacē, quietē, tranquillitatēque, q̄ filiorū carissimorū & bene tene-

Magnum beneficium tolerari à Deo.

req; habitorū ppria est, sentias? Quomodo vero cōqueri audes, cū hęc omnia tibi Deus denegat? an nō vides id magnam psumptionē & intolerabilē arrogantiam redolere? Itaq; satis tibi sit ꝙ te Deus in sua habeat familia, quodq;, eo annuēte, in eius cōspectu stare, & psentia versari ti-

Ex Defectu humilitatis conquerimur.

bi liceat: hocq; vt singularē gratiā, & eximiū beneficiū existima & agnosce. Si q̄ in corde haberemus humilitatē, quomodocunque nos haberet Deus, minime conqueri auderemus; atque ita facile omnis hæc cessaret tentatio.

Capvt XXVI.

Quomodo ariditatem & desolationes in bonam quandam & vtilem orationem conuertere poßimus.

Non modo à cōquerēdo nos abstinere oportet, verū etiā procurare, vt aliquē ex ariditatib. & desolationib. fructū eliciamus, & bona quandā ex iis oratio-

Tract. 5. c. 19.

nē faciamus. Huc primo nō parū cōferet id, ꝙ supra attulimus, cū de oratione ex instituto loqueremur: nimirū, vt, quādo in tali nos statu inter orādū reperiemus,

Indifferentia vtilior querelis.

sic Dominū cōpellemus: In quantū, Domine, hęc mea est culpa, me pfecto eius maiorē in modū pœnitet: at, in quantum tua volūtas est, nec nō pœna & castigatio, q̄ peccata mea iuste pmerētur, haud grauate, sed libentissimo animo eā acceptos nec modo in pręsens, aut ad breue tēpus, sed & omnib. vitę meę dieb. etsi alioqui ij ad aliquot deberēt secula extendi, cruci huic ferēdę totū me offero, & ad eā in humeros accipiendā. etiā cū gratiarū actione sum paratissimus. Hæc patiētia & humilitas, hæc resignatio, & hic cū Dei voluntate quoad hāc afflictionē consensus magis diuinę maiestati placent, q̄ nimiæ hę expostulationes ac querelę, Cur gustū in oratione non sentio, cur in ea tot alienis & inordinatis cogitationibus, & distractionib. inquietor? Dic mihi, obsecro,

Simile.

vter tibi filius magis parentib. suis placiturus videtur, an is q contentus erit eo ꝙ ipsi dabitur, quodcumq; demum id sit, an vero is cui nihil facit, satis, sed semper de dato murmurat & conqueritur, parū esse censens omne quod sibi datur, ac maiora melioraq; sibi dari debere asserens? Certum est priorem gratiorē longe suis fore.

Filius patiēs gratior refractario.

Ita & Deo gratior & acceptior est filius patiēs, tacēs, quiq; Patris sui cœlestis voluntate, quacunq; in re ab eo data, quātumuis aspera & dura, & quantumuis os durū & carne vacās is porrigat, cōtentus est, eiq; se cōformat; q̄ refractarius, quiq; assidue conqueritur & murmurat; ꝙ ipse nihil habeat, vel nō detur sibi quod aliis.

Cedo rursus: vter pauper melius rem

Simile.

suam faciet, & diuitem ad dandam eleemosynam, & vt sui compassione & misericordiæ emoueatur, magis incitabit, an is qui assidue conqueritur, ꝙ sibi clamāti satis non respondeatur, & nihil detur, an vero ille, qui ad diuitis fores mira cū patientia & silentio, sine vlla murmuratione perdurat, sed, postquā ad ianuā semel clamauit, seq; exauditum esse nouit, in frigore & pluuia patienter expectat, nec

Patiens pauper amatur præquerulo.

clamorem ingeminando, nec de mora longiore conquerendo; domino domus interim sciente, eum in hac patientia & humilitate exspectare? Liquido patet hunc maxime emouere; illum vero querulum,

rulum, arrogantem, & superbum fastidio potius esse, & ad indignationem domesticos prouocare. Ita & Deus nobiscum agere solet.

Indifferentia fructus orationis. Vt autem melius huius orationis valor & fructus appareat, & quā ea Deo placeat, peto à te, an melior esse posset oratio, & maior ex ea fructus elici, quam magna in aduersis patientia, insignis cum Dei voluntate consonantia, magnaq; eiusdē dilectio? Ad quid enim aliud ad orationem accedimus, nisi ad hæc impetranda? Cum ergo tibi Deus in ea ariditates & varias tētationes immittit, in hac afflictione & derelictione spirituali cum illius voluntate te conforma, & præstantissimū quendam maximumque patientiæ, & amoris Dei actum facies.

Dura pati amicitiæ signū. Vulgo dicitur, & bene quidem, tūc potissimum amorem erga amicum prodi, cū illius causa grauia & aduersa amicus tolerat & patitur; &, quo aduersa ac discrimina grauiora sunt, eo magis amorem patefieri. *Aduersitates spirituales grauißimæ.* Hæ ergo sunt de maioribus seruorum Dei & spiritualium hominum afflictionibus, crucibus & mortificationibus: quia corporales illæ quæ circa opes, valetudinem, & bona temporalia versantur, in illorum comparatione vix quidquam sunt. Quamobrem cum quis in his aduersitatibus plane conformis est, Redemptorem Iesum in derelictione spirituali, quam ipse in cruce expertus est, imitando, & crucem hanc spiritualem toto vitæ tempore ferre desiderat (si illā immittere Deo videretur) dūtaxat vt ei pure placeat; illustrē patiētiæ & amoris diuini actū, necnon sublimem quādam & perutilem orationem, magnæ deniq; perfectionis rem exercet. *Ariditas illustre martyrum. Lud. Blosius spec. spir. c. 6.* In tantum quidem, vt Scriptores nonnulli, illos qui ita agunt inter illustrissimos Martyres referre non dubitent.

Ariditate cognoscis teipsum. Rogo te præterea, ad quid aliud orationi insistas, quam vt inde humilitatem, & tui ipsius cognitionem elicias? Dic mihi, quoties à Deo petiisti, vt intelligere & nosse te faceret, quisnam & qualis sis? Deus ecce orationem tuam exaudit, hocque modo te intelligere tibique modo te intelligere tibique declarare vult. Aliqui tum primum plene scriptos nosse putant, cum ob peccata sua impense dolent, multasque ob eadem lacrymas fundunt. Sed falluntur; nam hoc Dei est, non tuum: quod vero instar saxi durus sis, hoc solum est tuum. Vnde si saxum Deus non feriat, *Consolatio à Deo Ariditas ex te.* non dabit id aquam, non mel. In hoc ergo tui cognitio consistit, quæ sexcentorum bonorum principium est; & huius occasio abunde tibi suppetit, dum sic aridus in oratione es: quam vnam si ex oratione colligas, magnum sane ex ea fructum collegeris.

CAPVT XXVII.

Aliæ rationes ad nos in ariditatibus & desolationibus, quas in oratione sentiemus, consolandos, nosque cum Dei voluntate conformandos conducentes afferuntur.

ETSI perutile sit credere, hanc afflictionem nobis ob nostra accidere peccata, vt ita quotidie magis confundamur & humiliemur; simul tamen necesse nos est scire, non semper eam in culparum castigationem, sed singulari quadam Altissimi dispositione & arcana eius prouidentia non raro immitti, vtpote qui dona sua distribuit prout placuerit. *Non omnes merentur omnia.* Sicut enim indecens est, vt totum corpus sit oculi, pedes, manus, caput, & vti diuersa in Ecclesia Dei membra esse par est: ita conueniēs est, vt passim in omnibus specialissimus ille & eminens orandi modus detur, de quo egimus cū de oratione loqueremur. *Tract. 5. c. 4. & 5.* Quin & hoc fieri minime est necesse, quia non omnes eum merentur. *Nec omnibus expediunt omnia.* Esto etiam eum mererentur, magis tamen in alia re quapiam merebuntur; atque adeo maius Dei beneficium erit, si hanc illis det, quā si daret illum. Multi illustres fuere sancti, qui an eximia hæc habuerint nescimus: & si habuerint, dixere cum Apostolo, illa sema-

se magni non facere; nec ob eadem gloriari, sed tantum in cruce Dominica ferenda: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Gal. 6. 14.

R.D.M. Auila quandam maximæ consolationis quoad hoc doctrinam adfert: nempe, Deum nonnullos in hac desolatione ad multos annos, interdum etiam quoad viuunt, relinquere, quorum ipse sortem, & partem esse ait optabiliorem ac meliorem, modo fidem habeant, quæ eos à male sentiendo impediat, & patientiam & robur heroicum præ se ferant ad triste hoc exilium & desolationem ferendam. Si quis sibi plane persuadere posset, sortem hanc sibi meliorem esse, næ ille facile se cum Dei voluntate conformaret.

Felix ariditas quam patientia condit.

Multis quidem rationibus sancti Patres & vitæ spiritualis magistri declarare & probare nituntur sortem hanc ita affectis conducibiliorem esse, sed in præsens, vnam duntaxat de precipuis adducemus, quam & S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, & communiter omnes qui de hac materia agunt, afferunt, scilicet, non esse omnium humilitatem in sublimitate contemplationis conseruare. Vix enim lacrymulam quandam fudimus, quin statim nobis spirituales videamur, & mire orationi dediti, nosque aliis conferamus, & fortasse etiam præferamus. Ipse etiam Apostolus aliquo velut pondere in aduersum propendente opus habuisse videtur, ne ab illis rebus sursum extra statum abriperetur. *Et ne*, inquit, *magnitudo reuelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Ne sc. eius vsque ad tertium cælum raptus, illustres reuelationes quas habuerat, eum in vanitatem afferrent, permisit eum Deus à carnis tentatione impeti vt hæc humilitatem eum edoceret, suamque faceret imbecillitatem agnoscere. Itaq; etsi illa via videatur sublimior, hæc tamen idcirco multo est securior. Vnde etiam sapientissimus Deus, qui nos omnes ad eundem finem (qui ipse est) dirigit, per eam vnumquemque viam ad illum conducit, quam ipse ei nouit conuenientissimam. Fortasse, si magnam in oratione consolationem ac gustum haberes, adeo non inde humilior fieres, & in spiritu perfectior, vt potius superbior & arrogantior euaderes: cum autem secus sit, & desolatione premeris, semper humiliter de te sentis, magnam tui confusionem concipis, teque aliis maiorem credis. Quapropter via hæc tibi est conuenientior & securior, etsi id ipse minime intelligas. *Nescitis quid petatis*, nec quid desideretis.

Tract. 55. 20. Lib de orando Deum quæ est epist. 121. In illud Thre. sed & cum clamauero. Li. 20. Mora. c. 21. & 24.

Non omnes contemplatiui humiles.

2. Cor. 12. 7.

Consolatio sublimior, ariditas securior.

Matt. 20. 22.

Vnde bene S. Gregorius super illud Iob, *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam*: Homo, inquit, per peccatum adeo cæcus factus est, vt nesciat quando aut ad Deum propius accedat, aut ab eo longius remoueatur: vt sæpe quod esse putat gratiam Dei, mediumq; ad eum vicinius accedendi, id illi in iram transeat, occasioque fiat longius ab eo recedendi; & è diuerso, quod irati, abalienati, obliuiscētisq; Dei signum esse opinatur, mera sit gratia, & causa cur is ab eo non separetur.

Li. 9. Moral. c. 7.

Homo cæcus nescit quid sibi expediat.

Quis enim viso se in sublimi quadam oratione & contemplatione amice beneuoleque à Deo haberi non statim putaret Deo se viciniorem fieri? At non raro fit, vt ob hosce fauores cælicos homo in se superbiat, sibi fidat, & de se presumat. Vnde per hoc ipsum illum dæmon subuertit ac cadere facit, per quod ille ad Deum se ascendere, propiusque putabat accedere. E contra vero sæpe fit, vt, dum se desolatum, afflictum, à grauibus tentationibus vexatum, & à cogitationibus obscænis, aut ad blasphemiam, aut contra rectam fidem sentiendum incitantibus, oppugnari videt, sibi putet Deum succēsere, seq; ab eo derelictum esse, & procul distare, cum tamen tunc illi multo sit vicinior. Per hoc namq; magis se humiliat, suam imbecilitatem euidentius perspicit, de suis viribus diffidit, maiori alacritate & constantia ad Deū accurrit, omnē suam fiduciam in vno illo collocat; deniq; nunquam ab eo recedere apud se proponit,

Contemplatio periculosa.

Ariditas humilitatem parit.

Non tu sed Deus regat te.

nit. Adeo vt non id melius sit ꝙ tute arbitraris, sed viam, qua te Dominus cupit deducere, tibi persuadere debeas optimam esse, & tibi magis conuenire.

Insuper hæc ipsa amaritudo, afflictio, crux quam ideo sentis, quod tibi orationem non pro eo atq; oportet, facere videare, alia & noua consolandi tui ratio esse potest: quia hæc particulare quoddã Dei donum, & singularis gratia est, ac tui erga illum amoris signum: quod nullus sit sine amore dolor, nulla de non fideliter seruiendo tristitia ac pœnitentia, sine melius seruiendi proposito ac volũtate Hęc proinde angustia & dolor nonnisi ex amore Dei, ac melius seruiendi desiderio enascitur. Si enim non contristareris, nec angereris quod illi male seruias, quod male ores, quod omnia tua non pro eo atq; debes exequaris, malum id signum foret, at, angi te & cruciari, quod male his fungi te putes, bonum id signum est.

Vbi dolor ibi amor.

Dolor lepiditatis ex amore Dei nascitur.

Sed hæc tristitia ac dolor tũ minuitur, dum cogitas, hoc, in quantũ pœna est & crux, Dei esse voluntatem; cui proinde te conforma, & ei gratias age, quod hanc ei placendi voluntatem ac desiderium tibi indiderit: etsi operibus ipsis deficere, nec conceptæ voluntati respondere videare.

Voluntas Dei dolorem mitigat.

Huc accedit, quod, etsi aliud in oratione non agas, quam quod ibi præsens, in regiæ ac diuinæ illius maiestatis cõspectu adstes, magnum nihilominus per hoc obsequium Deo præstes: sicut ad Regum & Principium terrenorum maiestatem non parũ facere videtur, quod curiæ suæ magnates & proceres quotidie regiam frequentent, sibi præsentes adsint, inq; suo conspectu assidue versentur. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostii mei.*

Multum facit qui se Deo vel præsentat.

Diuinæ maiestatis gloria, conditionis nostræ mortalis imbecillitas, negotii ꝙ tractandũ suscepimus magnitudo exigit, vt frequẽter ad palatii eius cælestis ianuã exspectemus: cum vero eam ipse tibi aperire dignabitur, ingentes ob hoc gratias illi age; sin nolit, humilia te, agnoscendo in corde tuo id minime te promereri; atq; ita oratio tua semper optima, semper fructuosissima futura est. Omnibus his aliisque id genus obseruationibus nos vti oportet, vt in hac desolatione & derelictione spirituali Dei voluntati cõformemur, ipsam à manu eius cum magna gratiarum actione acceptando, ac dicendo, *Salue amaritudo amarissima omnis gratiæ* & bonorum *plena.*

Perseuerandũ ad postes diuini ostii.

Amaritudo gratiæ plena. F. Barthol. de Martyr. Archiep. Beacar. in suo compendio c. 26.

CAPVT XXVIII.

Magna dæmonis illusio & tentatio, est, ideo orationis studium omittere, quod eam quam diximus, desolationem & ariditatem in ea experiamur.

Ex eo quod dictum est, sequitur, non paruam diaboli illusionem, grauemq; tentationẽ esse, quod quis, dũ arido illo modo suã orationẽ procedere comperit, eã aut penitus omittit, aut tã diu ac tam serio in ea non perseuerat, persuasum habens nihil in ea boni sese facere, sed tantũ tempus suũ inutiliter perdere. Hæc ingẽs est dęmonis tentatio, per quã multos, nõ tantum sæculares, verum etiã Religiosos ab orationis fecit exercitio desciscere; quos quando non potest ad penitus orationẽ omittendam inducere, eo saltẽ sensim pellicit, vt tam frequenter ei non insistant, nec tantum ei temporis, quantum facile possent, impendant.

Dæmonis tentatio contra orationem.

Multi quidem se orationi dare incipiunt, &, quamdiu aliquem in ea sentiunt gustum, & deuotionis affulget malacia, tandiu eam prout oportet prosequuntur & continuant; at ariditatis ac distractionis turbine adueniente, oratio ipsis non tam oratio, quã noua videtur esse culpa, quia tanta cum distractione, & tam exigua cum reuerẽtia in Dei cõspectu versantur. Quare sensim orationis exercitium omittunt; rati maius se Deo obsequium præstituros, si aliis exercitiis occupationibus intenderent, quam hoc modo in oratione versando.

In agonia prolixius ora.

Atque vt hanc in ipsis imbecillitatem dæmō aduertit, oblata occasione vtitur, & inutiles occasiones ac tentationes iis orantibus, tam frequenter ingerit, quo ipsis tempus illud male impensum videatur, vt etiam eos paulatim orationem penitus faciat deserere, ac vna cum ea ipsum virtutis studium; & subinde etiam longius progrediantur.

Eccles. 6.10.

Aridis in oratione perseuerandum.

Atque ideo constat, multorum exitium & ruinam ab hoc fonte ortum habuisse. Vnde Sapiens, *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Deo gaudere, nemo est quin velit, sed illius causa laborem aliquem suscipere, & dura perpeti, veri amoris indicium est. Non est multum, tunc in oratione perseuerare, multumque temporis ei impendere, cum in ea interna cōsolatione perfunderis: fieri enim potest, vt id tuę ipsius delectationis causa, & ex proprio amore facias. Et sane te ideo solum id facere signum euidens est, quod, cum ea solatia & illicia tibi desunt, in oratione non perdures. Cū desolationes, ariditates, & distractiones Deus immittit, tunc veri amici probātur, tunc fideles eius serui agnoscuntur vt qui non proprium commodum, sed pure Dei Opt. Max. voluntatem & beneplacitum quærunt. Quocirca magna cū humilitate & patientia tunc temporis in oratione nos perseuerare oportet, non solum toto eo quod pręscriptum est, tempore, verum & paulo diutius in ea permanendo (prout hoc nobis B.P.N. consulit) vt hoc modo & tentationem superemus, & contra dæmonis impetentis machinationes nos viros strenuos præbeamus.

Quidam orant quia consolantur.

Dæmoni non credendum.

In Exerc. spir. annot. 13.

In Historia Lausiaca.

Palladii tentatio.

Palladius eum in rerum cælestium contemplatione, cellæ cuidam inclusus, sese ad dies aliquot exerceret, tantam ariditatem in ea se scribit sensisse, tamque importunis cogitationibus à cacodæmone exagitatum, vt iam illi in mentem veniret, satius esse hoc exercitium prorsus relinquere, quòd omnem in eo operam & oleum perderet. Hęc dum cogitat, Macarium Alexandrinum, virum sanctissimū adit, hancque illi tentationem narrans, consilium & opē ab eo poposcit. Cui Macarius, Quando hæ cogitationes tibi dicent, vt exercitium hoc abrumpas, teque irrito labore sudare, tu è contra ipsis cogitationibus tuis dic, *Propter Christum parietes cellæ istius custodio.* Cōsulebat in quā, vt perseueraret, ac satis esse crederet se pium hoc opus propter amorem Christi facere, etsi alium, quam hunc, fructum ex oratione non esset percepturus.

Custodi locum si orare nequis.

Responsio hæc etiam nobis vsui venire poterit quando simili tentatione pulsabimur. Primarius enim finis, quē in sancto hoc exercitio prę oculis habere debemus & intentio, qua ad ipsum audendū, & in eo manendum est, esse debet, non noster ipsorum gustus & delectatio; sed, vt bonū & sanctum quoddā opus faciamus, quo Deo Opt. Max placeamus, ei gaudiū afferamus, & aliquatenus satisfaciamus, ac de debito, quo ei obstricti sumus, aliquid deminuamus? quod ipse sit is qui est, & ob innumera, quæ de manu eius recepimus, beneficia. Cum vero ipse velit, eiq; placeat, me iam hoc loco manere, etsi in eo mihi nihil boni agere videar; hoc sane mihi sufficit, eoque sum contentus.

Voluntas Dei non consolatio mea orationis scopus est.

S. virgo, Catharina Senensis, aliquando Dei permissu, pluribus diebus spiritualibus suis cōsolationibus destituta erat, & solitum deuotionis feruorem spiritūq; non sentiebat: adhæc variæ cogitationes carnales, imo & spurcæ imagines, tā importune ei se ingerebant, vt eas à se abigere ipsa neutiquam posset. Attamē, propter huiusmodi molestiam solita sua pietatis exercitia non omittebat sed quam poterat diligentissime & magno studio iis insistebat, itaque seipsam alloquebatur: *Tu vilissima peccatrix nullis consolationibus digna es. quid enim? nonne tibi fuerit satis, si nō damneris, etiā si toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certe nō ideo elegisti seruire Deo, vt hic consolationes ab eo recipias, sed vt in cælis illo fruaris in æternū. Surge igitur, & consueta exercitia tua consequere, Dominoque tuo fidelis permane.*

S. Catharina humili patientia orationē continuat.

Præ inferno cuncta dulcia.

Hæc ergo exempla imitemur, & hisce viri sancti verbis nos solemur, & ad quie-

Thom. à Kempis l. 3. c. 16.

tem componamus: *Hæc mihi sit consolatio, Domine, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio, pro summo solatio.* Si porro huc pertingamus, vt vnica Dei voluntas & beneplacitum sit tota nostra voluntas & beneplacitum, in tantum vt ipsa omnis consolationis carentia vnicum nostrum sit gaudium (quod illa sit Dei voluntas & beneplacitum) tunc demum nostrum gaudium erit verum, & tale quidem, vt nulla prorsus mundi res à nobis id tollere queat.

Verum gaudium pro Deo velle carere omni gaudio.

CAPVT XXIX.

In quo, id quod mox dictum est, exemplis confirmatur.

Fernand. Castiglius 1. p. Lib. 1. c. 60. histor. Ordin. Prædicat.

QVIDAM de primis Ordinis Prædicatorii Patribus, postquam magnæ sanctitatis vitæque purioris exemplo iam annis aliquot in Religione conuersatus esset, nullam tamen in omnibus Religionis exercitiis consolationem gustumque sentiebat, ita vt nec meditatio, nec oratio, nec contemplatio, nec lectio ei saperent. Quod autem multa assidue de fauoribus, & gratiis, sensibusque spiritualibus, quibus alii à Deo perfundebantur, narrari audiret, propemodum animum præ desperatione abijciebat. Hinc quadam nocte coram Domini in cruce fixi imagine se prostrauit, suamque miseram sortem & desolationem amarissime plangens, his illum verbis appellauit: Semper te, Domine mi, audiui & credidi bonitate & mansuetudine omnibus creaturis anterie; vide ergo, quæso, & recordare me tibi multos annos quam fidelissime seruiuisse, tua causa plurimas tribulationes esse perpessum, meque tibi soli totum quam libentissime impendisse. Si vel quarta temporis, quo tibi seruiui, parte, tyranno cuipiam immitissimo seruissem, iam dudum is aliquod mihi beneuolentiæ signum ostendisset, tum leniter blandeque me vel saltem semel alloquendo, tum amico vultu mihi arridendo: tu vero Domine, nullum prorsus hactenus mihi fauorem ostendisti, imo ne minimam quidem gratiarum earum, quibus alios præuenire soles, recepi; &, cum ipsa sis dulcedo, erga me tamen durus es, & centum tyrannis austerior. Quid hoc est, Domine? quid ita id fieri iubes? Hæc dum queritur, tantum subito fragorem circa se excitari audit, tanquam si templum vniuersum à fundamentis subrueretur; & super tabulata superne tantum tamque horrendum tumultum ac strepitum, quasi mille canes omnem contignationem dentibus conserpsissent. Ad quem horrorem consternatus, & prope exanimatus, cũ respiceret, visurus quidnam esse posset; vidit pone se terribile quoddam & visu teterrimum monstrum, dæmonem scilicet: qui ferreo quodam vecte, quem manu tenebat, tam grauem illi ictum impegit, vt in terram corruens exurgere in pedes non posset: sumpta tamen audacia, ad vsque altare vicinum proserpsit, ita elumbis & fractus præ dolore, tanquam si ossa omnia fustibus contusa & luxata essent. Vt ergo Fratres in templum venere Primam canturi, & eum elumbatum & semimortuum videre, subiti huius casus causam ignorantes, eum ad nosodochium domesticum tulerunt: trium vero hebdomadarum spatio, quo grauissimis doloribus est afflictatus, tam teter & intolerabilis odor è corpore eius prodibat, omnemque locum replebat, vt Religiosi eum curaturi & seruituri, nonnisi obturatis naribus, medicamentisque redolentibus præmuniti, ad eum ingredi non possent. Hoc tempore transacto, vt primum habere meliuscule cæpit, & pedibus insistere, stultã suam præsumptionem & superbiam ante omnia expiare voluit. Hinc ad locum, in quo culpam commiserat, reuertit, aliquod in eo culpæ remedium quæsiturus. quare multis cum lacrymis, seque humilitans, longe aliter orare cæpit, quam orarat ante: culpam quippe suam confitebatur, seque omni prorsus bono indignum, & pœnas

Humilitate consolationes obtinentur, non querelis.

potius castigationemq; promeruisse censebat. Quem mox Dominus, voce de cœlo submissa, consolatus est, dicens, *Si consolationes aliquas & gustus in oratione quaris, ante omnia necesse te est humilem esse, tuam imbecillitatem ac nihilum agnoscere, teque luto viliorem, imo vermibus, quos pedibus proteris, contemptibiliorem iudicare.* Et per hoc ita cautus factus est, & sapere didicit, vt posthac perfectissimus Religiosus fuerit.

Lib. 5. c. 1. In vita autem B. P. Ignatii aliud, at dispar longe, exemplum legere est: quod enim ipse superiora peccata sua consideraret, eaque continenter plangeret, gratum sibi fore dicebat, si in eorum expiationem se aliquando Dominus consolatione ac deliciis spiritualibus priuaret, vt hæc eum priuatio ac desolatio cautiorem, inque obsequio feruentiorem, magisque sollicitum redderet. Sed tanta erga ipsum Dominus misericordia vsus fuit, tantaque eum gratia, suauitate ac dulcedine perfudit, vt, quo ipse magis delinquere se crederet, & magis hoc modo flagellari rogaret, eo Dominus esset effusior, atque infinitæ liberalitatis suæ thesauros maiori in eum copia profunderet. Vnde se credere dicebat, nullum in mundo hominem esse, in quo duo hæc simul ita concurrerent, vti in seipso, tanta scilicet ingratitudo, toties & tam grauiter in Deũ offendendo, & tot tamque continua à munifica manu eius recipere beneficia.

Dei bonitas & B. Ignatii humilitas inuicẽ certant.

Blosius Monil. spir. c. 10. Deus cuidam amico suo, vti scriptum prodit Ludouicus Blosius, singulares quosdam fauores communicabat, vt ei oranti etiam multa occulta panderet, & mirabiles futurorum euentus reuelaret. Ipse vero, qua erat humilitate, Deoque magis placendi desiderio eum feruenter instanterque orabat, vt, si ei videretur, idque illi foret gratius, huiusmodi à se gratiam auferret. Audiit rogantem Deus, vt per quinque ipsos annos hanc ei subtraxerit, multis eum interea tentationibus, angustiis ac desolationibus spiritus obrui sinens. Qui cum propterea quadam die amare fleret, duoq; Angeli apparentes eum afflictum consolari conarentur, nullam se consolationem velle respondit, sed abunde sibi ad consolationem sufficere, quod Dei in se voluntas perficeretur.

Humilis petit sibi subtrahi nimiam gratiam.

Voluntas Dei summa consolatio.

Monil. spirit. c. 4. Idem refert, Dominum Iesum alias sic S. Brigittæ locutum: *Quid turbaris & sollicita es filia?* Illam vero dixisse: *Quia diuersis, & inutilibus, malisque affligor cogitationibus; quas remouere nequeo, & terror iudicii tui me angit.* Tunc replicasse Dominum: *Hæc vera est iustitia, vt sicut prius delectabaris in vanitatibus mundi, contra voluntatem meam, ita modo tibi molestæ sint variæ peruersæque cogitationes contra voluntatem tuam. Veruntamen time iudicium meum moderate, & cum discretione, firmiter semper confidens in me Deo tuo. Certissime enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem animæ atque coronam. Si tu illas prohibere non potes, fer patienter, ac voluntate eis renitere. Et, quamuis ipsis non consentias, time nihilominus ne inde superbias & cadas: nam quicumque stat, solius Dei virtute & gratia stat.*

Contra Dei voluntatem peccasti contra tuam patere.

Deus timendus sed moderate.

Cogitationes quas inuiti patimur, purgant & coronant animam.

Patienter ferenda, & tamen ab iis cauendum.

Aliud è Taulero refert idem Blosius in Libro cui nomen *Consolatio Pusillanimium. Plerique,* inquit, *aliqua molestia grauati mihi dicere consueuerunt: Pater male mecum agitur: diuersis enim afflictionibus multoque mœrore perturbor.* Et ego recte cum eis agi pronuntio. Tum illi, *Non,* aiunt, *Domine, sed mea culpa id actum est.* Ad quod rursus ego: *Siue tua culpa id actum sit, siue non, crede ipsam afflictionis crucem à Deo tibi impositam: eidemque gratias agens sustine, & resigna teipsum.* Rursum illi: *Sed magna intus ariditate obscuritateque contabesco.* Quibus ego, *Feras (aio) dilecte fili patienter, & melius tecum agetur: quam si in magna multaque sensibili deuotione versareris.*

Bene valet qui affligitur.

Crux bona etsi eam merueris.

Ariditas cõsolatione vtilior.

Alius quidam Dei famulus dixisse fertur: *Iam quadraginta ipsis annis Domino seruio, & in oratione me exerceo, nunquam tamen vllam in ea consolationem vel gustum habui, quo tamen die in eam incumbo,*

Oratio etiam arida robur tribuit.

eo magnum postea in me vigorem ad quali-bet virtutis exercitia subeunda sentio; at si quo die eam omittam, eo adeo torpidus & flaccidus sum, vt me ad bonum aliquod opus faciendum ne à terra quidem alæ valeant sustollere.

CAPVT XXX.

Quomodo in reliquarum virtutum ac donorum supernaturalium distributione Dei nos voluntati conformari oporteat, &c.

SICVT voluntati Dei conformes esse debemus, quomodocumque demum nos ipse in oratione tractet; ita & quoad reliquas omnes virtutes, & dona Dei, necnon alias quascunque spiritus prærogatiuas, cum ea nos oportet conformari. Omnes virtutes desiderare non potest non esse bonum, vti & ob eas incessanter suspirare, easque acquirere studere; ita tamen velle debemus semper melior esse, inque virtutem perfectione indies crescere & proficere, vt in pace simus & quieti, etsi ad id quod prætendimus, peruenire non possimus, vtque cum Dei voluntate ac libitu nos conformemus, eaque contenti simus.

Virtutes desiderandæ sed cum Indifferentia.

Si angelicam tibi Deus castimoniam dare nolit, sed grauibus quoad puritatem assidue te tentationibus velit oppugnari; melius sane est te id patienter ferre, & Dei voluntati teipsum in hac tentatione & afflictione accommodare, quam inquietum querulumque incedere, quod angelicam illam puritatem & munditiem non habeas.

Castitas.

Si tam profundam humilitatem tibi dare nolit, quam habuit S. Franciscus; non tantam mansuetudinem, quantam habuere cum Moyses, tum Dauid; non denique talem patientiam, qualem Iob prætulit; sed motus & appetitus quosdã in contrarium sentias; bonum est te inde humiliari, & erubescere, occasionemque tui vilipendendi accipere: non tamen bonum est anxie te turbari, inquietari, conqueriq; quod tam patientẽ te Deus non faciat at fuit Iob; neq; tam humilẽ, vti S. Franciscũ fuisse constat. Necesse igitur est etiã in his rebus nos cum Dei voluntate conformari; alias namq; nullam in animo pacem sentiemus.

Humilitas. Mansuetudo. Patientia.

Nulla pax sine Indifferentia.

Quare egregie R. D. M. Auila: *Nullum credo*, inquit, *in mundo fuisse sanctum, qui non voluerit esse melior quam fuit; sed non propterea animi sui pacem hi amittebant: neque enim id tam ex propria cupiditate, vtpote quæ nunquã dicit, sufficit, desiderabant, quam propter Deum, cuius diuisione ac distributione munerũ satis erant contenti, etsi ipsis dedisset minus: rati in illo totius verum amorem consistere, quod contenti viuerent eo quod ipse iis daret, quam in multa habendi desiderio, etsi id amor proprius nonnisi ad melius Deo seruiendum fieri dicat.*

Cap. 23. Audi filia.

Sancti perfectionem desiderarunt sed cum indifferentia.

At dicet aliquis, videri nos hic docere velle, non esse feruens aliquod desideriũ accipiendum indies in virtute crescendi, sed omnia, tam quæ ad animam, quam quæ ad corpus spectant, Deo committenda: videri proinde hoc pacto occasionem nobis dari torpescendi, ac intepescendi, atque omnem de proficiendo progrediendoq; curã abijciendi. Punctum hoc quam maxime notandum est, quia non parui id est momenti. Hæc etiam obiectio adeo bona est, vt nihil in toto hæc negotio aliud timendum sit quam vnum hoc. Nulla quippe omnino doctrina est, quantumuis bona, qua non aliquis queat abuti, si eam prout oportet non norit applicare & vti. Sic & hac nostra abuti quis potest, tam in iis quæ de oratione dicta sunt, quam iis quæ reliquas virtutes & dona spiritualia concernunt. Vnde eam necesse erit commode explicare, & bene intelligere.

Abusus rei cuiuscunque etiam optimæ.

Non dico ergo, nõ debere nos desiderare quotidie in sanctitate progredi, nec procurare debere vt semper illustriores quosq; imitemur, & in hoc diligẽtes & seduli sim⁹: quia hoc fine ad Religionẽ venimus; &, nisi id fecerim⁹, boni Religiosi futuri nõ sum⁹. Sed quod dico, i.e. quod, queẽadmodũ homines in reb⁹ externis & corpo-

corporalibus esse debent diligentes, non vero anxii, nec cupidi (quia istud sancti Patres in sacrosancto Euangelio à Redemptore Iesu asserunt prohiberi dicente, *Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*; quo loco laboriosam & nimiam harum rerum sollicitudinē, anxietatem & cupiditatē reprehendit, consentaneam tamen & moderatam sollicitudinem, ac diligentias necessarias adeo non carpit, vt eas etiam præcipiat, nobisque in castigationem & pœnam olim iniunxerit, dicens, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Vnde necesse est homines ad victum sibi comparandū laborare & sudare, (qui nisi id facerent, Deum tentarent) ita & in rebus spiritualibus, in virtutum inquam & donorum Dei procuratione fieri par est. Sedulos quidem in ea nos ac diligentes esse oportet, attamen ita, vt hæc nobis pacem & cum Dei voluntate conformitatem non auferat. Tu quidem fac quod est à parte tua: at si nihilominus videas non consequi te quod cupis, non propterea animum despondere, aut in talem impatientiā incidere debes, quæ errato præcipuo deterior sit. Atque id etiam, tametsi ob teporem & inertiā tuam id tibi videatur accidere; quod multos contristare & desolationem adferre solet.

Matt. 6. 25.

Diligentes simus non anxii.

Impatientia peccatis deterior.

Tu moraliter omnem tuam diligentiam adhibere procura; & esto eam omnem non adhiberes, & erratum aliquod committeres, propterra noli contristari, vel animum abijcere: quia tales sumus omnes. Homo es, non Angelus, debilis, fragilis, non sanctificatus. Et nostræ Deus fragilitatis ac miseriæ conscius est: *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Nec vult propterea ipse vt animo cadamus, sed errati nos pœniteat, ob ipsum nos hnmiliemus, quamprimum in pedes resurgamus, nec non maiorem à Domino fortitudinem petamus, & tam interius quam exterius contenti simus: quia satius est, te cito cum alacritate quadam, quæ tibi vires ad Deo seruiendum adaugeat, resurgere, quam vt, putando te delicta tua ex Dei amore plorare, ipsimet Deo è contra displiceas, ei male in corde interius, & per frequentes lapsus exterius, & per alios defectuū ramos, qui hinc enasci solent, seruiendo.

Humilitas non desperatio è lapsibus discenda.

Præstat resurgere quā deficere.

Duntaxat hic timendum est periculum illud quod supra indicabamus, ne scilicet aliquis hic nobis obrepat tepor, & id ipsi facere nolimus, quod à parte nostra nobis faciendum incumbit, satis esse rati, dicere, Deus id mihi dare debet, omnia à Dei manu descendant necesse est; ego à parte mea plura facere nequeo. Idem quoq; periculum caueamus oportet circa ea quæ de oratione ante diximus; ne & in illa aliquis sub hoc prætextu tibi tepor & inertia surrepat.

Cauendum, ne sub vmbra Indifferentiæ teporis vermis lateat.

Sed hoc ostiolo occluso, teque rite agente quod tuum est, magis Deo placet patientia, & in fragilitate tua humilitas, quam hæ quorundam anxietates, & superfluæ tristitiæ, quod non tantos sibi in virtute & perfectione progressus facere videntur, nec orationi tam bene insistere, quam fortasse vellent. Hoc namque orationis & perfectionis donū non conquerendo, nec per vim acquiritur, sed Deus id dat cui, & quomodo, & quandocunque voluerit.

Cap. 24. & sequenti.

Humilitas & patientia plus placeet Deo quam querelæ.

Certum item est, non omnes qui ad cœlum ituri sunt, meritis pares & æquales fore: nostrum quoq; est animum non abijcere, quod de optimis & summis non simus, ac fortasse ne quidem de mediocribus, sed in omnibus Dei nos conformare voluntati, eiq; gratias agere, quod spem nobis fecerit salutis æternæ per misericordiam suam consequendæ. Si autem eo pertingere nequeamus, vt sine omni prorsus defectu viuamus, eo saltem nomine Deo gratias habeamus, quod delictorum nostrorum nobis dederit notitiam; &, esto per virtutū illustrium excellentiam cœlum non ingrediamur (vti id ingrediuntur nonnulli) sufficiat nobis quod saltem per delictorum cognitionem, ac pœnitentiā de eisdem actam, eo donari mereamur, sicuti eo alios permultos

Non omnes primi.

Sufficiat tibi si salueris.

Innocens esse nequis, sis humilis.

Virtutes nescis, pœnitentiam amplectere.

In prologo Galeato.

multos donari certum est. Vnde S. Hieronymus; *In templo Dei offerat vnusquisque quod potest: alii aurum, argentum, & lapides pretiosos: alii byssum, & purpuram, & coccum offerant & hyacinthum: mecum bene agetur, si obtulero pelles animalium & caprarum pilos.* Alii ergo Deo suas virtutes, opera heroica & eminentia, ac contemplationes altas & sublimes offerant; satis mihi erit, si meam illi offeram vilitatem, & fragilitatem, me & peccatorem, & imperfectum, & vitiosissimum agnoscendo, æque ac confitendo, meq; instar inopis & mendici, ad maiestatis illius pedes aduoluendo. Quin & hoc nomine in corde exultare nos par est, Deoque gratos nos exhibere, quod ne id quidem quod ante dedit, à nobis, velut ingratis, tollat.

Non omnia possumus omnes.

Alii magna, tu humilitatem Deo offer.

Multum est, quod cum ingratus esses punitus non sis.

Opuscul. de profect. Religios. lib. 1. c. 33. Tract. de monte contemplat. F. Barthol. de Martyrib. Archiep. Brachar. in suo compend. p. 2. c. 15.

Multi magis placent Deo dum virtutes desiderant, quam si eas haberent.

S. Bonauentura, Ioan. Gerson, & alii pii Scriptores aliud quoddam ad hæc priora punctum adiungunt, quo eadem etiam imprimis confirmantur, dicentes, multos magis & feruentius Deo seruire, quod virtutem & recollectionem internam non habeant, ipsamque assidue & incessanter desiderent, quam si reipsa eam haberent. Hoc pacto namque humiliter de se sentiunt, maiorique super seipsos vigilant sollicitudine & studio, iugiter operam dantes vt tandem huc pertingant, & in via salutis magis magisque quotidie progrediantur; atque hac de causa frequenter ad Deum suspirando confugiunt. Si autem virtutes raras & præstantes haberent, forsitan ob eas superbiendo, insolescerent, in Dei obsequio negligentiores fierent, ac veterno correpti desidia tepescerent, rati se iam habere id quod ad salutem sibi necessarium erat, nec ad vlterius laborandum sudandumue animum inducerent.

Fac quod potes, reliqua curet Deus.

Hæc ideo diximus, vt primo ipsi à parte nostra moraliter faciamus quod possumus, & qua valemus diligentia ac conatu, in perfectionis nostræ procuratione incumbamus; deinde hoc facto, contenti simus omni eo, quod nobis Dominus dare voluerit, neu contristremur angamurq; de eo quod nec ipsi assequi possumus, nec in manu nostra situm est. Hoc enim, inquit R. D. M. Auila, nihil aliud esset, quam dolere & angi quod nobis non dentur alæ, quib. in aera euolemus.

tom. 2. Epist. fol. 32.

Quis dolet se alatum non esse?

CAPVT XXXI.

De conformitate cum voluntate Dei, quam in bonis gloriæ nos habere oportet.

NEc solum in bonis gratiæ, verũ etiã gloriæ cum Dei voluntate nos conformemus necesse est. Verus quippe Dei seruus à proprio suo commodo tam esse debet etiam in his rebus, alienus, vt magis lætari debeat, quod Dei voluntas adimpleatur & fiat, quam omni quodcunque habere commodum posset. *Non parua,* inquit sanctus ille vir, *perfectio est, si tuum non quærat, nec in multo, nec in temporalibus, nec in æternis.* Et rationem addit: *Nam voluntas tua Domine, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plus eum consolari, magisq; placere, quam omnia beneficia sibi data vel danda.*

A Kempis lib. 3. de imit. Christi c. 22.

Hoc scilicet est beatorum gaudium & exultatio: magis enim in cœlo gaudent sancti, quod Dei voluntas in se impleatur, quam magnitudine gloriæ, qua donati sunt; itaque in Deum transformari, cumque eius voluntate vniti sunt, vt eam quam habent gloriam, & felicem quam sunt adepti, sorte non tam velint ob bonum quod inde sibi accedit, & ob gaudium quod priuatim inde accipiunt; quam quod eo gaudeat Deus, hæcque eius sit voluntas. Inde est, quod quem quisq; eorum gradum habet, ita eo contentus sit & gaudeat, vel altiorem nec sibi desideret, nec alteri inuideat, dum enim quis Deum videt, ita mox in ipsum transformatur, vt velle iam desinat sicut ante volebat, & velle incipiat sicut Deus; & sicut illud Dei voluntatem & beneplacitum esse nouit, ita id etiam sua voluntas & velle esse incipiat.

Sancti de Dei voluntate plus lætantur quam de sua gloria.

Sancti altiora aliis non inuident sibi non optant.

Beati voluntas transformatur in voluntatē Dei.

Perfectionem hanc olim in illustribus illis sanctis videmus viguisse; in Moyse inprimis & Paulo, qui partim ad vitam & salutem aliorum, partim propter maiorem Dei gloriam, suiipsorum obliti, & propriam contempsisse gloriam videntur. Ille quippe aiebat, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Hic vero, *Optabam*, inquit, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* A quibus postea & S. Martinus, atque alii sancti didicere, vt dicerent, *Si adhuc sum necessarius populo tuo, non recuso laborem.* Suam videlicet requiem & gloriam, quam iam velut vicinam habebant, maiori Dei obsequio & gloriæ æquanimiter posthabebant, ac iure quod ad eam habebant, libenter cedebant, de nouo se ad laborem offerentes.

Exod. 32. 32.

Sancti se negligunt vt Deo placeant.

Hoc scilicet est Dei voluntatem ita hic in terra facere, vti ea fit in cœlo, vt nimirum propriæ vtilitatis plane obliti omne nostrum gaudium in vnius Dei voluntatis adimpletione ponamus, eiusque beneplacitum pluris faciamus, quam omne nostrum commodum, bonum, imo quam cœli terræque possessionem.

Voluntas Dei thesaurus noster.

Hinc facile patebit, quantam hoc voluntatis nostræ cum diuina conformandæ exercitium perfectionem contineat. Nam si nos ab ipsa bonorum spiritualium, atque adeo etiam æternorum possessione, oculos auertere oportet, quo in Dei voluntatē & beneplacitum eos conuertamus, quid erit de aliis commodis & respectibus humanis dicendum? Vnde etiā apparebit, quam procul ab hac perfectione distet, cui etiam difficile est se in rebus cum Dei voluntate conformare, quas initio dicebamus: puta, quod in hoc loca habitare iubear, vel illo: quod hoc officio fungi me Superior velit, vel illo: quod sanus sim siue infirmus: quod ab aliis parui fiam vel magni.

Si cœlum pro Deo relinquendum, quid in terra Deo negabimus?

Nos siquidem hic probare nitimur, Dei voluntatem ac beneplacitum pluris à nobis faciendum, quam quæcunque in bonis spiritualibus, imo & æternis, habere commoda & præeminentias possumus, & tu in illis adhuc manes, & quietem statuis, quæ illorum respectu, nonnisi mera sunt vilitas?

Magna pro Deo relinquenda tu paruis teneberis!

Ei sane qui Dei beneplacitum, ac diuinæ eius voluntatis adimplectionem ita desiderat, vt ob eam vltro & non inuitus propriæ glorię cedat, & infimo loco contentus viuat (non quod ei laborandi, generosaque opera exequendi voluntas desit, sed tantum quod malit diuinæ voluntati ac beneplacito obsecundare) illa alia facillima erunt, cum cedat & renuntiet rei, quæ inter omnia, quibus ex amore Dei potest renuntiare, summa est. Nam nulli maiori rei quis ex desiderio conformandi se cum diuino beneplacito, cedere potest, quam vt dicat, Si velit Deus me statim emori, & proinde minus habere gloriæ, gratius hoc mihi est, quam si post viginti vel triginta annos morerer, & tunc multo maiori beatitudine donari deberem. Et contra, licet, iam iam moriendo, de gloria mea certus essem; si tamen Deus me velit in isthoc carcere & exilii loco adhuc multos annos agere, & pati, & affligi, hoc ipse etiam malo, quam statim ad gloriam Beatorum admitti. Nam velle Dei, eiusque voluntatis adimpletio, vnicum meum gaudium & gloria est. *Tu es gloria mea, & exaltans caput meum.*

Gloria propriæ cedere summum sacrificium.

Gloria præsenti aut maiori pro Deo cedere summa perfectio.

Psal. 3.

Egregium & singulare, quoad hoc, exemplum refertur de B. P. N. Ignatio: Cum enim is die quadam cum P. Iacobo Lainio, aliisq; Patribus ageret, sic ex occasione familiariter illum est percontatus: Dic mihi, M. Laini, quid tibi facturus videris, si hanc tibi Deus Opt. Max. optionem daret, diceretque, Si statim ex hac vita decedere cupis, ego te quamprimum corporis huius carcere educam, & cœlesti gloria donabo; sed si adhuc viuere cupis, nullam tibi de eo, quod tibi post euenturum est, certitudinem do, sed id incertum relinquo, ita vt, si viuendo in virtute perseueres, tibi sim daturus præmium; sin autem in bono cæpto deficias, eo in statu te iudicem, in quo te inueniam. si, inquam, hæc tibi Dominus dice-

Lib. 5. c. 2. Vitæ.

ret,

ret, & ipse scires te adhuc aliquantisper in hac vita manendo, notabile aliquod & illustre diuinæ illius maiestati obsequium posse præstare, quid illi ad hæc responderes? Tum Lainius, Equidem (vt fatear apud R. V. quod res est, & sentio) eligerem, statim ad diuina gaudia posse admitti, salutem in tuto collocare, meque in tanti momenti negotio, a periculo omni immunem præstare. Cui B. P. noster, Ego sane, ait, secus facerem, nam si me, diutius in hac vita manendo, illustre aliquod Deo Opt. Max. obsequium præstare posse certo crederem, eum supplex rogarem, vt tamdiu in ea me conseruaret, quoad ipsum fecissem, atque in hoc vnum, non vero in meipsum oculos meos, nullo ad periculum damnationis, vel salutis securitatem respectu habito, conijcerem.

B. Ignatius elegit Deo seruire cum periculo quã de gloria securum esse seruitio Dei amisso.

Nec vero idcirco salutẽ suam ipse dubiam incertamq; fuisse arbitrabatur, imo vero certiorem & securiorẽ eo quod insignem de Deo fiduciã concepisset, credendo ideo se ab eo in vita relictum, vt hoc illi obsequium præstaret. Quis enim, aiebat, in mundo Rex vel Princeps, si eximium aliquod beneficium & fauorẽ cuidam de clientib. suis offerret, & hic illo statim frui nollet, vt Regi suam in re alia notabili ac rara operam & obsequium præstaret; quis inquam Rex non se obstrictissimum censeret, ad fauorem hunc clienti suo tum conseruandum, tum etiã adaugendum, quod is Regis sui causa & amore, & quo ei amplius seruire posset, hoc se priuet? Si ergo hoc faciant homines, qui ex se ingrati sunt, & beneficium parum agnoscentes, quid non de Deo nobis sperandum est, qui gratia sua ita nos præuenit, & tot beneficiis in dies accumulat? Quomodo timere possumus, nos ab illo deserendos, & cadere permittendos, cum in eius vnius gratiam beatitudinem nostram differri petamus, & propter ipsum ipso frui nolimus? Nefas igitur est, hoc de tali Domino credere, vel timere.

Certior est de gloria, qui amorem Dei negligit suam gloriam.

Deus propter Deum relinquendus.

***

Caput XXXII.

De conformitate, vnione, & perfecto amore erga Deum, & quomodo in hoc nos exercitio exercere debeamus.

VT autem perfectio & præstans excellentia, quam hoc conformationis cũ Dei voluntate exercitium includit, magis ad oculum pateat, & ipsi nouerimus quousque per illud peruenire possimus; pro Tractatus huius conclusione & epilogo, nonnulla de exercitio amoris Dei, quod sancti Patres & vitæ spiritualis magistri omnium eminentissimum ducunt, afferemus, quod hoc loco id esse opportunum, & ad rem facere videatur: nam vnus de præcipuis amoris effectibus, inquit Dionysius Areopagita, est efficere, vt amantium inuicem voluntates vnitæ sint & coniunctæ: id est, vt vnum velle habeant & vnum nolle. Hinc, quo quis cum Dei voluntate ac libitu erit conformior, eo plus amoris erga Deum habebit, & vicissim quo maiorem habebit amorem, eo Dei voluntati erit vnitior & conformior.

Cap. 2. de diuin. nominib.

Amoris effectus voluntatum coniunctio.

Vt autem id melius intelligatur, in cœlum nos consideratione opus est ascendere, ac videre quomodo Beati ibi inuicem diligant, cum Dei voluntate se accommodantes, & eandem cum ipso voluntatem & velle habentes: quo enim magis ad hoc perueniemus, eo exercitium nostrum erit perfectius. Sic S. Ioannes Apostolus in Canonica sua prima, Beatos ait è Dei conspectu, ei similes fieri: *Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quia videndo Deum, ita illi vniuntur, & in eum transformantur, vt eandem cum eo voluntatem & velle habeant.

1. Ioan. 2. 3.

Visio Dei transformat in voluntatem Dei.

Iam ergo videam⁹ ecquod Dei sit velle, ecquæ voluntas & amor, vt ita pariter videamus, quod Beatorum sit velle & voluntas; atq; hinc dein colligamus, quod nostrum velle, amor, & perfecta voluntas esse debeat. Dei ergo velle & volũtas eius-

Deus vult & amat seipsum.

que summus & perfectissimus amor, est suiipsius gloriæ, atq; sui esse summe perfecti & gloriosi. Idem hoc porro, est velle, & voluntas & amor Beatorum. Adeo vt Sanctorũ & Beatorũ amor, amor quidam & velle sit, quo totis viribus suis amant & volunt, vt Deus sit is qui est, tamque in se bonus, gloriosus, & omni honore dignus quam est.

Atque vt in Deo vident omne quodcunque desiderant, hinc fructus ille Spiritus sancti in illis oritur, de quo Apostolus, *Fructus autem spiritus est gaudium*: ineffabile inquam gaudiũ, inde resultans, quod eum, in quem tanto amore feruntur, omnigenis bonis & thesauris adeo in se abundantem videant.

Gal. 5. 22. Sancti lætantur de gloria Dei.

Ex iis porro quæ in hoc mundo fieri videmus, diuinũ hocce gaudiũ, quod hinc Beati capiunt, aliquomodo colligere & inuestigare possumus. Vide enim, quanta filii bene morati lætitia & gaudiũ hic esse soleat, dum patrem suum dilectissimum, ab omnib. honorari, coli, sapientia, opibus, potentia pollere, & apud Regẽ gratia & authoritate valere videt, sunt, profecto filii, adeo boni, vt dicturi sint, nullum dari posse gaudium, quod cum suo ob patris honorẽ & æstimationẽ gaudio queat comparari. Si ergo gaudiũ hoc etiam in hoc mundo, vbi & amor tam frigidus est, & bona tam vilia, tam magnũ sit, ecquod sanctorum erit gaudium, cum verum suum Dominum, creatorẽ quoq; suum ac Patrem cœlestem, in quem per amorẽ ita transformati sunt, videbunt, eumq; adeo bonum, sanctũ, tanta pulchritudine donatum, tam infinite potentem, vt per eius vnius velle ac voluntatem suum omnia creata esse & pulchritudinẽ habeant, sine nutu autem eius nullum in arbore foliũ queat moueri? Vnde & Apostolus gaudiũ hoc adeo ait esse magnum, vt nec oculus id viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascendere possit. Hoc quippe est fluuius ille impetuosus, quem in Apocalypsi sua Ioannes à throno Dei & Agni promananẽ conspexit, qui *lætificat ciuitatem Dei*; & è quo Beati in cœlo bibunt, qui hoc amore inebriati, cantant perpetuum illud Alleluia, quod refert eo loco Ioannes, glorificantes & benedicentes Deum: *Alleluia quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.* Gaudent quippe & exultant ob magnitudinẽ gloriæ Dei, eamque illi congratulantur, magno cum iubilo & exultatione dicentes, *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.*

Si filius de gloria Patris lætatur cur non magis Sancti de gloria Dei.

1. Cor. 2. 9.

Apoc. 22. 1. & Ps. 45. 5. Fluuius gaudii.

Apoc. 19. 6.

Sancti Deo congratulantur.

Hinc scilicet est amor, quo sancti in cœlo erga Deũ suum feruntur, hæc vnio & conformitas, quam cum diuina eius voluntate habent, vt iuxta humani nostri intellectus imbecillitatem tenuitatemq; loquamur. Hoc ergo est, quod nos hic in terra pro nostro modulo par est intueri, vt Dei voluntas ita in terra fiat, sicut fit in cœlo.

Beati in congratulatione Dei imitari debemus.

Dicebat olim Deus Mosi, cum tabernaculi ei fabricam imperaret, *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: ita & nos quidquid in terra nobis agendum est, ad imitationem & exemplum eorum, quæ in supremo illo gloriæ monte fiunt, faciamus oportet. Vnde amare & velle debemus id, quod amant & volunt Beati in cœlo, & quod amat & vult ipsemet Deus, suam ipsius inquam gloriam & esse, quod summe perfectum & gloriosum est.

Exod. 25. 40. Voluntas Dei fiat in terra sicut in cœlo. M. Auila. tom. 1. Epist. B. Franciscus Arias p. 2. de profect. spirit. tract. 5. c. 3. & 4. P. Lud. de Puente tom. 2. meditat. p. 6.

Vt autem vnusquisq; id melius facere possit, huius exercitii praxin breuiter ostendemus. Cum ergo in oratione versaberis, intellectu tibi infinitum Dei esse, eius æternitatem, infinitam sapientiam, pulchritudinem, gloriam & beatitudinẽ representa: Deinde per voluntatem gaude & exulta, & tecum ipse lætare, quod Deus sit is qui est, quod sit Deus, quod à seipso habeat esse, & infinitum bonum quod habet, quod nullius ope & opera indigeat, illius autem omnes; quod sit omnipotens, tam bonus, & tam gloria abundans; atque ita de reliquis Dei perfectionibus, attributis, & bonis infinitis.

Praxis amoris diuini & congratulationis Dei.

Considera & exulta.

S. Tho-

2.2.q.28.art. 8.adz.& art. 2. S. Thomas, & reliqui cum eo Theologi docent, hoc amoris Dei actu nullum aut maiorem aut perfectiorem dari posse; vnde etiam is præstantissimũ & eminẽtissimum conformationis voluntatis nostræ cum diuina exercitium est: quia nullus maior & perfectior Dei amor est, quã is quo Deus seipsum prosequitur, suã inquam gloriam, & esse summe perfectũ & gloriosum: nec etiam vlla hac melior haberi dariue voluntas potest. Eo ergo maior & perfectior noster erit amor, quo amori, quo seipsum Deus amat, erit similior & correspondentior, & eo perfectior & maior nostra cum diuina eius voluntate vnio & conformitas.

Perfectissimus actus amoris Dei.

Accedit ad hęc, quod iuxta Philosophorum placita, amare non sit aliud, quã alicui bene velle. Vnde consequitur, quod, quo maius alicui bonũ volumus, atq; optamus, eo ipsum etiã magis amemus. Maximũ ergo quod Deo velle possumus bonum, est id quod ipse habet, suum inquã infinitum esse, sua bonitas, sapientia, omnipotentia, & infinita gloria.

Arist. lib. 2. Rhetor. c. 4. Amare est bene velle.

Esse suum Deo gratulare.

Quando creaturam aliquam amamus, non solum gaudemus & ei gratulamur de bono quod iã habet, verum etiam bonũ quod nondũ habet, ei optare possumus; quia omnis creatura potest crescere & fieri maior: at Deo in seipso nullũ optare bonũ possumus, quod iã de facto non habeat, quia plane & omnimodis infinitus est; ac proinde nullam in se maiorem potentiã, gloriam, sapientiam, bonitatẽ habere potest, quã modo habet. Hinc gaudere, exultare, ac lætari quod Deus habeat bona illa quæ habet; tamq; bonus, opulentus, potens, infinitus & gloriosus sit quam est; maximum est bonum, quod ei optare possumus, & consequenter maximus, quo eum prosequi possumus, amor.

Deo qui omnia est & habet nil optare possumus, sed congratulari.

Adeo vt sicut sancti qui in cælo sunt, & sanctissima Iesu Christi humanitas, & gloriosissima cæli Regina Maria, & vniuersi Angelorũ chori exultant, quod Deũ tam pulchrum, itaq; bonis omnib. redundantem videant, & sicut gaudiũ & voluptas, quod hinc sentiũt, adeo exuberãs est, vt repleri nequeat, nisi in Domini huius laudes prorumpant, imo nec eo laudando, & in æternum benedicendo, queant saturari, iuxta illud Prophetę, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorũ laudabunt te.* Sic nostrum est corda nostra cũ illorum cordibus coniungere, & vna cum ipsis voce concinere, vti nos docet sancta Mater Ecclesia, canens: *Cũ quib. & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cæli & terra gloria tua.* Semper ergo, aut saltẽ quam possumus frequentissime, Deum laudare & glorificare debemus, eius bono, gloria, potentia, & imperio quod habet gaudendo & exultando, ac de his illi congratulando; atq; ita Beatis, & ipsemet Deo, quãtum quidem humanitas nostra patitur, hic in terra assimilabimur, & omnium altissimum amoris gradum, & perfectissimam cum Dei voluntate conformitatem consequemus.

Psal. 83. 5.

Benedicam Dominum in omni tẽpore.

Semper laus eius in ore meo.

CAPVT XXXIII.

Quam hoc exercitium in sacra scriptura serio nobis commendatum, & crebro inculcatum sit.

EX eo quod hoc exercitium frequenter & passim in sacris litteris commendetur, & identidem repetatur, facile quanta eius dignitas & excellentia sit, & quã Deo gratum, intelligetur; simul etiam hãc occasionem & materia capere poterimus, ad ipsum exercendum, ac diutius ei insistendũ. Regius Vates Dauid ad singulos prope Psalmorum suorũ versus ad ipsum nos inuitat: modo dicẽdo, *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* Modo, *Exultate iusti in Domino.* Et, *Delectare in Domine,* & in omnihus bonis eius tibi complaceto, *& dabit tibi petitiones cordis tui*, vel potius quidquid desiderabis. & op⁹ habebis. Quia hęc est oratio, in qua petis nõ petẽdo, & in qua cordis tui desideriũ & volũtatẽ Deus exaudit.

Psal. 31 11.

Psal. 32. 1.

Psal. 36. 4.

Apostolus quoq; Paulus, ad Philippenses scribens, iis cõsulit, *Gaudete in Domino semper.* Cum autem putaret id consiliũ nõ esse huiusmodi, quod semel indicari satis sit, ipsum repetit, & secundo inculcat, dicens, *Iterum dico gaudete.* Hoc item gaudium est, quo sanctissima Virgo mater exultauit, vt in cantico suo ipsa testatur: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Hoc eodem gaudio perfusus fuit ipse Redemptor Iesus, vtpote de quo Euangelista scribit, *Exultauit spiritu sancto.* Idem qui supra Psaltes, tanto animum suum gaudio fuisse imbutum ac repletum, ait dum secum ipse cogitaret, quam ingens esset Dei bonum & gloria, & quam dignissimus, vt oẽs infinito suo quod habet bono gaudeant & exultent; vt præ eius copia & abundantia etiam in corpus redundaret, atq; ipsa etiam caro in Dei amorẽ inflammaretur. *Cor meum*, inquit, *& caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Alio vero loco ait, *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: Omnia ossa mea dicent; Domine quis similis tui?*

Phil.4.4. Gaudete gaudete. *Luc.1.47.* *Luc.10.21.* *Cor & caro exultant in Deo.* *Psal.83.3.* *Psal.34.9.*

Quoniam autem hic amor quid adeo diuinum & cæleste est; hinc Ecclesia, à Spiritu sancto directa & gubernata, in ipso Horarum Canonicarum principio, dũ Matutinum auspicatur, per Inuitatorium nos filios suos ad hoc modo Dominum amandum inuitat, nimirũ vt infinitis bonis eius lætemur & exultemus: quæ verba è Psalmo nonagesimo quarto desumta sunt, *Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, praeoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. Quoniã Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, &c.* Quoniam ipsis, *est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius, &c.*

Ecclesia ad Dei amorem & gaudium nos inuitat. *Psal.44.1.*

Eandem ob causam, & ad eundẽ finem omnes nos Ecclesia Psalmos in hoc versiculo vult terminare, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.* Hoc scilicet est, *illud intrare in gaudium Domini*, de quo Saluator Iesus in Euangelio ait, *Intra in gaudium Domini tui*: participare inquam de infinito illo Dei gaudio, & vna cum ipso Deo, ob ipsius gloriam, pulchritudinem, & infinitam abundantiam, iubilare & exultare.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto. *Mat.25.21.* *Intrare in gaudium Domini.*

Vt autem erga hoc exercitium magis animemur, & in hoc gaudio & mentis exultatione semper proficiamus, non paruo ad hoc nobis adiumento erit, cõsiderare, quã bonus, pulcher, & gloriosus sit Deus. Tam eminenter quippe ipse omnia hæc est, vt vel sola eius visio ipsos vidẽtes beet; adeo vt, si qui inferno dirissime crucientur, Deum viderent, omnia illorum tormenta mox cessarent, quin & infernus ipse in paradisum conuerteretur. Vnde etiam ipse Christus apud D. Ioannem orat, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* In eo namque omnis sanctorum gloria consistit, vt facie ad faciem videant Deum; & vna hæc visio eos beatos reddit: idque non in vnum diem & annum, sed in perpetuas æternitates, quia nunquam Deo videndo saturabuntur, sed gaudium hoc ipsis semper nouum & velut non habitum videbitur, iuxta illud Apocalypseos, *Et cantabunt quasi canticum nouum.*

Visio Dei ex inferno cælum efficit. *Apoc.14.3.*

Satis quidem abunde per hoc infinita Dei bonitas, pulchritudo & perfectio videtur potuisse declarari; tamẽ adhuc plura his addi queunt, & quidem multo plura. Deus namque in se ita pulcher & gloriosus est, vt etiam ipsemet suiipsius visione beatus sit. Nam gloria & beatitudo Dei nonnisi in seipso videndo & amando sita est. Vide ergo, num merito in tali bonitate, pulchritudine & gloria gaudere & exultare possimus, quæ vniuersam illam ciuitatem Dei lætificat, omnesque eiusdem ciues beatificat: imo Deus ipse, seipsum & cognoscendo & amando, beatus est.

Deus suiipsius visione beatus est.

Capvt XXXIV.

Quomodo hoc exercitium amplius possit extendi, & aliis applicari.

Possvmvs in hoc exercitio etiam latius nos diffundere, hunc videlicet amorem

rem erga sacratissimam illam Christi Iesu humanitatem exercẽdo: vt nimirum magnam eius dignitatem & perfectionem consideremus, atque in ea nobis complaceat ac delectemur, exultemus quoque & lætemur, quod benedicta illa Christi Domini humanitas sublime adeo euecta, & cum persona diuina tam intime coniuncta sit; quod gratia & gloria tam plena existat; quod aptum ea diuinitatis sit instrumentum ad res adeo eximias, quales sunt omnium electorum sanctificatio & glorificatio, & omnia supernaturalia dona & gratiæ, quæ hominibus communicantur, operandas.

Congratulatio excellentia humanitatis Christi.

De quacunq; dein re gaudeamus, quæ ad gloriosissimæ illius animæ, & sanctissimi Domini nostri Iesu Christi corporis perfectionem & gloriã quoquomodo attinet; atq; in eo nos per visceralem quendam amorẽ & iubilũ detineamus: proinde ac Religiosissimam Angelorum Reginam Mariam in die Dominicæ Resurrectionis exultare debuisse sancti Patres imaginantur, dum benedictum filium suum Iesum tanto cum triumpho & gloria à mortuis resuscitatum vidit; & sicut Iacob Patriarcham, audito filium suum Ioseph adhuc viuere, & dominari in tota terra Ægypti, tanto gaudio perfusum & delibutũ sacra Scriptura commemorat, vt spiritus eius reuixerit, ac dixerit, *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit, vadam & videbo illum, antequam moriar.*

Beatæ Virginis congratulatio in Christi resurrectione.

Gen.45.28.

Lætitia Iacob de rediuiuo Ioseph.

Idem hoc exercitium gaudii B. Virginis Mariç, ac reliquorum sanctorum gloriç accommodare possumus. Et sane, non contemnenda erit deuotio, aliquam orationis partem in eorum festiuitatibus huic exercitio impendere: vix enim vllum maius eis obsequium ac cultũ possumus deferre: maximus quippe, quem erga eos ostendere possumus, amor est, vt summũ quod habere possint bonum, iis velimus & exoptemus, deque tam ingenti eorum gaudeamus, & exultemus, eamq; illis serio gratulemur. Sic nobis istuc exercitiũ sancta Mater Ecclesia in festo assumptionis Deiparæ Matris proponit, canens, *Hodie Maria Virgo cælos ascendit: gaudete quia cum Christo regnat in æternũ.* Quin & sacrũ Missæ officium in hoc & aliorum sanctorum festis, à quadam ad hoc exercitium inuitatione & cohortatione ad ipsum vsurpandum, idq; Angelorum in hoc se identidem exercentium exemplo, auspicatur: *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore Beatæ Mariæ Virginis, de cuius assumptione gaudent Angeli, & collaudant filium Dei.*

Congratulatio B.V. & Sanctorum.

Gaudeamus omnes in Domino.

Est & aliud in exercitii huius quoad sanctus, ac præsertim quoad sacratissimã Christi Iesu Domini nostri humanitatem vsurpatione bonum & vtilitas: nimirum quod per hoc homo paulatim ascendat & accessum habeat ad alia diuinitatis exercitia: nã, vt ipse Christus de se ait, ipse via & ianua est, per quam ad Patrem quis introeat & accedat.

Ab humanitate Christi transitur ad diuinitatem.

Ioan.10.7. & 14.6.

Exercitium hoc, cum circa Deum fit, in quãtum Deus est, suos item habet gradus, vt in eo semper longius nos diffundere possimus, & extendere, cum ad res, quæ quotidie nobis obuiæ & familiares sunt, descendimus. nam, esto verum sit, Deum in se maiorem neutiquam posse fieri, quia infinitus est, nullum proinde ei ad intra à nobis optari bonum posse, quod iam de facto non habeat; exterius tamen in creaturis, crescere & maior fieri potest, magis inquam ab iis cognosci, amari, & glorificari. Quare amorem hunc exercere etiam possumus, si externum & accidentarium hoc bonum Deo optemus.

Dei gloria exterius in creaturis crescere potest.

Cum ergo anima in oratione considerabit, quam Deus sit à creaturis suis amari & seruiri dignus, velle & desiderare debet, vt omnes animæ, tam ante creatæ, quam postea creandæ omnibus in rebus eum cognoscant, ament, laudent & glorificẽt, hac formula: Quis Domine ad te cõuertere queat omnes quotquot in mundo sunt infideles & peccatores; & efficere, nemo vt te offenderet, omnes vero tibi obedirent, seq; tui cultui, tam modo, quam in perpetuas æternitates, impenderent! *Sanctificetur nomen tuum.* Et, *Omnis terra*

Formula zeli animarum & gloriæ Dei.

Sanctificetur nomen tuum.

Matth.6.9.

Psal.65.4. *terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.* Hic porro mille obsequiorum à creaturis Deo præstandorum, modos excogitare possumus, eosque ei optare.

Hinc quisque ad se descendere, & desiderare, velle debet, vt Dei voluntas, atq; adeo quidquid maior eius gloria est, in iis quæ ad se pertinent adimpleatur; semper omne id facere studendo, quod Dei volũtatem, & maiorem eius gloriam esse intellexerit: iuxta id quod de se Redemptor Iesus in Euangelio ait: *Ego, quæ placita sunt ei* (Patri meo) *facio semper.* Nam vt Ioannes Apostolus scribit, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est: qui autem seruat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est.*

Qui diligit me sermonem meum seruabit.

Ioan.8.29.

1.Ioan.24.

Adeo vt ad Deum amandum, totalemque cum eius beneplacito conformitatẽ habendam, satis non sit, hominem in Dei bonis sibi complacere & gaudere, ac velle vt omnes reliquæ creaturæ Deum ament & glorificent verum insuper requiratur, vt ipse diuinæ voluntati adimplendæ totum se offerat & deuoueat. Atque hunc amorem tum anima exercet, cum in oratione vera voluntatis Dei in hac, & in illa re, & in aliis quæcunque occurrent, adimplendæ proposita & desideria concipit. Quod est exercitium, in quo ordinarie nos in oratione exercere solemus.

Laborandum non modo vt omnes voluntatem Dei faciant, sed & tu ipse.

Spatiosum quendam hoc specimine campum aperuimus, ad nos, dum orationi insistimus, multo tempore in hoc exercitio occupandos; simul etiam vtilitatem, & insignem quæ in eodem continetur, perfectionem demonstrauimus, vt aliud reliquum non sit, quam manum operi admouere, & quoddam iam tum hic in terra periculum in nobis facere incipere eius, in quo postea æternum in cælo tam eminenter & excellẽter nos exercitaturi sumus. *Cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* Iam tum quidem hic in terra hic amoris Dei ignis in nobis accendi & fumigare incipere debet, sed ipsæ eius inflammationes, altitudo & perfectio in cælesti illa Ierusalem, id est in gloria, locum habebunt.

Hic accendatur ignis amoris Dei vt in æternum ardeat.

Isa.31.5.

Finis Primæ Partis.



ego son

ap: Su





EXERCITIVM PERFECT

ET

 VIRTVTVM 

R. P. RODRIGVEZ